SAINT DOMINIQUE

DE L'ORDRE

DES FRÈRES PRÊCHEURS

Témoignages écrits

fin XIIe –XIVe siècle

textes latins et italiens

rassemblés

par NICOLE BÉRIOU et BERNARD HODEL

avec la collaboration de

GISÈLE BESSON

AVERTISSEMENT

Ces textes, traduits dans le volume « Saint Dominique de l'ordre des frères Prêcheurs. Témoignages écrits », conservent l'orthographe et la graphie des éditions utilisées, qui peuvent varier d'un texte à l'autre.

Nous remercions en particulier le Père Simon Tugwell OP de nous avoir généreusement procuré, en se fondant sur l'état actuel de ses recherches, une partie substantielle de ces textes, dont il prépare l'édition critique et qu'il nous a autorisés à reproduire sous forme électronique accessible en ligne dans ce dossier.

Les autres apports dont nous avons bénéficié sont signalés en tête de chaque texte latin correspondant.

LETTRE DE RÉCONCILIATION DE PONS ROGER (p. 72-74)

KOUDELKA Vladimír, *Monumenta diplomatica sancti Dominici*, *MOPH* 25, Romae : Ad S. Sabinae, 1966, p. 17-18 ; MONTANARI Elio, « Gli scritti di Domenico », dans : *Domenico di Caleruega e la nascita dell'ordine dei frati predicatori*, Spoleto : Centro italiano di Studi sull'alto Medioevo, 2005, p. 254-255.

Nous avons utilisé l'édition provisoire que nous a généreusement communiquée le P. Simon Tugwell.

Vniuersis christifidelibus ad quos presentes littere pervenerint frater Dominicus Oxomensis canonicus predicatorum minimus salutem in Christo.

Auctoritate domini abbatis Cisterciensis apostolice sedis legati, qui hoc nobis iniunxit officium, reconciliauimus presentium latorem Poncium Rogerium ab hereticorum secta deo largiente conuersum, mandantes ei in uirtute prestiti sacramenti ut tribus dominicis aut festis diebus ducatur a sacerdote nudus in femoralibus, ab ingressu uille usque ad ecclesiam uerberando.

Iniunximus etiam illi ut a carnibus, ouis et caseo seu omnibus que sementinam trahunt carnis originem abstineat omni tempore excepto die pasche, die pentecostes et die natalis domini, in quibus ad abnegationem erroris pristini precipimus ei ut eis uescatur. Tres quadragesimas in anno faciat a piscibus abstinens. Tribus diebus in ebdomada semper a piscibus et oleo et uino abstineat et ieiunet nisi corporalis infirmitas uel labores estatis exegerit dispensationem. Religiosis uestibus induatur tum in forma tum etiam in colore, quibus in directo utriusque papille singule cruces paruule sint assute. Cotidie si oportunum fuerit missam audiat, et diebus festis ad uesperas in ecclesiam pergat ; alias horas tam nocturnas quam etiam diurnas ubicumque fuerit deo reddat, scilicet septies in die decies *pater noster* dicat, media nocte uigies.

Castitatem penitus obseruet et maneat apud Trierium uillam. Cartam istam capellano suo per singulos menses ostendat. Capellano etiam precipimus ut de uita eius curam diligenter adhibeat.

Hec omnia diligenter observet, donec abbas super hiis suam nobis exprimat uoluntatem. Quod si observare contempserit, tanquam periurum, hereticum et excommunicatum haberi precipimus et a fidelium consortio sequestrari.

SÛRETÉ PROVISOIRE GARANTIE
À RAYMOND GUILHERMY D'AUTERIVE
(p. 77)

KOUDELKA Vladimír, *Monumenta diplomatica sancti Dominici*, *MOPH* 25, Romae : Ad S. Sabinae, 1966, p. 52-53 ; MONTANARI Elio, « Gli scritti di Domenico », dans : *Domenico di Caleruega e la nascita dell'ordine dei frati predicatori*, Spoleto : Centro italiano di Studi sull'alto Medioevo, 2005, p. 256-257.

Nous avons utilisé l'édition provisoire que nous a généreusement communiquée le P. Simon Tugwell.

Vniuersis christifidelibus ad quos littere presentes peruenerint frater Dominicus Oxomensis canonicus predicationis humilis minister salutem et sinceram in domino caritatem.

Discretio uniuersitatis uestre presentium auctoritate cognoscat quod nos Raimundo Guill(ermo) de Alta Ripa peleganterio licenciam concessimus ut Guill(erm)um Hugonem hereticali quondam habitu, ut idem coram nobis asseruit, inuestitum, secum in domo sua apud Tholosam teneat more aliorum hominum conuersantem, quousque super hoc nobis uel sibi expressius mandatum faciat dominus cardinalis, et quod hoc sibi non cedat, uidelicet Raimundo Guill(erm)o, in infamiam seu dampnum.

LETTRE AUX MONIALES DE MADRID
(p. 83-85)

TUGWELL Simon, « St Dominic's letter to the nuns in Madrid », *AFP* 56 (1986), p. 12-13.
Le P. Simon Tugwell nous a généreusement fourni une version révisée.

Frater Dominicus magister predicatorum dilecte priorisse totique conuentui monialium de Maiorico salutem et de die in diem melioramentum[1].

Multum gaudemus et gratias deo agimus propter feruorem uestre sancte conuersationis et quod deus de huius mundi fetore uos liberauit.

Pugnate, filie, cum antiquo aduersario ieiuniis et orationibus instanter, quia non coronabitur nisi qui legitime certauerit.

Quia usque modo locum non habuistis in quo uestram religionem seruaretis, modo non potestis excusari quod non habeatis per dei gratiam satis ydonea edificia in quibus religio conseruetur, uolo de cetero ut in locis interdictis, scilicet in refectorio, in dormitorio et oratorio silentium teneatur, et in omnibus aliis ordo uester custodiatur.

Nulla egrediatur portam et nullus ingrediatur nisi episcopus uel aliquis prelatus causa predicandi uel uisitandi. Non disciplinis et uigiliis parcatis. Sitis priorisse uestre obedientes. Nolite adinuicem confabulari nec tempus uestrum in fabulationibus expendatur.

Et quia uobis subuenire in temporalibus non possumus, nolumus uos onerare quod aliquis fratrum recipiendi uel intromittendi mulieres aliquas habeat potestatem nisi priorissa tantum cum consilio sui conuentus.

Preterea fratri karissimo nostro, scilicet fratri Mameti, precipimus, qui multum laborauit et ad istum sanctissimum statum uos copulauit, quod disponat uos et ordinet ut uidebitur ei expedire in omnibus, ut religiosissime et sanctissime uos habeatis. Tamen damus ei potestatem uos uisitandi corrigendique et priorissam remouendi, si opus fuerit, cum maioris partis consensu monialium. Et licentiam ei concedimus ut possit uobiscum in aliquibus si ei uisum fuerit dispensare.

Valete in Christo.

[1] Autre lecture possible: melioratum.

PIERRE DES VAUX DE CERNAY
HISTOIRE ALBIGEOISE (extraits)
(p. 117-121)

GUEBIN Pascal, LYON Ernest, *Petri Vallium Sarnaii monachi Historia Albigensis* Paris : Librairie ancienne Honoré Champion, 1926, vol. 1, p. 20-24, 28-30, 47-49.

20. Hic incipit narrare quomodo venerunt predicatores in terram Albigensem.

Anno Verbi incarnati .M°.CC°.VI°., Oxomensis episcopus, Diegus nomine, vir magnus et magnifice extollendus, ad curiam Romanam accessit, summo desiderio desiderans episcopatum suum resignare, quo posset liberius ad paganos causa predicandi Christi evangelium se transferre; sed dominus papa Innocentius noluit acquiescere desiderio viri sancti, immo precepit ei ut ad sedem propriam remearet. Factum est igitur, dum rediret a curia et esset apud Montem Pessulanum, invenit ibi venerabilem virum Arnaldum, abbatem Cisterciensem, et fratrem Petrum de Castro Novo et fratrem Radulfum, monachos Cistercienses, apostolice sedis legatos, injuncte sibi legationi pre tedio renuntiare volentes, eo quod nichil aut parum hereticis predicando proficere potuissent : quotienscunque enim vellent ipsis hereticis predicare, obiciebant eis heretici conversationem pessimam clericorum; et ita, si vellent clericorum vitam corrigere, oporteret eos a predicatione desistere.

21. Memoratus autem episcopus adversus hujusmodi perplexitatem salubre dedit consilium, monens et consulens ut, ceteris omissis, predicationi ardentius insudarent et, ut possent ora obstruere malignorum, in humilitate procedentes, exemplo Pii Magistri facerent et docerent, irent pedites absque auro et argento, per omnia formam apostolicam imitantes. Dicti vero legati, hec omnia quasi quandam novitatem per se arripere non volentes, dixerunt quod, si quis favorabilis auctoritatis eos sub hac forma vellet precedere, ipsum libentissime sequerentur. Quid plura? Optulit se vir Deo plenus, moxque familiam suam vecturasque ad urbem suam Oxomensem transmittens, uno comite contentus, cum duobus sepedictis monachis legatis, Petro videlicet et Radulfo, Montem egreditur Pessulanum. Abbas autem Cisterciensis Cistercium perrexit, tum quia in proximo erat celebrandum Cisterciense capitulum generale, tum quia post celebratum capitulum quosdam de abbatibus sui ordinis volebat secum adducere, qui eum in exequendo injuncto sibi predicationis offitio adjuvarent.

26. Quia vero longum esset enarrare per ordinem quomodo viri apostolici, scilicet predicatores nostri, circuibant per castella, evangelizantes et disputantes ubique, his ommissis, ad precipua veniamus. Quodam die convenerunt omnes heresiarche apud quoddam castrum in Carcasonensi diocesi, quod dicitur Mons Regalis, disputaturi unanimiter adversus viros sepius memoratos ; ad hanc disputationem rediit frater P. de Castro Novo, qui, sicut paulo ante diximus, a sociis suis discesserat apud Biterrim ; disputantibus autem dati fuerunt judices de ipsis credentibus hereticorum. Protelata autem fuit disputatio per .xv. dies et redacta fuerunt in scriptum hinc inde proposita et tradita judicibus ut diffinitivam sententiam promulgarent ; videntes autem ipsi judices hereticos suos manifestissime superatos, noluerunt dare sententiam ; set et scripta que a nostris acceperant, ne venirent in publicum, noluerunt reddere, set hereticis tradiderunt.

54. Quoddam miraculum.

Contigit tempore illo quoddam miraculum fieri, quod in hoc loco dignum duximus interserendum. Disputaverant quadam die quidam predicatores nostri, viri religiosi, adversus hereticos; unus autem de nostris, Dominicus nomine, vir tocius sanctitatis, qui socius fuerat episcopi Oxomensis, auctoritates quas in medium produxerat redegit in scriptum et cuidam heretico tradidit cedulam illam, ut super objectis deliberaret. Nocte igitur illa erant heretici congregati in una domo, sedentes ad ignem; ille autem cui vir Dei tradiderat cedulam produxit eam in medium; tunc dixerunt ei socii sui ut in medium ignem illam proiceret et, si cedula illa combureretur, vera esset fides (immo perfidia !) hereticorum ; si vero incombusta maneret, fidem quam predicabant nostri bonam esse faterentur. Quid plura? ln hoc consentiunt omnes, cedula in ignem proicitur; set, cum in medio igne aliquantulam moram fecisset, incombusta penitus ab igne resilivit; stupentibus qui aderant, unus ceteris durior ait illis : « Proiciatur in ignem cedula et tunc experiemur plenius veritatem » ; proicitur iterum iterumque resiliit incombusta; quod videns, ille durus et tardus ad credendum dixit : « Iterum tercia vice proiciatur et tunc sine dubio rei exitum cognoscemus » ; proicitur tercio nec tunc quidem comburitur, set integra ab igne resiliit et illesa. Heretici autem, visis tot signis, nec tunc ad fidem voluerunt converti, set, in sua manentes duricia, districtissime sibi invicem inhibuerunt ne miraculum istud per narrationem alicujus ad nostrorum noticiam deveniret; set miles quidam, qui erat cum illis, qui aliquantulum consentiebat fidei nostre, noluit celare quod viderat, sed pluribus enarravit.

Factum est autem hoc apud Montem Regalem, sicut ab ore religiosissimi viri audivi, qui cedulam heretico tradidit superscriptam.

GUILLAUME DE PUYLAURENS
CHRONIQUE (extraits)
(p. 126-134)

GUILLAUME DE PUYLAURENS, *Chronique. Chronica magistri Guillelmi de Podio Laurentii*, texte édité, traduit et annoté par Jean Duvernoy, Paris : Editions du CNRS, 1976, p. 46-55.

VIII

De domino Didaco Oxomensi episcopo et sancto Dominico socio eius missis ad predicandum contra hereticos. Capitulum VIII.

ln ipsis quoque diebus dominus Deus, ipse qui sagitas electas in providentie sue conservat pharetra, duos de Hyspania ad hoc opus produxit electos pugiles, dominum Didacum episcopum Oxomensem et religiosum virum, sanctum postea declaratum socium eius Dominicum, canonicum sue ecclesie regularem.

Duo ergo isti episcopi mittentes manus ad fortia, aggregatis sibi abbatibus ordinis Cisterciensis et aliis bonis viris, superstitionem hereticorum in altitudinem Sathane gloriantium cum omni humilitate, abstinentia, patientia, ceperunt aggredi, non pomposa aut equestri multitudine, sed calle pedestrico, ad indictas disputationes, de castro in castrum, nudis plantibus et pedibus ambulantes.

Fuitque una de primis congressionibus apud Viridefolium, ubi heresiarche plurimi, scilicet Poncius Iordani et Arnaldus Arrufati et alii affuerunt. Et cum plurima hinc inde obiecta fuissent, in id verbum quod dicit Dominus in Iohanne inciderunt, quod est : « Nemo ascendit in celum, etc. » Interrogabat enim episcopus Oxomensis quomodo intelligerent istud verbum. Quorum unus respondit quod Ihesus qui loquebatur, se hominis qui est in celo filium appellaret. « Est ergo, inquid episcopus, sensus vester quod pater eius qui est in celo sit homo cuius filius se appellat ? » Quibus inquientibus se sentire sic esse, ait episcopus : « Dicente ergo Domino per Ysaiam : « Celum michi sedes est, terra autem scabellum meorum pedum », consequens est ut, si ipse est homo sedens in celo, pedibus terram tangentibus, tibiarum celi ad terram sit spacii longitudo ? » Quibus fatentibus se credere ita esse, ipse statim subintulit : « Maledicat vos Deus, quia grossi heretici estis ! Credebam quod subtilitatem aliquam haberetis ». Deinde evanuerunt per alia verba, diffugia perquirentes. Premissa enim auctoritate probabant catholici Christum esse Deum et hominem qui de celo, ut esset homo, descendit, et tamen in celo erat, unde descenderat, sicut Deus.

Fuit et alia disputatio apud Apamiam, in qua soror Raymundi Rogerii comitis Fuxensis palam hereticos tuebatur ; cui Frater Stephanus de Misericordia : « He, domina, filare colum vestram ! Non interest vestra loqui in huiusmodi concione ». Fuitque disputatum ibi contra Valdenses, sub magistro Arnaldo de Campranhanos tunc clerico seculari, arbitro a partibus electo. Qui cum eius iuditio succubuissent, ex eis ad cor aliqui redeuntes, Sedem apostolicam adierunt, et penitentiam habuerunt, data sibi licentia vivendi regulariter, ut audivi. ln quibus Durandus de Osca fuit prior, et composuit contra hereticos quedam scripta. Et hii quidem in quadam parte Cathalonie annis pluribus sic vixerunt, sed paulatim postea defecerunt.

Fuerunt et alii heretici convicti etiam inimicorum iuditio evidenter. Unde dicam quod audivi dominum Fulconem episcopum referentem, quod Poncius Ademari de Rodelia miles sagax tunc dicebat eidem episcopo : « Nullatenus possemus credere quod Roma haberet tot heficaces adversus istos homines rationes ! - Annon, inquit episcopus, cognoscitis eos vires

nostris obiectionibus non habere? - Bene cognoscimus, ait ille. - Quare ergo de terra, dixit episcopus, eos non expellitis et fugatis ? » At ille ait : « Non possumus ; sumus enim nutriti cum eis, et habemus de nostris consanguineis inter ipsos et eos honeste vivere contemplamur ». Sic enim falsitas, sola nitide vite apparentia, subtrahebat incautos homines veritati.

IX

De sollempni disputatione habita apud Montem Regalem, traditis hinc et inde scriptis coram iudicibus laicis.

Deinde, inter plurimas disputationes quas in diversis locis habuere cum hereticis, una fuit sollempnior apud Montem Regalem, cui interfuerunt predicti nostri pugiles, et venerabilis vir P. de Castello Novo legatus et collega suus magister Radulfus, ex parte sua et plures alii viri boni, et ex parte altera heresiarcha Arnaldus Otonis, Guilabertus de Castris, Benedictus de Termino, Poncius Iordani et multi alii, nomina quorum non sunt scripta in libro vite, anno Domini M°CC°VII°.

Fuitque per scripta diebus pluribus disputatum coram arbitris a partibus electis, scilicet Bernardo de Villanovo, et Bernardo d'Arzenx militibus, et Raymundo Godi et Arnaldo Riberia, burgensibus, quibus sua scripta partes undique tradiderunt.

Fuitque fundamentum a parte hereticorum disputationis quod Arnaldus Otonis appellavit Ecclesiam Romanam, quam Oxomenis episcopus defendebat, non esse sanctam nec sponsam Christi, sed Ecclesiam diaboli et doctrinam demoniorum, et esse illam Babillonem quam Iohannes in Apochalipsi appellat « matrem fornicationum et abhominationum, ebriamque sanguine sanctorum et martyrum Ihesu Christi », eiusque ordinationem non esse sanctam neque bonam, nec statutam a Domino Ihesu Christo, et quod numquam Christus neque apostoli ordinaverunt aut posuerunt ordinem misse sicut hodie ordinatur, quibus in contrarium probandis obtulit se episcopus Novi auctoritatibus Testamenti. Proh dolor quod inter christianos ad istam vilitatem status Ecclesie fideique catholice devenisset, ut de tantis opprobriis esset laicorum iudicio discernendum ! Traditis ergo hinc inde scriptis predictis laicis, quibus diffinitionis data erat auctoritas ab ipsis partibus, eisque deliberare nolentibus, ita ad invicem discesserunt negocio imperfecto.

Ego autem processu annorum plurium inquisivi dominum Bernardum de Villanova qui de scriptis actum fuerat supradictis, aut an fuisset disputatio diffinita. Qui michi respondit quod nil exstitit diffinitum. Nam scripta fuerunt perdita in adventu crucesignatorum, de castro illo et aliis fugientibus universis. Dixit tamen quod intellectis que dicta erant heretici CL. circiter ad fidem sunt conversi. Ego vero suspicor quod aliqui college ipsius, quos heretici habebant favorabiles, scripta huiusmodi sumpsissent.

Nec multo post dominus Petrus de Castro Novo legatus transivit ad Deum per gladios impiorum, cuius rei suspitione comes non caruit Tholosanus. Sint ergo iudices, et ipsi principes auferendi essent, qui talia sustinebant.

X

De recursu ad Sedem apostolicam, postquam nil esset predicatione expellendis hereticis expeditum, et ordinis Predicatorum origine ad fidei fulcimentum. - Capitulum decimum.

Continuato itaque biennio et amplius hoc labore, cum accensum ignem per hanc viam extinguere non valerent benedicti Dei pugiles, attendentes quod res ista altiori consilio indigeret, clamare ad Sedem apostolicam sunt coacti. Ac ne cepta predicatio remaneret, de ordinandis perpetuis predicatoribus contra hereticos est provisum, Domino inspirante. Et hac de causa sub beato episcopo domino Fulcone ordo Predicatorum principaliter est exorsus, quorum vexillifer beatus Dominicus prelationem suscepit pariter et laborem, super quo non interest meam narrationem prosequi, cum per hystoriam vite sue et ordinis ubique dilatati evidentiam iam sit volentibus atque nolentibus manifestum. Verumque est secundum quod beatus dicit Apostolus oportuisse hereses esse in nostris regionibus, ut ordo probatus non tam apud nos quam apud totum mundum fructuosus et publicus appareret.

Periculo igitur terre apud Sedem apostolicam, cui tunc preerat Summus Pontifex dominus Innocentius papa tercius, declarato, mittitur legatus dominus Arnaldus Amalricus abbas Cistercii, vir quidem magne religionis et providencie, negotio quod dissimulari non poterat provisurus. Cumque iam tantum heresis excrevisset, magnatibus terre consentientibus, quod non tam studiosos in se posset acuere quam armatam manum militie exercere, destinantur in Franciam, que semper consuevit gerere bella Dominica, ad regem et barones et plebem viri ydonei, indulgentiam auctoritate apostolica predicare contra hereticos, que concedi transfretantibus in terre sancte subsidium consuevit.

TÉMOIGNAGES SUR DES RÉCONCILIATIONS D'HÉRÉTIQUES PAR DOMINIQUE
(p. 138-146)

KOUDELKA Vladimír, *Monumenta diplomatica S. Dominici*, *MOPH* 25, Rome : Santa Sabina, 1966, 177-180.

Le P. Simon Tugwell a bien voulu nous transmettre un certain nombre de corrections, en particulier sur les dates.

A.
REGISTRE D'INQUISITION DU TRIBUNAL DE CARCASSONNE (1243).

Anno quo supra [millesimo ducentesimo quadragesimo tertio], VII kal(endas) Septembris [26 Augusti], Marquesa, uxor quondam Bertrandi de Pauliniano, olim de Fanoiovis, modo de Pauliniano, testis iurata ... dixit quod Ermengardis, mater ipsius testis, recessit cum Turcha heretica a castro Fanoiovis et ivit apud Avellanet et ibi hereticavit se et assumpsit habitum hereticorum. Et tunc ipsa testis hoc audito cucurrit illuc ad matrem suam et reduxit eam secum apud Fanumiovis et deseruit ibi dictam sectam et fuit ibi reconciliata per fratrem Dominicum. Interrogata dixit quod ipsa non adoravit tunc matrem suam nec alios hereticos. De tempore sunt triginta duo anni etc.

B. REGISTRE D'INQUISITION DU TRIBUNAL DE TOULOUSE (1245-1246)

De Manso Sanctarum Puellarum

1. Item anno et die quo supra [19 Maii 1245], naSegura, uxor Willelmi Vitalis, testis iurata dixit... quod, quando erat puella circa X annos, fuit heretica induta et stetit heretica bene per quinquennium et postea exivit inde, et sunt XL anni. Et tunc stabant heretici publice apud Mansum. Item dixit quod credidit hereticos esse bonos homines et veraces et amicos Dei. Et audivit hereticos loquentes quod hostia sacrata non erat corpus Christi et ipsa testis credebat sicut ipsi dicebant. De aliis erroribus non audivit eos loquentes. Et fuit confessa aliis inquisitoribus et postea non vidit hereticos nec misit eis aliquid nec ab eis recepit; quam confessionem credit esse veram. Et beatus Dominicus reconciliavit ipsam testem de heresi. Dictus episcopus Tholosanus dedit ipsi testi duas cruces et multis diebus non portavit cruces et pluribus vicibus portavit eas coopertas quam discoopertas.

2. Item anno et die quo supra Ermengart, uxor Petri Boer, testis iurata, dixit quod in domo Bernardi de Canasta vidit Hysarnum de Castras et socium suum, hereticos, et non recolit si viderit aliquos cum eis. Et ipsa testis adoravit eos ibi et fuit hereticata et dictus Hysarnus hereticavit eam ibi. Et tunc heretici manebant publice per terram et sunt XL anni vel circa. Et reconciliavit eam beatus Dominicus. Item post reconciliationem tenuit in domo sua Rixendem et sociam suam, hereticas, et manserunt ibi per annum vel circa. Et Willelmus Vitalis et Segura, uxor eius, et Companhet mittebant per ipsam testem hereticabus panem et vinum, et Arnaldus Maestre misit illis unam eminam frumenti et Willelmus de Canast Bru emit illis hereticabus unum vas olei.

3. Item anno et die quo supra [I Iunii 1246] Raimunda, uxor Willelmi Gasc, testis iurata, dixit quod vidit plures hereticos publice manentes apud Mansum, et sunt L anni vel circa. Et tunc ipsa testis fuit facta heretica et hereticavit eam Ysarnus de Castras, et fuit ibi cum hereticis heretica induta per duos annos et postea fuit gratis conversa ad fidem catholicam... Item dixit quod credidit hereticos esse bonos homines et veraces et amicos Dei, licet sciret quod Ecclesia persequeretur eos ; et sunt L anni quod hoc credidit et sunt XII anni quod non credit. Et audivit eos dicentes errores de visibilibus quod Deus non fecerat ea, de hostia sacrata quod non erat corpus Christi, de matrimonio quod non valebat, de carnis resurrectione quod non erit. Et ipsa testis credidit sicut ipsi dicebant et fuit confessa aliis inquisitoribus, quam confessionem credit esse veram. Et post illam confessionem non vidit hereticos nec dedit eis aliquid nec misit ; alibi non vidit hereticos nec adoravit nec eorum predicationem audivit. Et reconciliavit eam beatus Dominicus, sed postea vidit, adoravit et credidit hereticos esse bonos homines et habuit cruces ab episcopo Tholosano, sed semper portavit cruces coopertas extra domum.

De Las Bordas

4. Anno Domini M°CC°XL°V°, X° kalendas Decembris [22 Novembris 1245] P. Baudriga, testis iuratus, dixit quod viderit hereticos stantes publice apud Laurac et apud Las Bordas, sed numquam adoravit nec vidit adorari, et sunt xxxv anni vel circa. Dixit tamen quod Arnaldus Baudriga, pater ipsius testis, fuit hereticus per vii annos et intravit Montem Securum, sed postea fuit reconciIiatus a fratre Dominico ordinis Predicatorum et rediit ad gremium matris Ecclesie.

De Villanova Comitali

5. Anno et die predictis [15 Maii 1246], Saura, uxor Willelmi Bonet, testis iurata, dixit quod, dum esset vii annorum, fecit se hereticam et stetit heretica induta per tres annos, et stabat apud Villamnovam et cum Alazaisia de Cuguro et sociis suis hereticabus, sed nullum vidit ibi venientem ad dictas hereticas quod recolat. Et fuit reconciIiata a fratre Dominico de ordine Predicatorum, et sunt XLV anni quod ipsa fuit reconciliata.

De Fanoiovis

6. Anno quo supra, IIII° Ydus Martii [12 Martii 1246], Willelma Martina, uxor quondam Willelmi Lombardi, testis iurata super heresi, dixit quod, dum erat iuvenis, vidit plures hereticos et hereticas apud Fanumiovis et pluries dicti heretici dederunt sibi panem et nuces amore Dei, et pluries ipsa testis portavit canels hereticorum textoribus et adoravit hereticos pluries sicut ipsi heretici docebant ipsam, et sunt xl anni vel circa. Dixit etiam quod predicta fuit confessa fratri Dominico de ordine Predicatorum et habuit penitentiam ab ipso quod portaret duas cruces a parte ante per duos annos et quod in ilIis duobus annis non comederet carnes nisi in die Natalis Domini, Pasche et Pentecostes ; et ipsa testis complevit predictam penitentiam et habuit litteras de predicta penitentia ab ipso fratre Dominico et amisit eas quando castrum Fanumiovis fuit combustum per comitem Montisfortis.

7. Anno et die predictis Arnalda de Fremiac, uxor quondam Arnaldi de Fremiag, testis iurata super heresi et valdesie, dixit quod, dum erat iuvenis, Hysarnus Bola, avunculus ipsius testis, compulit ipsam intrare sectam hereticorum et fuit heretica induta per VI annos ; et dum ipsa testis fuit hereticata interfuerunt dicte hereticationi Saura, uxor Raimundi Amelii del Morter, defuncta, et Curta, uxor Raimundi Ferrandi, defuncta, et Raimundus Ferrandi, defunctus ; et vidit plures homines de Fanoiovis et mulieres ad hereticos qui modo sunt defuncti. Et fuit confessa

fratri Dominico et reconciliavit ipsam et habuit penitentiam quod portaret duas cruces a parte ante quousque duceret maritum ; et portavit eas per unum annum et postea duxit maritum.

8. Anno et die predictis [12 Maii 1246] Covinens, uxor B. Mairanel, testis iurata, dixit quod, cum ipsa testis esset X annorum vel XII, Petrus Coloma, frater ipsius testis, erat credens hereticorum et fecit eam dari hereticis ; et ipsa testis fuit heretica induta per duos annos, et tunc manebant heretici publice apud Fanumiovis et per totam illam terram, et ipsa testis manebat cum dictis hereticis apud Fanumiovis et adoravit pluries hereticos et vidit adorare plures sed, postquam recognovit se, noluit esse cum hereticis, ymo dimisit sectam hereticorum eorum et accepit virum et stetit in fide catholica postea sicut bona christiana ; et sunt XXXIIII anni vel circa... Item dixit quod Petrus Coloma, frater ipsius testis, fecit se hereticum ; et postquam fuit hereticus, ipsa dedit ei panem et vinum semel et adoravit eum, et fuit tempore supradicto, et fuit reconciliata per sanctum Dominicum.

De Villapicta

9. Anno quo supra, II kalendas Martii [28 Februarii 1246], Poncius Auterii, testis iuratus, dixit quod Raimundus Auterii, pater ipsius testis, et Raimunda, mater ipsius testis, fuerunt heretici et postmodum conversi et reconciliati, ita tamen quod dictus pater ipsius testis fuit reconciliatus per beatum Dominicum apud Prulianum, et super hoc habuit litteras testimoniales ab eodem, et sunt XXXV anni ; et dicta mater ipsius testis fuit reconciliata per abbatem de Villalonga, et sunt XXX anni et amplius.

De Brom

10. Anno Domini M°CC°XL° sexto, II [...] Iunii, Poncius Marcelli requisitus de veritate dicenda de se et de aliis vivis et mortuis super crimine heresis et valdesie, testis iuratus, dixit quod, dum ipse testis esset puer, stetit apud Fanumiovis cum Willelmo de Podiosiurano et Guillelmo de Podiosiurano hereticis per duos annos et pluries adoravit eos, totiens quod non recordatur, et postea exivit inde et stetit cum sancto Dominico bene per XII annos et amplius, et postea non vidit hereticos nisi captos. Et sunt XL anni vel circa.

De Castro Novo Darri

11. Anno quo supra, II kalendas Martii [28 Februarii 1246], Willelmus Auterii quondam de Villapicta, nunc de Castro Novo Darri, testis iuratus, dixit quod Raimundus Auterii et Raimunda uxor eius, pater et mater ipsius testis, fuerunt heretici, et postea fuerunt ad fidem catholicam conversi et reconciliati per beatum Dominicum et abbatem de Villa Longa, XXX anni sunt et amplius, et super hoc habuerunt litteras reconciliationis. Tamen dicta Raimunda, mater ipsius testis, rediit ad vomitum postea et fecit se hereticam et fuit combusta.

12. Anno et die predictis [8 Iulii 1246] Poncius Iaule, testis iuratus, dixit quod ipse fuit hereticus per tres annos, et tunc stabant publice apud Saxiacum, et sunt L anni, et postea fuit confessus fratri Dominico, a quo habuit litteras quas amisit.

BERNARD GUI
FLEURS DES CHRONIQUES (extraits)
(p. 151-158)

Simon TUGWELL, *Bernardi Guidonis scripta de sancto Dominico*, Romae : Apud Institutum Historicum Ordinis Fratrum Praedicatorum, 1998, p. 109-113.

1. Anno domini MCCVI ab Innocencio papa cum legato duodecim abbates Cisterciensis ordinis in terram Albigensium et in Tholosanum et Carcassesium ad predicandum fidem contra hereticos transmittuntur. Quibus de Hyspania Dydacus Oxomensis episcopus rediens tunc de curia, inueniens eos in Monte Pessulano pariter congregatos, habens secum in comitatu suo fratrem Dominicum sanctitatis et itineris sui comitem, pro hereticis conuertendis adiungitur. Hic est frater Dominicus, qui fratrum predicatorum ordinem inchoauit. Tempore siquidem Innocentii pape duo sollempnes ordines inceperunt, scilicet ordo fratrum predicatorum et ordo fratrum minorum. Ordinem siquidem fratrum predicatorum incepit sanctus Dominicus in partibus Tholosanis, ubi contra hereticos uerbo et exemplo exorsus est quasi biennio antea predicare sub anno domini MCCIII, pontificatus domini Innocencii pape anno VI, a primo exordio computando quo sanctus Dominicus Tholosam peruenit cum domino Dydaco episcopo Oxomensi in Marchias siue in Daciam proficiscens et hospitem suum ab heretica prauitate conuertit prima nocte qua Tholose hospitio sunt [sunt] recepti sub anno domini pretaxato MCCIII.

2. Anno domini MCCXIII die martis post natiuitatem beate Marie, scilicet IIII ydus septembris, Petrus rex Aragonum, habens secum magnum exercitum Aragonensium et Cathalanorum, ac etiam comites Raymundus Tholosanus et Fuxensis ac Conuenarum ciuesque cum populo Tholosano cum exercitu copioso usque ad centum milia pugnatorum, exeuntes de Tholosa, obsederunt castrum Murelli, situm in ripa Garone non longe a Tholosa, cum magna potentia et maiori superbia contra deum et ecclesiam et contra dei alletam Symonem comitem Montis Fortis, qui causam dei et fidei pro obedientia Romane ecclesie contra hereticos et credentes ac fautores ipsorum assumpserat et gerebat et dictum castrum stabiliuerat contra fidei inimicos dimissis ibidem paucis tunc militibus quos habebat. Cumque innotuisset comiti Symoni memorato de Fano louis, ubi tunc erat, tanquam leo fortissimus obsessis suis properat in succursum. Et sequenti die mercurii cum exercitu signatorum dei et septem episcopis ac tribus abbatibus, de mandato legati sedis apostolice archiepiscopi Narbonensis, ad castrum Murelli perueniens ad suos uidentibus et inuitis aduersariis introiuit. Prefati autem episcopi ceperunt missis ad regem nunciis que pacis erant querere et tractare. Qui etiam nudis pedibus decreuerant ad eum accedere, ut tantam cordis eius duriciam emollirent et consulerent ei ac populo pereunti.

Cumque misissent nuncium ad regem qui talem episcoporum nunciaret aduentum, ecce ex aduerso hostes insiliunt et impugnant, cumque prefatus rex nec monitis nec inhibitionibus apostolicis per destinatas litteras sibi factis nec piis precibus et exortationibus prelatorum a male inceptis uellet desistere, quamuis sibi plene innotuisset quod prefati comites et omnes fautores, coadiutores ac defensores eorum erant graui uinculo anathematis innodati eo quod dei ecclesiam impugnarent et hostes fidei manifestius defendebant, et sub ipsorum dominio pullulabant hereses et multiplicabantur heretici contra fidem, sequenti die Iouis, scilicet in uigilia exaltationis sancte crucis, memoratus Symon uir catholicus cum exercitu cruce signatorum quem modicum tunc habebat, sed deo non est difficile pugnare in multitudine uel cum paucis, decreuit exire in

campum obuiam obsessoribus confidenter. In exercitu siquidem Symonis, inter milites et seruientes, in equis non erant amplius quam octingenti, pedites autem pauci, ita quod insimul esse poterant quasi mille. In exercitu autem regis et comitum ex aduerso esse circiter centum milia credebantur.

Itaque pugiles Christi, factis confessionibus peccatorum et audito ex more officio diuino ciboque salutari altaris refecti et prandio sobrio confortati, arma sumunt et ad prelium se accingunt. Benedictione itaque episcoporum percepta adoratoque in manu episcopi Tholosani uiuifice ligno crucis et concessa plena indulgentia peccatorum, exeunt extra castrum. Ordinatis igitur aciebus ex aduerso a rege cum comitibus ad campum ueniunt et ad pugnam. Comesque Symon ac sui tribus ordinibus usu ut optime nouerant militari tanto impetu in hostes irruunt quod ipsos in primo congressu a campo ut uentus a facie terre puluerem propulsarunt. Deinde ad regis aciem ubi uexillum eius nouerant se conuertunt. Tantaque pressura in ipsum irruunt quod armorum collisio et sonitus ictuum per aera longius ferebantur ac si multe secures nemora detruncarent. Mortuusque est rex ibidem et magnates plures de Aragonia circa ipsum uirtusque altissimi per manus seruorum suorum hostes suos confregit et comminuit in momento. Terga enim uertentes in fugam tres comites et alii plures facti sunt tanquam puluis a facie uenti et angelus domini persequens eos erat. Quidam igitur turpiter fugientes turpi fuga mortis periculum euaserunt. Alii uero uitantes gladios aque periculo perierunt. Quamplures uero fuerunt in ore gladii deuorati. Ex Tholosanis autem multa milia tam gladio cesi quam in Garone flumine sunt submersi. Erat autem uidere quedam humana pietas et audire lamenta Tholose plangencium mortuos suos, quando uix uacabat domus que plangendum mortuum non haberet uel quem credebat in carcere moriturum. Quamuis autem pre multitudine sciri non potuerit certus numerus hostium prostratorum, estimati tamen fuerunt usque ad uiginti milia tam occisorum gladio quam in Garone flumine submersorum. De militibus autem Christi solus unus interemptus est in conflictu et paucissimi seruientes.

Interim autem dum bellum domini gerebatur septem episcopi qui conuenerant, scilicet Fulco Tholosanus et Guido Carcassonensis et Sedisius Agathensis, Nemausensis, Uticensis, Lodouensis et Conuenarum, ac tres abbates, scilicet de Clayraco, de Villa Magna et Sancti Tyberii, cum suis clericis et aliquibus religiosis, inter quos aderat religiosus dei amicus frater Dominicus canonicus Oxomensis, postmodum fratrum predicatorum ordinis institutor, ecclesiam intrauerunt exemplo Moysi in bello losue leuantes manus in celum deprecantes dominum pro seruis suis, qui se mortis imminentis periculo pro eius nomine ac fide exponebant. Orantes uero et clamantes in celum tantum mugitum pro imminenti angustia emittebant quod ululantes uidebantur potius quam orantes.

Post hec precepit nobilis comes Symon quibusdam de suis ut adducerent eum ad locum ubi rex Aragonum fuerat interemptus ueniensque ad locum inuenit corpus regis prostratum in medio campo pariter et nudatum. Pedites siquidem ipsum nudauerant armis suis. Piissimus autem comes uidens regem iacentem prostratum descendit de equo, alterum Dauid super Saul alterum representans.

Christianissimus autem comes habita uictoria gloriosa, intelligens tantum miraculum dei uirtute non humanis uiribus esse factum, ab illo loco ubi descendit nudus pedes ad ecclesiam perrexit omnipotenti deo pro collata uictoria gratias redditurus equumque suum et arma pauperibus in elemosinam erogauit.

Premissa uero de pugna et causa eius ac uictoria subsequuta memorati VII episcopi et abbates seriosius conscripserunt et sub sigillorum suorum testimonio uniuersis Christi fidelibus transmiserunt.

DU DIOCÈSE DE TOULOUSE
À L'ÉGLISE UNIVERSELLE :
ORDRE DE LA PRÉDICATION,
ORDRE DES PRÊCHEURS
(p. 172-198)

KOUDELKA Vladimír, *Monumenta Diplomatica S. Dominici*, *MOPH* 25, Romae : Ad S. Sabinae, 1966, 63, p. 56-57 (n°1) ; 73, p. 68-69 (n°2) ; 77, p. 71-76 (n°3) ; 78, p. 76-78 (n°4) ; 79, p. 78-79 (n°5) ; 81, p. 80-81 (n°6) ; 86, p. 86-87 (n°7) ; 114, p. 118-119 (n°8) ; 122, p. 124 (n°9) ; 123, p. 124-125 (autre édition, Simon TUGWELL « Notes on the life of St Dominic », *AFP* 66 (1996), p. 172-173) (n°10) ; 153, p. 154-156 (n°11).

1

In nomine Domini nostri Ihesu Christi. Notum sit omnibus presentibus et futuris quod nos F(ulco), Dei gratia Tolosane sedis minister humilis, ad extirpandam hereticam pravitatem et vitia expellenda et fidei regulam edocendam et homines sanis moribus imbuendos, instituimus predicatores in episcopatu nostro fratrem Dominicum et socios eius, qui in paupertate euuangelica pedites religiose proposuerunt incedere et veritatis euuangelice verbum predicare.

Et quia dignus est operarius cibo suo et hos bovis triturantis non est obturandum, imo qui euuangelium predicat de euuangelio debet vivere, volumus ut, cum predicando incesserint, de episcopatu habeant victus et necessaria, et consensu capituli ecclesie Beati Stephani et cleri Tolosane diocesis asignamus in perpetuum predictis predicatoribus et aliis quos zelus Domini et amor salutis animarum eodem modo ad idem predicationis officium accinxerit medietatem tertie partis decime que asignata est ornamentis et fabrice ecclesiarum omnium parrochialium ecclesiarum que in nostra postestate sunt, ad indumenta et cetera necessaria in infirmitatibus suis et cum quiescere aliquando voluerint.

Si quid vero post annum superfuerit, volumus et statuimus ut ad easdem parrochiales ecclesias refundatur adhornandas, vel ad usus pauperum secundum quod episcopus viderit expedire.

Cum enim iure cautum sit quod aliquanta pars decimarum debeat semper pauperibus assignari et errogari, constat illis pauperibus nos teneri partem aliquam decimarum potius asignare qui, pro Christo euuangelicam paupertatem eligentes, universos et singulos exemplo et doctrina donis celestibus nituntur et elaborant ditare, ut a quibus nos metimus temporalia, per nos et per alios possimus congruenter et oportune spiritualia seminare.

Datum anno Verbi incarnati M° CC° XV°, regnante Phylippo rege Francorum, et comite Montis Fortis principatum Tolose tenente, et eodem F(ulcone) Tolosano episcopo.

2

In nomine Domine (*sic*) Ihesu Christi. Amen. Anno ab Incarnatione eiusdem M°CC° XVI, mense Iulii. Noverint praesentes et futuri quod nos M(ascaronus), Dei gratia ecclesiae Tolosanae praepositus, et conventus eiusdem loci ammoniti et adducti precibus venerabilis patris nostri F(ulconis) Tolosani episcopi, damus et donando concedimus in perpetuum titulo perfectae donationis fratri Dominico, priori et magistro Praedicatorum et sociis praesentibus et futuris

capellam Sancti Romani cum oblationibus suis, libere et quiete perpetuo possidendam, et quod ibi habere et facere possint cimiterium ad opus fratrum suorum canonicorum et conversorum professorum ; alium autem neminem accipiant ad sepulturam.

Si autem aliquid in mortis articulo positus vellet ibi habitum percipere et professionem facere, liberam habeant potestatem recipiendi, ita tamen quod, si de illa infirmitate obierit, ecclesia Sancti Stephani habeat tertiam partem de omnibus relictis et donatis ibi capellae ; si autem convaluerit, ibi remaneat cum omnibus relictis et donatis.

Praedictam vero donationem facimus ita ut non exerceantur iura parrochialia ibi, nisi de licentia petita et impetrata a praeposito vel cellerario Sancti Stephani, et retento ibi servitio iii solidorum Tolosanorum in Pascha persolvendo singulis annis.

Actum hoc in capitulo, praesente domino F(ulcone), episcopo Tolosano, et omnibus canonicis qui tunc temporis erant in ecclesia Sancti Stephani, et praesente magistro P., archidiacono Villemuriensi, et Francisco et G. de Tolosa, cellerariis, et G. Cabiscol, sacrista, et P. Donati.

Hoc totum fuit ibi iuratum utraque parte in praesentia praedictorum, ut inviolabiliter in perpetuum observetur, et ut plus firmitatis obtineat nos F(ulco), Tolosanae sedis minister humilis, sigillum nostrum apposuimus instrumento, et nos M(ascaronus), ecclesiae Tolosanae praepositus, similiter ut plus firmitatis obtineat, sigillum nostrum apposuimus instrumento.

3

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Dominico, priori Sancti Romani Tolosani, ejusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat.

Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus et ecclesiam Sancti Romani Tolosani, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus.

In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini regulam in eadem ecclesia institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Preterea quascumque possessiones quecumque bona eadem ecclesia inpresentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum in quo prefata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam de Prolano cum omnibus pertinentiis suis ; villam de Cassenolio cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam Sancte Marie de Lescura cum omnibus pertinentiis suis ; hospitale Tolosanum quod dicitur Arnardi Bernardi cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam Sancte Trinitatis de Lobens cum omnibus pertinentiis suis et decimas a venerabili fratre nostro Fulcone, Tolosano episcopo, de assensu capituli sui, vobis pia et provida liberalitate concessas, prout in eorumdem litteris plenius continetur.

Sane novalium vestrorum, que propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat.

Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere.

Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in ecclesia vestra professionem fas sit sine prioris sui licentia de eodem loco, nisi arctioris religionis obtentu, discedere ; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere.

In parrochialibus vero ecclesiis quas habetis liceat vobis sacerdotes eligere et diocesano episcopo presentare, quibus, si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere.

Statuimus preterea ut nulli liceat ecclesie vestre novas et indebitas exactiones imponere aut in vos vel in predictam ecclesiam vestram, sine manifesta et rationabili causa, excommunicationis vel interdicti sententias promulgare.

Cum autem generale interdictum terre fuerit liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare.

Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi a diocesano suscipiatis episcopo, si quidem catholicus fuerit et gratiam et communionem sacrosancte Romane sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere; alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem apostolice Sedis habentem, qui, nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatur impendat.

Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen iustitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Obeunte vero te nunc eiusdem loci priore vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars maioris et sanioris consilii secundum Deum et beati Augustini regulam providerint eligendum.

Libertates quoque et immunitates antiquas et rationabiles consuetudines ecclesie vestre concessas et hactenus observatas ratas habemus et eas perpetuis temporibus illibatas permanere sanccimus.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis apostolice auctoritate et diocesani episcopi canonica iustitia.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Ihesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat.

Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Ihesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Perfice gressus meos in semitis tuis. Bene valete

Sanctus Petrus. Sanctus Paulus.

Honorius papa III

Ego Honorius catholice Ecclesie episcopus ss.
Ego Nicholaus Tusculanus episcopus ss.
Ego Guido Prenestinus episcopus ss.
Ego Hugolinus Ostiensis et Velletrensis episcopus ss.
Ego Pelagius Albanensis episcopus ss.
Ego Cinthius tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis ss.
Ego Leo tituli Sancte Crucis in Iherusalem presbyter cardinalis ss.
Ego Robertus tituli Sancti Stephani in Celio monte presbyter cardinalis ss.
Ego Stephanus basilice Duodecim Apostolorum presbyter cardinalis ss.
Ego Gregorius tituli Sancte Anastasie presbyter cardinalis ss.
Ego Petrus tituli Sancti Laurentii in Damaso presbyter cardinalis ss.
Ego Thomas tituli Sancte Sabine presbyter cardinalis ss.
Ego Guido Sancti Nicolay in carcere Tulliano diaconus cardinalis ss.
Ego Octavianus Sanctorum Sergii et Bachi diaconus cardinalis ss.
Ego Iohannes Sanctorum Cosme et Damiani diaconus cardinalis ss.
Ego Gregorius Sancti Theodori diaconus cardinalis ss.
Ego Rainerius Sancte Marie in Cosmedin diaconus cardinalis ss.
Ego Romanus Sancti Angeli diaconus cardinalis ss.
Ego Stephanus Sancti Adriani diaconus cardinalis ss.

Datum Rome apud Sanctum Petrum per manum Ranerii, prioris Sancti Fridiani Lucani, sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, XI kalendas Ianuarii, indictione V, Incarnationis dominice anno M° CC° XVI°, pontificatus vero domini Honorii pape tertii anno primo.

4

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistris et scolaribus Parisius commorantes salutem et apostolicam benedictionem.

Olim in partibus Tolosanis terra velud deserta et invia luxit et languit spinis eam replentibus et urticis factaque cubile draconum et pascua strutionum in tenebris et umbra mortis fere totaliter versabatur, dum pene omnes divino abiecto timore post concupiscentias suas ibant et facta in oblivione iustitia qui recessit a malo prede patuit perversorum, qui letabantur cum male fecissent et in rebus pessimis exultabant variisque involuti erroribus veritatis lumen nullatenus requirebant. Nunc autem Dominus cuius miserationes super omnia opera sunt eiusdem per ministerium servorum suorum qui fidei zelo succensi ad emundandam terram illam indefessa sollicitudine laborarunt videtur in deserto viam et in invio flumina posuisse, ut eum agri bestia, structiones glorificent et dracones, quia gentes regionis illius redire ad Dominum cupientes a viis suis pessimis convertuntur et profugatis hereticis vel correptis salutis monita concupiscunt.

Verum ne, si terra illa quasi novale novata culta non fuerit <a> novis cultoribus et colonis, radices in ea pullulent extirpate illucque confugiant reptilia venenata et sic fiant novissima eius prioribus graviora, nos attendentes multos per Dei gratiam inter vos esse quibus in lege Domini est voluntas et qui tanquam lignum secus decursus aquarum plantatum, iam diu secus frumenta doctrine sedentes melius amodo fructificare valeant transplantati, universitatem vestram rogamus attentius et monemus, per apostolica scripta mandantes quatinus illuc aliqui ex vobis accedant, qui causam Dei agentes ex animo, lectioni, predicationi et exhortationi vigilanter insistant et sicut boni dispensatores multiformis gratie Dei illam in alterutrum amministrent, ita quod exterminato exinde veteri Gebuseo populum acceptabilem Deo reddant. Nos enim cuilibet illuc divini amoris

intuitu accedenti secundum fervorem devotionis peccatorum suorum veniam de divina confisi misericordia pollicemur, quam indubitanter quisque sperare potest etiam nemine pollicente, quia ille de cuius munere venit ut sibi a fidelibus suis laudabiliter serviatur, dat virtutes et premia elargitur, et in pauca fideles constituit supra multa.

Datum Laterani, XIIII kalendas Februarii, pontificatus nostri anno primo.

5

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus Sancti Romani predicatoribus in partibus Tholosanis, salutem et benedictionem apostolicam.

Gratiarum omnium largitori gratiarum dignas referimus actiones in gratia Dei que data est vobis, in qua et statis et stabitis finaliter ut speramus, quia interius caritatis flamma flagrantes exterius fame fragratis odore, qui et sanas delectat et reficit mentes infirmas ; quibus etiam ne remaneant steriles spirituales mandragoras tanquam studiosi medici exhibentes eas semine verbi divini vestra salutari facundia fecundatis, sic velud servi fideles talenta vobis credita erogantes ut eadem reportetis Domino geminata, sic sicut invicti Christi adlete scuto fidei et galea salutis armati, non timentes eos qui corpus possunt occidere, verbum Dei quod est penetrabilius omni gladio ancipiti magnanimiter contra fidei exeritis inimicos, sic in hoc mundo vestras animas odientes ut in vitam eternam custodiatis easdem.

Ceterum, quia finis non pugna coronat et currentibus in stadio virtutibus universis sola perserverantia bravium accipit destinatum, caritatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, et in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatinus magis ac magis in Domino confortati evangelizare verbum Domini studeatis, oportune importune instantes et opus evangeliste laudabiliter adimplentes. Si quas autem propter hoc tribulationes passi fueritis, non solum eas equanimiter toleretis, sed gloriemini cum Apostolo in eisdem, gaudentes quia digni habiti estis pro nomine Ihesu contumelias sustinere. Hoc enim leve et momentaneum tribulationis immensum pondus glorie operatur, ad quam non sunt condigne huius temporis passiones.

Nos quoque, intendentes vos tanquam speciales filios favorabiliter confovere, petimus ut pro nobis offeratis Domino vitulos labiorum, si forte quod nostris meritis non valemus vestris suffragiis assequamur.

Datum Laterani, XII kalendas Februarii, pontificatus nostri anno primo.

6

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis ... priori et fratribus ecclesie Sancti Romani Tolosano salutem et apostolicam benedictionem.

Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum et vota que a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere.

Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis precibus inclinati, auctoritate apostolica districtius inhibemus ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine tua, fili prior, aut successorum tuorum licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de eodem loco discedere ; discendentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Quod si quis forte retinere presumpserit, licitum sit vobis in ipsos fratres regularem sententiam promulgare.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani, VII idus Februarii, pontificatus nostri anno primo.

7

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis ad quos littere iste pervenerint, salutem et benedictionem apostolicam.

Si personas religiosas diligere ac honorare curetis, Deo cui servire regnare est satis gratum obsequium exhibetis, qui quod uni ex minimis suis fit sibi fieri asseverat.

Rogamus proinde devotionem vestram et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus fratres ordinis Predicatorum, quorum utile est ministerium et religionem credimus Deo gratam, in eorum proposito laudabili confoventes habeatis pro nostra et apostolice Sedis reverentia commendatos, in suis eis necessitatibus assistendo, qui verbum Domini gratis et fideliter proponentes, intendendo profectibus animarum ipsum Dominum solum secuti paupertatis titulum pretulerunt, preces et mandatum nostrum taliter impleturi ut in districti examinis die positi ad dexteram cum electis regnum cum eis percipiatis eternum, non audituri dampnationis sententiam reproborum, quos pro contemptu talium ipse Deus qui se in eorum asserit despectione contempni perpetuo incendio deputabit.

Datum Laterani, iii idus Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

8

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio fratri .D., priori ordinis Predicatorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum ut cum quibusdam de fratribus tuis, quorum quidam adhuc in seculo existentes minus canonice ordines ecclesiasticos assumpserunt aut alias irregularitates modicas incurrerunt, dignaremus cum eis misericorditer dispensare, ut ministrare in ordinibus sic susceptis et ad superiores valeant promoveri.

Nos ergo, de tua discretione gerentes fiduciam pleniorem, per apostolica tibi scripta mandamus quatinus sic, prout eorum saluti videris expedire, cum ipsis dumtaxat qui iam habitum ordinis susceperunt, super hoc misericorditer agas, quod iustitiam non relinquas ac sic moderate mandatum huiusmodi exequaris, quod in extremo districti examinis die dignam coram Domino possis reddere rationem.

Datum Viterbii, XIII kalendas Martii, pontificatus nostri anno quarto.

9

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri ... archiepiscopo Tarraconensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam abundavit iniquitas et refriguit caritas plurimorum, ordinem fratrum Praedicatorum sicut credimus Dominus suscitavit, qui non quae sua sed quae Christi quaerentes tam contra profligandas haereses quam contra pestes alias mortiferas extirpandas se dedicarunt evangelizationi verbi Dei in abiectione voluntarie paupertatis.

Nos igitur eorum pium propositum et necessarium ministerium favore benevolo prosequentes fraternitatem tuam pro eis rogandam duximus et monendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus, ob reverentiam divinam et nostram eos habens devotius commendatos, ad promotionem eorum ordinis taliter intendere studeas, quod apud Deum cui est eorum grata religio possis multipliciter promereri, et dicti fratres per cooperationem tuam et aliorum fidelium roborati suscepti ministerii cursum felicius consumantes optatum reportent sui laboris fructum et finem, salutem videlicet animarum, ac nos devotionem tuam exinde possimus in Domino merito commendare.

Datum Viterbii, II nonas Maii, pontificatus nostri anno quarto.

10

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro Roberto Sancti Victoris, Vincentio de Sillia, Castorgio de Mansu, Iosepho de Flore, Iacobo de Vallis-Umbrose et Doningo de Aquilari monasteriorum monachis salutem et apostolicam benedictionem.

Quia qui seminant super aquas sunt beati et qui frumentum abscondunt in populo maledicuntur, consulte agitis si talentum vobis a Deo creditum in sudario non ligatis, cum a nemine accendatur lucerna et ponatur sub modio, sed super candelabrum, ut cunctis qui in domo sunt luceat statuatur.

Cum ergo dilectus filius frater Dominicus, prior ordinis Predicatorum, magnum credat animarum provenire profectum si quam recepistis a Deo predicationis gratiam iuxta suam erogetis providentiam utilitatibus proximorum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus, pro illius amore qui, propter nimiam caritatem qua dilexit nos de secreto sinu Patris ad publicum humane conditionis exivit, proficiscamini cum ipso fratre Dominico ad proponendum quibus expedire viderit verbum Dei, quo lumine veritatis ostenso errantes ad viam iustitie revertantur, scientes quod nos concessimus fratri predicto ut eidem in ministerio verbi Dei cooperari teneamini, proprium semper habitum deferendo.

Datum Viterbii, IV idus Maii, pontificatus nostri anno quarto.

11

In nomine Domini. Notum sit omnibus hominibus presentem paginam inspecturis quod nos Fulco, Tholosane ecclesie gratia Dei episcopus, donamus et libere concedimus, per nos et successores nostros in remissionem anime nostre et ob tuitionem fidei catholice et ad utilitatem totius dyocesis Tholosane, tibi dilecto nostro Dominico, magistro Praedicationis, et per te tuis successoribus et fratribus eiusdem ordinis, ecclesiam Beate Marie Fani Iovis, quam eidem ordini Predicationis cum decimis, sive ad nos sive ad fabricam ecclesie sive ad capellanum ibidem instituendum quondam pertinentibus, primiciis, oblationibus et cum omnibus iuribus suis et pertinentiis iure perpetuo, et possidendam integre assignamus, te, et per te fratres eiusdem ordinis, cum traditione presentis carte in possessionem inducentes, salvo tamen iure episcopali nobis et successoribus nostris tam in cathedratico quam in procurationibus et visitationibus et in commissione cure animarum illi sacerdoti qui a magistro vel priore in dicta ecclesia a dicto magistro instituto, vel a fratribus iam dicti ordinis nobis vel nostris successoribus fuerit presentatus.

Et nos supradictus D(ominicus), magister Predicationis, per nos et successores et fratres ipsius ordinis, vobis domine F(ulco) episcope, vestrisque successoribus sextam partem

decimarum ecclesiarum parrochialium totius Tholosane dyocesis, quam nobis et ordini predicto de consensu canonicorum Sancti Stephani Tholosani retroactis temporibus libere concessistis sicut in instrumento publico plenius continetur, solvimus et desamparamus in perpetuum, ita quod dictum instrumentum sit penitus irritum et inane, renuntiantes omni legum et canonum auxilio quod nobis vel ordini antedicto ex donatione vestra vel alio modo super predicta sexta parte decimarum posset competere vel valere.

Ut autem omnia supra dicta omni firmitate subnixa permaneant, sigillorum nostri et D(ominici), magistri Predicationis prefati, munimine fecimus roborari.

Actum in Urbe Rome, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo primo, indictione nona, XV kalendas Maii, presentibus ad hoc vocatis Aymerico et Petro, monachis Cisterciensis ordinis, et fratre Bertrando, converso eiusdem ordinis, et magistro Arnaldo de Campragnano et Willelmo Calveto et me Guillermo Gayraudo qui hec rogatus scripsi, domino Amico, Arelatensi archidiacono, dictante.

CONSTITUTIONS ANCIENNES
DE L'ORDRE DES FRÈRES PRÊCHEURS
(p. 205-263)

A. H. THOMAS, *De oudste Constituties van de Dominicanen*, Louvain, 1965.

Nous utilisons l'édition provisoire qui nous a été généreusement communiquée par le P. Simon Tugwell.

(Préambule a) Anno ab incarnatione domini M°CC°XX°VIII° conuenerunt Parisius in domo sancti Iacobi XII priores prouinciales una cum Iordano magistro ordinis nostri, singuli cum duobus diffinitoribus sibi a prouincialibus capitulis deputatis, ubi fratres omnes uota sua unanimiter transtulerunt, eisdem potestatem plenariam concedentes ut quicquid ab ipsis fieret siue in constituendo siue in destituendo, mutando, addendo uel diminuendo, decetero firmum ac stabile permaneret. Non liceret alicui quantecumque auctoritatis capitulo eorum aliquid immutare quod ipsi statuerunt perpetuis temporibus permansurum. Priores igitur iam prefati cum suis diffinitoribus, gratia spiritus sancti inuocata, quasdam constitutiones ad utilitatem et honestatem et conseruationem ordinis, premissa diligenti examinatione, unanimiter et concorditer ediderunt, quas in locis suis inter constitutiones alias inserere procurarunt.

(b) Inter constitutiones autem quasdam uoluerunt inuiolabiliter et immutabiliter in perpetuum obseruari, uidelicet de possessionibus et redditibus nullatenus recipiendis, de appellationibus remouendis, et quod non possit per fratres diffinitores prioribus prouincialibus neque per priores fratribus in suis diffinitionibus in aliquo preiudicium generari. Quasdam uero sic uoluerunt immutabiles permanere ut non nisi a consimili capitulo, nouis emergentibus causis, articulis, casibus et negociis, de ipsis possit aliquid pro tempore immutari, uidelicet de constitutionibus non faciendis nisi per tria generalia capitula fuerint approbate, de non equitando, de expensis non portandis, de carnibus nisi causa infirmitatis non comedendis, ita tamen ut in hiis pro loco et tempore prelato liceat dispensare.

Incipiunt consuetudines fratrum predicatorum. Incipit prologus.

(Prol. a) Quoniam ex precepto regule iubemur habere cor unum et animam unam in domino, iustum est ut qui sub una regula et unius professionis uoto uiuimus uniformes in obseruantiis canonice religionis inueniamur, quatinus unitatem que interius seruanda est in cordibus foueat et representet uniformitas exterius seruata in moribus. Quod profecto eo competentius et plenius poterit obseruari et memoriter retineri, si ea que agenda sunt scripto fuerint commendata, si omnibus qualiter sit uiuendum scriptura teste innotescat, si mutare uel addere uel minuere nulli quicquam propria uoluntate liceat, ne, si minima negligimus, paulatim defluamus.

(b) Ad hec tamen in conuentu suo prelatus dispensandi cum fratribus habeat potestatem, cum sibi aliquando uidebitur expedire, in hiis precipue que studium uel predicationem uel animarum fructum uidebuntur impedire, cum ordo noster specialiter ob predicationem et animarum salutem ab initio noscatur institutus fuisse, et studium nostrum ad hoc principaliter ardenterque summo opere debeat intendere, ut proximorum animabus possimus utiles esse.

(c) Eapropter, ut unitati et paci totius ordinis prouideamus, librum istum, quem librum consuetudinum appellamus, diligenter conscripsimus, in quo duas distinctiones notauimus.

(d) Prima distinctio continet qualiter se habeant fratres in suo monasterio in die, qualiter in nocte, qualiter nouitii, qualiter infirmi, qualiter minuti, et de silentio, et de culpis.

(e) Secunda distinctio de prouinciali capitulo et generali, et studio, et predicatione.

(f) Unicuique autem harum distinctionum propria capitula assignauimus et assignata scripsimus, ut, cum aliquid a lectore queritur, sine difficultate inueniatur.

De matutinis.

De capitulo et prima, missa et horis aliis.

De refectione et cibo.

De collatione et completorio.

De infirmis et minutis.

De nouitiis et silentio.

De uestitu.

De rasura.

De culpis.

De matutinis.

(1a) Audito primo signo surgant fratres dicendo matutinas de beata uirgine pro tempore. Quibus finitis, cum fratres in chorum uenerint, inclinent ante altare profunde. Et cum ad sedes suas uenerint, facto signo a prelato, flexis genibus uel inclinati <profunde> pro tempore, dicant Pater noster et Credo in deum. Et iterum facto signo a priore surgant.

(b) Hora itaque deuote incepta, uersi ad altare muniant se signo crucis; et ad Gloria patri inclinet chorus contra chorum profunde uel prosternat se pro tempore, usque ad Sicut erat.

(c) Et hoc faciendum est quotiens Pater noster et Credo in deum dicuntur, nisi in missa et ante lectiones et in gratiarum actione. Idem etiam faciendum est ad primam collectam in missa et ad post communionem, et similiter ad orationem pro ecclesia, et in singulis horis ad collectam et ad Gloria patri quotiens in inchoatione hore dicitur. Ad omnia autem alia Gloria patri, et ad extremos uersus ymnorum, et ad penultimum uersum cantici Benedicite, inclinamus usque ad genua, et quando cantatur Gloria in excelsis deo ad Suscipe deprecationem nostram, et in Credo in missa ad Homo factus est, et iterum in benedictione lectionis. Item in capitulo ad orationem Sancta Maria, et in omni oratione quando nomen beate uirginis nominatur.

(d) Hora itaque predicto more incepta, postquam <ad> Gloria post Venite inclinauerint, stet chorus contra chorum. Deinde ad primum psalmum sedeat unus chorus, ad secundum stet et similiter sedeat alter chorus; et sic alternent usque ad Laudate dominum de celis. Et sic faciant ad omnes horas.

(e) Finitis matutinis tenetur capitulum, uel aliquando post primam, aliquando etiam intermittitur ne studium impediatur, secundum quod uidebitur prelato.

<De capitulo.>

(2a) Ingresso conuentu capitulum lector pronuntiet lunam et que de kalendario pronuntianda sunt, et sacerdos prosequatur, Pretiosa etc. Et residentibus fratribus lector pronuntiet lectionem de institutionibus uel de euangelio pro tempore, premisso Iube dompne, et ebdomadarius subiu<n>gat benedictionem, Regularibus disciplinis uel Diuinum auxilium, pro tempore. Et facta absolutione pro defunctis, dicat qui tenet capitulum Benedicite. Et responso Dominus inclinent omnes.

(b) Deinde recitatis beneficiis et dicto a priore Retribuere dignare etc., dictis etiam a conuentu psalmis Ad te leuaui et De profundis, Kyrieleison cum Pater noster, subsecutis etiam hiis tribus uersiculis, scilicet Oremus pro domino papa, Saluos fac seruos tuos, Requiescant in

pace, ab ebdomadario dicendis cum hiis tribus collectis, Omnipotens sempiterne deus qui facis, Pretende, Fidelium deus, resideant fratres.

(c) Tunc prelatus poterit dicere breuiter, si quid ad honestatem uel correctionem fratrum uiderit expedire. Post egrediantur nouitii.

(d) Quibus egressis dicat qui preest, Faciant uenias qui se reos estimant. Continuo qui se reos intellexerint prostrati ueniam petant. Deinde surgentes humiliter confiteantur culpas suas. Et quorum culpa talis <est> que digna est correctione preparent se ad correctionem, quam correctionem faciat prior uel ille cui prior iniunxerit.

(e) In capitulo fratres nisi duabus de causis non loquantur, scilicet culpas suas uel aliorum simpliciter dicendo, et prelatis suis tantum ad interrogata respondendo.

(f) Nullus faciat proclamationem super aliquem ex sola suspicione.

(g) Quando prelatus iniunxerit aliquam orationem inclinent omnes. Similiter omnes faciant quibus aliquid facere uel dicere iniunx<er>it. Si uero aliquam obedientiam uel officium uel ministerium aliquod cuiuis iniunxerit, humiliter prosternens se suscipiat quod iniunctum fuerit ei.

(h) Auditis culpis dicitur psalmus Laudate dominum omnes gentes, cum uersu, Ostende nobis domine et Dominus uobiscum et collecta, Actiones nostras etc. In fine dicat prior, Adiutorium nostrum etc., et sic soluitur capitulum.

De mulieribus non intromittendis.

(3) Mulieres claustrum, officinas nostras et oratorium numquam ingrediantur, nisi in consecratione ecclesie. In parasceue uero chorum poterunt intrare usque ad officium. Sed in ecclesia laicorum uel extra in loco determinato prior eis de deo et de spiritualibus loquatur.

De horis et de modo dicendi.

(4a) Matutinas et missam et omnes horas canonicas simul audiant fratres nostri, et simul comedant, nisi cum aliquibus prelatus aliter dispensare uoluerit.

(b) Hore omnes in ecclesia breuiter et succincte taliter dicantur ne fratres deuotionem amittant et eorum studium minime impediatur. Quod ita dicimus esse faciendum ut in medio uersus metrum cum pausa seruetur non protrahendo uocem in pausa uel in fine uersus, sed, sicut dictum est, breuiter et succincte terminetur. Hoc tamen magis et minus pro tempore obseruetur.

De refectione.

(5) A pascha usque ad festum sancte crucis reficiantur bis fratres, exceptis diebus rogationum et sextis feriis et uigilia pentecostes et ieiuniis quatuor temporum, uigilia Iohannis baptiste, Petri et Pauli, Iacobi et Laurentii, Assumptionis sancte Marie et Bartholomei.

De ieiunio.

(6a) A festo sancte crucis usque ad pascha continuum tenebimus ieiunium, et nona dicta comedemus exceptis dominicis diebus,

(b) In toto autem aduentu et quadragesima et ieiuniis quatuor temporum, in uigilia ascensionis et pentecostes et sancti Iohannis, Petri et Pauli, et Mathei, Symonis et Iude, et omnium sanctorum, Andree apostoli, et omnibus sextis feriis, nisi dies natalis domini ea die uenerit, quadragesimali utimur cibo, nisi cum aliquo propter laborem dispensetur, uel in locis quibus aliter comederetur, uel nisi precipuum festum fuerit.

(c) Itinerantes tamen bis refici possunt, nisi in aduentu, exceptis ieiuniis principalibus ab ecclesia institutis.

De prandio.

(7a) Hora competenti ante prandium uel cenam a sacrista paucis ictibus campana pulsetur ut fratres ad refectionem uenire non tardent. Tunc pulsetur cymbalum, si cibus est paratus, alioquin non pulsetur donec paratus sit. Ablutis uero manibus, prior nolam refectorii pulset et tunc fratres ingrediantur.

(b) Quibus ingressis dicat Benedicite qui dicit uersiculos, et conuentus prosequatur benedictionem et comedant.

(c) Verumptamen seruitores incipiant ab inferioribus usque ad mensam prioris ascendentes.

(d) Nullus fratrum presentium a prima mensa remaneat preter seruitores et custodes, nisi de licentia. Et quotquot remanserint comedant in secunda mensa, ita quod tertiam mensam facere non oporteat.

(e) Nulla fiat pictantia seruitoribus uel ministris que non fit conuentui, nisi sint infirmi uel minuti.

(f) Priores comedant in refectorio et cibariis conuentus sint contenti,

(g) Similiter infirmarii et receptores hospitum et ministri et alii fratres, nisi cum aliquibus dispensauerit prior ob aliquam causam ut extra conuentum aliquando comedant. Si autem priores infirmari contigerit, in infirmaria cum aliis fratribus procurentur.

(h) Frater non mittat fratri pictantiam excepto priore, sed sibi datam potest dare a dextris et a sinistris.

(i) Item in domibus nostris non sint nisi duo loca in quibus comedant debiles uel infirmi, unus carnium et alius ciborum aliorum, nisi sit euidens necessitas aut urgens infirmitas. Similiter nec alii fratres comedant nisi in comuni refectorio uel hospitum domo.

De pulmentis.

(8a) Pulmenta nostra sint ubique sine carnibus in nostris conuentibus. Et fratribus nostris, ne sint hominibus honerosi, pulmenta cocta cum carnibus comedere liceat extra claustrum.

(b) Fratres nostri, tam priores quam alii, in locis ubi conuentum habuerimus, nisi cum episcopo uel in domibus religiosorum, et hoc raro, extra claustrum comedere non presumant.

(c) Singulis diebus, si fieri potest, duo cocta pulmenta habeant; poterit autem prior superaddere, prout opus <esse> iudicauerit et facultas permiserit.

(d) Si quis iuxta se sedenti uiderit aliquid deesse de comuni, requirat a cell<er>ario uel [a] ministro.

(e) Si quis de seruitoribus uel comedentibus seruiendo uel comedendo in aliquo offenderit, surgentibus fratribus ueniam petat et, facto signo a prelato, redeat ad locum suum.

(f) Quicumque bibere uoluerit extra horam, licentiam petat a prelato et unum socium accipiat.

De collatione et completorio.

(9a) Tempore ieiunii hora competenti sacrista ad collationem pulset signum. Et fratribus uenientibus in conuentum, ad signum prioris legat lector, premisso Iube dompne, et sequatur benedictio, Noctem quietam etc. Et infra lectionem poterunt fratres bibere, facto signo a priore et dicto Benedicite a lectore, et data benedictione ab ebdomadario, Largitor omnium bonorum etc. Finita lectione dicat qui preest, Adiutorium nostrum etc. Et tunc cum silentio intrent fratres ecclesiam.

(b) Alio uero tempore ante completorium legatur lectio in ecclesia, Fratres sobrii estote. Et facta confessione et dicto completorio det benedictionem qui preest et ebdomadarius aspergat aquam benedictam. Et postea dicatur Pater noster et Credo in deum. Quod etiam fieri debet ante primam et ante matutinas.

De lectis.

(10) Super culcitras non dormiant fratres nostri, nisi forte stramen uel aliquid tale super quod dormiant habere non possint. Cum tunica et caligis cincti dormiant. Super stramina et laneos et saccones dormire licebit.

De infirmis.

(11a) Circa infirmos caueat ne sit negligens prelatus. Sic enim procurandi sunt <infirmi> ut citius releuentur, sicut dicit pater noster Augustinus. Poterunt etiam quidam uesci carnibus, prout eorum grauior requirit infirmitas, secundum quod prelato uisum fuerit.

(b) Si quis autem talem infirmitatem habet que nec eum multum debilitet nec comedendi turbet appetitum, ut inflatura uel incisio membrorum aut aliquid huiusmodi, talis nec supra culcitram iaceat nec ieiunia consuetudinaria frangat nec cibos refectorii mutet, legat autem uel operetur secundum quod ei a suo prelato iniungetur.

De minutione.

(12a) Minutio quater in anno fiat, prima in mense septembri, secunda post natale, tertia post pascha, quarta circa festum Iohannis baptiste. Preter has minutiones nullus audeat sibi minuere, nisi discretio prioris propter aliquam causam iudicauerit aliter esse faciendum.

(b) Minuti extra refectorium cum silentio comedant, ubi comode poterit obseruari, et secundum quod facultas domus permiserit comodius procurentur. Et causa minutionis carnes non comedant.

De magistro nouiti<or>um.

(13a) Prior nouitiis magistrum diligentem in instructione eorum preponat, qui eos de ordine doceat, in ecclesia excitet, et ubicumque se negligenter habuerint, uerbo uel signo quantum poterit eos studeat emendare. Et necessaria quantum potest debet eis procurare. De apertis negligentiis, cum ante eum ueniam petierint, penitentiam potest dare, uel eos in suo capitulo proclamare.

(b) Humilitatem cordis et corporis doceat habere et studeat ad hoc ipsum instruere nouitium iuxta illud, Discite a me quia mitis sum et humilis corde, frequenter, pure et discrete confiteri, sine proprio uiuere et propriam uoluntatem deserere pro uoluntate prelati sui, obedientiam in omnibus uoluntariam obseruare;

(c) quomodo ubique et in omnibus sese habere debeant instruere, quod locum ubi positi fuerint <ubique> teneant, quomodo inclinationes sint faciende danti sibi aliquid uel auferenti, male uel bene dicenti, qualiter se ad cameras contineant ut non habeant oculos sublimes, quomodo uel quid orent et quam silenter ut aliis rugitum non faciant, et, ubicumque reprehensi fuerint a prelato, ueniam petant ut cum nemine contendere presumant sed in omnibus magistro suo obediant, in claustro ad processionem socium sibi collateralem attendant, et non loquantur locis et temporibus interdictis. Quando etiam quippiam uestimenti tribuitur, profunde inclinantes, Benedictus deus in donis suis dicant ;

(d) ut neminem penitus iudicent, <sed> si qua ab ullo fieri uideri<n>t, licet mala uideantur, bona suspicentur uel bona intentione facta; sepe enim humanum fallitur iudicium.

(e) Quomodo uenia in capitulo uel ubicumque reprehensi fuerint sit facienda, qualiter disciplinas frequenter suscipiant; et non loquantur de absente nisi que bona sunt.

(f) Quod duabus manibus sit bibendum et sedendo;

(g) quod diligenter debeant custodire libros et uestes et etiam res alias monasterii;

(h) qualiter intenti debeant esse in studio, ut de die, de nocte, in domo, in itinere legant aliquid uel meditentur, et quicquid poterunt retinere cordetenus nitantur; quam feruentes esse debeant in predicatione tempore oportuno.

De recipiendis.

(14a) Recipiendi ad nos uenientes secundum tempus quod discretio prelati uel quorundam seniorum prouiderit ducantur in capitulum. Qui cum adducti fuerint, prosternant se in medio capituli. Et interrogati a prelato quid querant, respondeant, Misericordiam dei et uestram. Quibus ad iussum prelati erectis, exponat asperitatem ordinis, uoluntatem eorum requirens. Qui si respondeant se uelle cuncta seruare et seculo abrenuntiare, dicat post cetera, Dominus qui cepit ipse perficiat. Et conuentus respondeat, Amen. Et tunc, depositis uestibus secularibus et religiosis induti, in nostram societatem in capitulo recipiantur.

(b) Sed tamen adhuc antequam stabilitatem et communem uitam promittant et obedientiam prelato et successoribus suis faciant, tempus probationis assignetur.

(c) Nullus recipiatur nisi requisitus an sit coniugatus, an seruus, an ratiociniis obligatus, an alterius professionis uel occultam habeat infirmitatem.

(d) Quod si alterius religionis fuerit, non recipiatur in ordine nostro nisi a capitulo prouinciali uel generali fuerit approbatus.

(e) Cistercienses non admittantur nisi de speciali licentia domini pape.

(f) Conuentualis prior nullum in conuersum recipiat, in canonicum uero neminem nisi requisito consensu totius uel maioris partis capituli et optento.

(g) Nullus recipiatur infra XVIII annos.

(h) In quolibet autem conuentu eligantur tres ydonei fratres de comuni consilio capituli, qui recipiendos in moribus et scientia diligenter examinent et examinationem priori et capitulo referant, eorum iudicio an recipi debeant relinquentes.

De tempore probationis.

(15a) Probationis tempus statuimus VI mensium uel eo amplius, prout prelato uidebitur, ut et ipse austeritates ordinis et fratres mores experiantur ipsius, nisi forte aliquis maturus et discretus probationi predicte renunciare uoluerit et instanter se offerat professioni faciende.

(b) Nouitii ante professionem de debitis se expediant, et omnia alia ad pedes prioris ponant, ut se ex toto absoluant.

(c) Item nulli certus usus librorum concedatur, nec indignetur a quocumque auferantur uel in cuiuscumque custodia dimittantur.

De modo faciendi professionem.

(16a) Modus faciendi professionem talis est: Ego N. facio professionem et promitto obedientiam deo et beate Marie et tibi N., magistro ordinis predicatorum, et successoribus tuis, secundum regulam beati Augustini et institutiones fratrum ordinis predicatorum, quod ero obediens tibi tuisque successoribus usque ad mortem.

(b) Cum autem fit alii priori cuicumque, sic facienda est: Ego N. facio professionem et promitto obedientiam deo et beate Marie et tibi N., priori talis loci, uice N. magistri ordinis predicatorum et successorum eius, secundum regulam beati Augustini et institutiones fratrum ordinis predicatorum, quod ero obediens tibi tuisque successoribus usque ad mortem.

(c) Nouitii infra tempus probationis sue in psalmodia et officio diuino studeant diligenter.

(d) Confessiones nouitiorum ante professionem recipiantur, et diligenter de modo confessionis et in aliis instruantur.

(e) Nouitii non intersint capitulo nec in dormitorio cum aliis fratribus iaceant, ubi hoc comode poterit obseruari, sed magister eorum extra capitulum culpas eorum audiat et ipsos diligenter quantum potest in moribus instruat et caritatiue corripiat.

(f) Nouitii tam clerici quam laici infra annum ad longinquas partes nisi ob causam necessariam non mittantur, nec in aliquo officio occupentur, et uestes eorum ante professionem non alienentur, nec ipsi ante professionem ordinentur.

De silentio.

(17a) Silentium fratres nostri teneant in claustro, in dormitorio, in cellis, in refectorio et oratorio fratrum, nisi forte silenter aliquid loquantur, non tamen oratione perfecta. Alibi uero loqui poterunt de licentia speciali.

(b) In mensa autem fratres ubique, intus et extra, teneant silentium, tam priores quam alii, excepto uno qui maior fuerit inter ipsos uel alio cui pro se loqui commiserit, et tunc ipse taceat. Si quis uero silentium istud fregerit ex proposito uel licentiam loquendi dederit, in uno prandio aquam tantum bibat absque dispensatione coram omnibus, similiter unam disciplinam recipiat in capitulo. Ab hiis autem excipiuntur infirmi decumbentes.

(c) Infirmi non decumbentes a prandio usque ad uesperas silentium teneant, similiter et post signum quod fit post completorium. A minutis etiam post primam diem sue minutionis idem similiter obseruetur.

(d) Pena pro fractione silentii hec est. Pro prima uice, Miserere mei et Pater noster. Hoc etiam dicitur pro secunda. Pro tertia recipiatur disciplina. Hoc etiam similiter pro quarta, pro quinta, similiter pro sexta. Pro septima uero una die abstineant in pane et aqua in terra sedendo, et hoc in prandio et non in cena. Ultra uero septem uices non computent, sed iterum a principio computare incipiant. Et hoc quod dictum est inter duo capitula intelligitur, ita scilicet quod ab uno capitulo usque ad aliud incipiant fractiones computare. Disciplinas autem <has> per se recipere poterunt uel cum aliis fratribus post completorium. Si uero aliqua supersit cum tenetur capitulum, ibidem recipiatur.

De scandalo fratrum.

(18) Si quis aliquomodo fratrem suum scandalizauerit, tamdiu ante pedes eius prostratus iaceat quousque placatus erigat eum.

De uestibus.

(19a) Vestes laneas non attonsas, ubi hoc seruari poterit, deferant fratres nostri. Ubi uero seruari non poterit, utantur uilibus, et potius uilitas in capis obseruetur. Et lineis non utantur ad carnem,

(b) nec etiam infirmi, et linteamina omnino remoueantur de infirmitoriis nostris.

(c) Et non plures tunicas quam tres cum pellicio in yeme, uel quatuor sine pellicio, quod semper tunica coopertum deferatur.

(d) Pelliciis siluestribus et coopertoriis quarumcumque pellium fratres nostri non utantur.

(e) Tunice circa cauillam pedis sufficit ut descendant. Quibus capa breuior sit, et etiam pellicium. Scapularia nostra circa cooperturam genuum sufficit ut descendant.

(f) Caligas et soccos habebimus ut necesse fuerit et facultas permiserit. Ocreas non habebimus nec cirothecas.

De rasura.

(20) Rasura sit superius non modica, ut religiosos decet, sic ut inter ipsam et aures non sint plus quam tres digiti. Tonsura fiat desuper aures. Que rasura et tonsura fiat hiis terminis: prima in natiuitate, secunda inter natiuitatem et purificationem partito tempore, tertia in purificatione, quarta inter purificationem et pascha, quinta in cena domini, sexta inter pascha et pentecosten, septima in pentecoste, octaua inter pentecosten et festum Petri et Pauli, nona in festiuitate eorundem, decima in festiuitate sancte Marie Magdalene, undecima in assumptione sancte Marie,

duodecima in natiuitate eiusdem, tertiadecima in festo sancti Dyonisii, quartadecima in festo omnium sanctorum, quintadecima in festo beati Andree.

De leuioribus culpis.

(21) Hee sunt leuiores culpe:

(a) Si quis, mox ut signum datum fuerit, non relictis omnibus cum matura festinatione differat se preparare ut secundum regulam ad ecclesiam ordinate et composite quando debuerit ueniat, infra septa monasterii uel extra in uicinio manens.

(b) Si quis diligenter legendi uel cantandi officium non attente compleuerit.

(c) Si responsorium uel antiphonam incepturus chorum turbauerit.

(d) Si in choro male legendo uel cantando offendens non statim se coram omnibus humiliauerit.

(e) Si in conuentu<m> hora qua debet uenire distulerit.

(f) Si aliquid ibi tumultus uel inquietudinis fecerit.

(g) Si ad mensam cum ceteris non uenerit.

(h) Si ad comunem rasuram presens non fuerit.

(i) Si in dormitorio aliquam inquietudinem fecerit.

(j) Si per licentiam de claustro egressus moram fecerit.

(k) Si corporale uel linteos ad portandum calicem uel patenam inuoluendam aptos, stolam uel phanonem negligenter deiecerit.

(l) Si uestes suas et libros loco statuto honeste et ordinate non disposuerit uel negligenter tractauerit.

(m) Si aliquid utensilium fregerit uel perdiderit.

(n) Si quid potus effuderit.

(o) Si liber in quo ad refectionem uel capitulum uel ad collationem legendum est suo neglectu defuerit.

(p) Si lector mense denotatus benedictionem neglexerit.

(q) Si dixerit aliquid unde scandalizentur fratres uel egerit.

(r) Si in aliquo gestu reprehensibilis fuerit uel in aliquo notabilis apparuerit.

(s) Si quis potum uel cibum absque benedictione sumpserit.

(t) Si quis parentibus uel nunciis superuenientibus loqui ut ab eis rumores audiat absque testimonio et licentia prelati sui presumpserit.

(u) Si in studio ad lectiones dormierit.

(v) Si libros interdictos legerit.

(w) Si legentes uel audientes inquietauerit.

(x) Si in predicatione uadens otiosa locutus fuerit uel egerit.

(y) Si dissolute ridens, cachinnis uel ludis, dictis uel factis, alios ad ridendum concitare intenderit.

(z) Si ad Gloriam primi psalmi non affuerit, et ad gradus altaris non satisfecerit.

(aa) Si quis in uigilia annunciationis et natiuitatis domini in principio capituli per negligentiam non affuerit, ut pronuntiatis redemptionis nostre exordiis corde et corpore gratias agat deo redemptori.

(bb) Si quis in choro positus non diuino officio intentus uagis oculis et motu irreligioso minusque competenti leuitatem mentis ostenderit.

(cc) Si lectionem statuto tempore non preuiderit.

(dd) Si comune mandatum dimiserit.

(ee) [Et] si aliquid cantare uel legere presumpserit quam quod comunis consensus probat.

(ff) Si in choro riserit uel alios ridere fecerit.

(gg) Si ad capitulum uel ad collationem non uenerit uel comuni refectioni non interfuerit.

(hh) Si quis de uia ueniens eadem hora, si fieri potest, benedictionem accipere neglexerit, uel absque ea nisi ad uicina loca uadens de monasterio plus una nocte moraturus exierit.

(ii) Si quis eum a quo clamatus fuerit eadem die quasi uindicando clamare presumpserit.

(jj) Si quis clamans in clamatione sua iudicium fecerit.

(kk) Si quis <cum> iuramento, ut in loquendo fieri solet, aliquid negauerit uel affirmauerit.

(ll) Si quis turpem sermonem uel uaniloquium dixerit uel, quod grauius est, in usu habuerit.

(mm) Si quis eorum qui officiis [suis] deputati sunt in aliquo circa officium suum negligens repertus fuerit, ut sunt priores in conuentu custodiendo, magistri in docendo, studentes in studendo, scriptores in scribendo, cantores in officiis suis, procuratores in exterioribus procurandis, uestiarius in uestibus prouidendis et custodiendis et reficiendis, infirmorum custos <in> infirmis custodiendis et procurandis et mortuis necessariis ministrandis, et ceteri in officiis suis, ut iniunctum est eis.

(nn) Si oculos uagos per plateas uel uillas eundo ad uanitates frequenter direxerit.

(oo) Si indumenta uel alia fratri data uel concessa sine ipsius fratris licentia per se alius acceperit.

(pp) Si temporibus statutis non cum aliis lectiones auditurus affuerit.

(qq) Clamatis de supradictis et ueniam petentibus iniungitur unus psalmus uel duo uel cum psalmo disciplina uel amplius, secundum quod prelato uidebitur expedire.

De graui culpa.

(22) Grauis culpa est :

(a) Si quis inhoneste in audientia secularium cum aliquo contenderit.

(b) Si frater cum fratre intus uel foris lites habuerit,

(c) uel si quis procedens ubi femine sunt oculum fixerit, si tamen hoc in usu habere uoluerit.

(d) Si quis mendacium de industria dixisse deprehensus fuerit.

(e) Si quis silentium non tenere in consuetudinem duxerit.

(f) Si quis culpam suam uel aliorum defenderit.

(g) Si quis inter fratres discordiam seminauerit.

(h) Si in illum a quo clamatus est, uel in quemlibet alium, minas uel maledicta seu uerba inordinata et irreligiosa malitiose inuexisse deprehensus fuerit.

(i) Si quis alicui fratrum opprobrium dixerit.

(j) Si quis fratri culpam preteritam pro qua satisfecerit improperauerit.

(k) Si quis susurro uel detractor inuentus fuerit.

(l) Si quis mala de patribus uel fratribus uel domibus suis malitiose euomuerit, que testimonio fratrum suorum probare nequiuerit.

(m) Si absque licentia et magna necessitate equitauerit uel carnes comederit,

(n) uel cum femina solus non de confessione aut utilibus uel honestis locutus fuerit,

(o) uel ieiunia consuetudinaria sine causa uel licentia fregerit.

(p) Pro huiusmodi culpis et hiis similibus ueniam petentibus et non clamatis tres correctiones in capitulo dentur et tres dies in pane et aqua ieiunent. Clamatis uero una correctio et una dies superaddatur. De cetero psalmi et uenie, secundum quod discretioni rectoris uisum fuerit, pro qualitate culparum iniungantur.

(q) Eadem pena digni sunt qui, postquam missi fuerint, sine licentia reuerti presumpserint, uel ultra terminum sibi assignatum moram fecerint.

(r) Si quis autem pro uictu uel uestitu uel qualibet alia re murmurauerit, predictam penam sustineat et quadraginta diebus ab illo genere cibi uel potus uel indumenti pro quo murmurauerit abstineat.

De grauiori culpa.

(23) Grauior culpa est:

(a) Si quis per contumaciam uel manifestam rebellionem inobediens prelato suo extiterit, uel cum prelato suo intus uel foris proterue contendere ausus fuerit.

(b) Si quis percussor fuerit.

(c) Si quis crimen capitale commiserit.

(d) Si quis proclamatus conuictus fuerit, sponte surgat et ueniam petens sceleris sui immanitatem lamentabiliter proferat, et denudatus, ut dignam suis meritis accipiat sententiam, uapulet quantum placu<er>it prelato,

(e) et ut permaneat in pena grauioribus culpis debita preceptum accipiat, uidelicet ut sit omnium nouissimus in conuentu ubi fratres sunt, ut qui culpam suam perpetrando non erubuit membrum dyaboli fieri ad tempus, ut resipiscat, sequestretur a consortio ouium Christi.

(f) In refectorio quoque ad comunem mensam cum ceteris non sedebit, sed in medio refectorii super nudam mensam comedet, et prouidebitur ei seorsum panis grossior et potus aque, nisi prelatus ei aliquid per misericordiam impendat. Nec reliquie prandii sui cum aliis admisceantur, ut agnoscat se ita sequestratum a consortio aliorum quod priuetur, nisi per penitentiam redeat, consortiis angelorum.

(g) Ad canonicas horas et ad gratias post comestionem ueniat ante hostium ecclesie et ibi transeuntibus fratribus prostratus iaceat dum intrant et exeunt.

(h) Nullus uero audeat se coniungere illi uel aliquid mandare.

(i) Ipse tamen prelatus, ne in desperationem labi possit, mittat ad eum seniores qui commoneant eum ad penitentiam, prouocent ad patientiam, foueant per compassionem, hortentur ad satisfactionem, adiuuent per suam intercessionem, si uideri<n>t in eo humilitatem cordis. Quibus suffragetur totus conuentus, (j) nec renuat prelatus cum illo facere misericordiam. Et <si> uiderit ei, denuo uapulet ad pedes singulorum, primo prelati, deinde utriusque lateris sessorum.

(k) Talis, quamdiu erit in <hac> penitentia, non comunicet, non ueniat ad osculum pacis. Si predicator est, officium predicationis non exerceat. Non notetur ad aliquod officium in ecclesia, nec ulla committatur ei obedientia ante plenariam satisfactionem. Si fuerit sacerdos uel dyaconus, hiis officiis non fungatur, nisi postmodum religiose fuerit conuersatus.

(l) Eodem modo penitere debet qui rem sibi collatam receperit de hiis que prohibentur recipi, si collatam celauerit, quem beatus Augustinus furti iudicio dicit esse condempnandum, uel si in peccatum carnis quis lapsus fuerit, quod grauius ceteris puniri censemus.

(m) Si quis tale quid extra monasterium commiserit, frater qui cum eo est studeat excessum eius quam citius corrigendum prelato intimare. Correctus autem ad locum in quo tale quid commiserit ulterius non redeat, nisi ita religiose fuerit conuersatus quod generale uel prouinciale capitulum ipsum illuc censeat reuersurum.

(n) Si uero huiusmodi peccatum occultum fuerit, disquisitione secreta, secundum tempus et personam, condignam agat penitentiam.

(o) Si quis autem peccauerit et confiteri uoluerit socio illud alias cognoscenti, frater confessionem non recipiat nisi tali conditione, ut cum oportunitas fuerit ipsum possit proclamare.

(p) Si qui per conspirationem uel coniurationem uel per malitiosam concordiam aduersus priorem uel prelatos suos manifeste se erexerint, supradicto modo peniteant et decetero in omni

uita sua extremum locum sui ordinis optineant, et uocem in capitulo nisi in sui proclamatione et accusatione non habeant, neque eis aliqua obedientia iniungatur.

(q) Si qui tamen fratres non malitiose sed in ueritate aduersus prelatum aliquid habuerint quod tolerari non debeat nec deceat, prius eum inter se cum omni humilitate et caritate de sua correctione admoneant. Quod si frequenter admonitus se corrigere neglexerit aut contempserit, priori prouinciali uel uisitatoribus cum ad eandem domum <uisitandam> uenerint causa manifeste indicetur uel capitulo generali uel prouinciali significetur. Aliter prelatos suos subditi infamare non presumant.

De fratre qui apostatauerit.

(24a) Quicumque apostatauerit, si infra quadraginta dies non redierit, excomunicabitur. Si uero misertus sui redierit, depositis uestibus in claustro, nudus cum uirgis in capitulum ueniet et prostratus culpam suam dicet et humiliatus ueniam petet et quamdiu prelato placuerit penis grauioris culpe subiacebit, et in capitulo nudum se presentabit in omnibus dominicis diebus.

(b) Infra hoc tempus penitentie ubi<que> in conuentu nouissimus erit et duobus diebus in qualibet septimana per annum ieiunabit in pane et aqua; et peracta penitentia numquam priorem locum tenebit, sed inferiorem secundum quod prelato uisum fuerit.

(c) Quod si secundo fug<er>it et iterum redierit, supradicto modo peniteat et priori anno secundus addatur. Si tertio tertius, si quarto quartus.

(d) Omnibus tamen fratribus pro huiusmodi penitentibus [et] humiliter in capitulo deprecantibus prelatus, cum penitentiam eorum prospexerit, eis indulgere uel remittere poterit, secundum quod sue discretioni uisum fuerit uel placitum.

(e) Si quis in apostasia ordinatus fuerit uel post excomunicationem in ea diuina celebrare presumpserit, executione officii perpetuo carebit, nisi forte postea ita religiose fuerit conuersatus, ut cum [eo] auctoritate sedis apostolice dispensetur.

(f) Item qui semel apostatauerit uel de lapsu carnis manifeste conuictus fuerit, decetero non predicet nec audiat confessiones, nisi per generale uel prouinciale capitulum fuerit restitutus.

De grauissima culpa.

(25a) Grauissima culpa est incorrigibilitas eius qui nec culpas timet admittere et penam recusat ferre. De quo preceptum est patris nostri Augustini ut, etiam si ipse non abcesserit de uestra societate proiciatur secundum apostolum, qui hereticum hominem post primam et secundam correctionem adhibitam et incorrigibilitatem patefactam deuitare iubet tamquam peccantem peccatum ad mortem, quia subuersus est qui eiusmodi est.

(b) Hic quidem habitu exutus et uestibus secularibus indutus exire compellendus est, si tamen usque ad horam illam sani capitis et integri sensus extit<er>it — et nemini aliter, quod quidam indigne appetunt, sub qualibet occasione, umquam est danda licentia recedendi — ne ordo et canonica disciplina in contemptum ueniant, dum despicitur in indignis habitus religionis canonice. Et ita, sicut a corde professionem abiecit, sic et accepta professionis insignia deponere cogatur. Nec ulli aliquo modo pro sua quantalibet importunitate aliter indulgeatur egrediendi licentia.

Distinctio II

De capitulo prouinciali.

(1a) Statuimus quod [in] singulis annis in singulis capitulis prouincialibus Yspanie, Prouincie, Francie, Lombardie, Romane prouincie, Ungarie, Theutonie, Anglie, quatuor fratres de discretioribus et magis ydoneis a prouinciali capitulo, per disquisitionem prioris prouincialis et prioris et subprioris eiusdem loci ubi capitulum celebratur, uel, si unus defuerit, per disquisitionem duorum, hoc modo eligantur.

(b) Predicti siquidem tres, uel duo si tertius defuerit, uoluntates singulorum singulatim et seorsum aliquantulum in eadem domo coram oculis omnium disquirant et conscribant fideliter, et sic incontinenti et in eodem loco, antequam fratres discedant uel adinuicem colloquantur, scripturam publicent in medium, et in quibus maior pars capituli [prouincialis] numero concordauerit illi pro diffinitoribus habeantur. Si autem partes fuerint pares, tunc eodem modo disquisitionis uoluntatum unus eligatur a capitulo, et cui parti ille consenserit illi pro diffinitoribus habeantur. Quod si adhuc discordauerint, alius eligatur et sic deinceps donec in parte altera maior possit numerus inueniri.

(c) Capitulum autem prouinciale appellamus priores conuentuales cum singulis sociis a capitulo suo electis et predicatores generales.

(d) Predicatores autem generales sunt qui per capitulum generale uel priorem prouincialem et diffinitores capituli prouincialis fuerint approbati.

(e) Accusationi uero et correctioni professi post triennium ab ingressu ordinis poterunt interesse.

(f) Item conuentus qui mittit accusationes ad capitulum prouinciale uel generale scribat de quolibet articulo numerum et nomina accusantium, et si accusant de uisu uel auditu.

(g) Et nullus accuset de auditu nisi dicat a quo audierit,

(h) sed ubique caueat ne malum quod audierit de ali<en>o facto referat aliquatenus nisi dicat a quo audiuerit.

(i) <Item quilibet prior cum conuentu scribat singulis annis priori suo provinciali et diffinitoribus capituli provincialis debita domus, ponentes nichilominus causas debitorum.>

De diffinitoribus capituli prouincialis.

(2) Predicti igitur diffinitores tractabunt omnia et diffinient cum priore prouinciali. Quod si in suis diffinitionibus in partes equales se diuiserint, illorum sententia preualebit in quorum partem prior prouincialis concordauerit; alias autem sententia plurium preualebit.

De potestate horum diffinitorum.

(3) Isti autem quatuor diffinitores excessum prioris prouincialis confessi uel proclamati in capitulo prouinciali coram fratribus audiant et emendant, ei penitentiam iniungentes. Si autem, quod absit, incorrigibilis extiterit, ipsum usque ad capitulum generale suspendant ab officio prioratus, priorem loci ubi capitulum prouinciale celebratur loco eius substituentes, et excessum eius ad capitulum referant generale scripto communiter sigillato.

Quis obtineat uicem prioris prouincialis.

(4a) Statuimus etiam ut, mortuo priore prouinciali uel amoto, prior conuentualis illius loci in quo prouinciale capitulum in sequenti anno fuerit celebrandum uicem eius optineat, donec prior eiusdem prouincie sit electus et confirmatus.

(b) Quod si ipsum abesse contigerit nec uicem suam alii commiserit, idem prior cum diffinitoribus capituli [prouincialis] in celebratione procedat eiusdem.

(c) Prior prouincialis etiam cum suis diffinitoribus in capitulo prouinciali semper locum determinet ubi sequens capitulum celebretur.

De electione diffinitoris capituli generalis.

(5a) Statuimus etiam ut per duos annos in dictarum octo prouinciarum capitulis aliquis de magis ydoneis a capitulo eligatur qui sit generalis capituli diffinitor. Cui socius competens a priore prouinciali et [a] diffinitoribus assignetur ut, si medio tempore decesserit uel aliquo modo fuerit impeditus quod uenire non possit ad capitulum generale, ipso iure socius eius loco ipsius diffinitor habeatur.

(b) Statuimus quod quatuor prouincie, scilicet Ierosolimitana, Grecia, Polonia, Dacia, habeant singulis annis diffinitores in singulis capitulis generalibus.

(c) Tertio autem anno priores prouinciales duodecim prouinciarum generale capitulum celebrabunt.

(d) Item statuimus quod priori prouinciali eunti ad capitulum generale detur socius a diffinitoribus capituli prouincialis.

De preiudicio uitando.

(6a) Statuimus autem et in uirtute spiritus sancti et obedientie et sub interminatione anathematis districte prohibemus ne priores prouinciales fratribus diffinitoribus aut fratres diffinitores prioribus prouincialibus per suas diffinitiones preiudicium aliquod audeant generare. Quod si facere attemptauerint, eadem districtione prohibemus ne in hoc eis aliquis presumat obedire.

(b) Et ut multitudo constitutionum uitetur, prohibemus ne aliquid decetero statuatur nisi per duo capitula continua fuerit approbatum, et tunc in tertio capitulo immediate sequente poterit confirmari uel deleri, siue per priores prouinciales siue per alios diffinitores ubicumque illud tertium capitulum celebretur.

De diffinitoribus generalis capituli.

(7a) Isti autem duodecim diffinitores duobus annis, et duodecim priores prouinciales tertio anno, cum magistro ordinis omnia diffinient et constituent et tractabunt.

(b) Quod si in partes equales se diuiserint, illorum sententia preualebit in quorum partem magister ordinis declinauerit, si uero in partes inequales, optineat sententia plurium.

(c) Si autem per adiunctionem magistri partes fiant equales, unus eligatur secundum quod in electione diffinitorum prouincialium est statutum.

(d) Quod si ad capitulum aliquo casu prepediti predicti non omnes uenerint, illi quos ex ipsis uenire contigerit cum magistro ordinis omnia pertractabunt.

(e) Quod si magistrum abesse aliqua occasione contigerit, nichilominus predicti diffinitores in diffinitione procedant.

(f) Quod si non omnes in unam sententiam concordauerint, forma superius posita teneatur.

De potestate diffinitorum.

(8a) Isti autem diffinitores plenariam habeant potestatem super excessum magistri ordinis corrigendum uel de eo penitus remouendo. Et ipsorum sententia tam in hiis quam in aliis inuiolabiliter obseruetur, ita quod ab ipsorum sententia a nemine liceat appellari.

(b) Et si appellatum fuerit, friuola et nulla appellatio habeatur, appellationem enim fieri in nostro ordine sub interminatione anathematis penitus prohibemus, cum non uenerimus contendere sed potius delicta corrigere.

De excessu magistri corrigendo.

(9a) Diffinitores predicti excessum magistri seorsum inter se corrigant et emendent.

(b) Si autem in tantum excesserit quod remoueri debeat, tunc non passim et indifferenter procedant, sed cautela maxima et inquisitione diligentissima. Et non deponatur nisi pro crimine uel pro alio criminali peccato quod non possit sine magno scandalo ordinis tollerari. De quo

etiam si legitime conuictus fuerit uel confessus, uel si adeo fuerit negligens, inutilis et remissus quod ordinis dissolutionem et destructionem inducat, et tunc antequam deponatur inducatur a diffinitoribus ut magistratui cedat et sibi aliquem locum eligat ubi possit honeste conuersari.

(c) Mortuo autem magistro uel a magisterio remoto, priores dictarum prouinciarum in omnibus quousque magister fuerit electus plenariam ipsius optineant potestatem, et eis omnes tamquam magistro teneantur obedire.

d) Si autem inter se medio tempore super aliquo discordauerint, optineat sententia plurium. Quod si partes fuerint pares, assumant unum de fratribus illis qui uocem habent in electione magistri, et cui parti ille concordauerit uigorem optineat firmitatis. Quod si adhuc discordauerint, iterum alius eligatur, et sic deinceps donec in parte altera maior possit numerus inueniri.

(e) Precipimus autem in uirtute spiritus sancti ut nullus ante electionem magistri circa statum ordinis audeat aliquid immutare.

De electione magistri ordinis.

(10a) Predicti ergo priores prouinciales predictarum octo prouinciarum, singuli cum duobus fratribus in capitulo prouinciali electis, in quos ceteri ad electionem magistri faciendam compromittant,

(b) et quatuor priores prouinciales de superadditis prouinciis, scilicet Ierosolimitana, Grecia, Polonia, Dacia, singuli cum singulis ad hoc idem electis,

(c) ad capitulum ueniant generale. Qui postquam fuerint congregati in secunda feria post pentecosten, a prioribus conuentualibus illius prouincie et fratribus presentibus in loco in quo electio est facienda, in uno conclaui firmiter includantur, ita quod inde nullatenus ualeant egredi, nec eis ullo modo aliqua alimenta ministrentur, quousque magister ordinis secundum formam canonicam sit electus.

(d) Et hoc tam ab electoribus quam a recludentibus precipimus firmiter obseruari, ita quod, si quis contraire presumpserit, ipso facto sit excommunicatus et penam grauioris culpe debitam sustinebit.

De forma electionis.

(11a) Forma electionis hec est. Electoribus supradicto modo inclusis, cum per disquisitionem uel scrutinium uoluntatum procedet electio, tres de prioribus prouincialibus qui inter alios prouinciales primitus habitum nostre religionis susceperunt, uoluntates singulorum singillatim et seorsum aliquantulum, tamen in eadem domo coram oculis omnium, disquirant et conscribant. Quod si gratia inspirante in unum aliquem omnes unanimiter concordauerint, ille uerus magister ordinis habeatur. Si uero in partes inequales se diuiserint, ille in quem plures medietate omnium qui debeant eligere consenserint, ex ui talis electionis et huius constitutionis sit magister.

(b) Quod si aliquem uel aliquos de electoribus contigerit non uenire, nichilominus tamen per eos qui aduenerint electio celebretur.

(c) Et hoc ita fiat ut semper in quarta feria pentecostes magistrum habeat capitulum, antiquum uel nouum, presentem uel absentem, quia tunc incipit sollempniter celebrari, ne acephalum iudicetur.

(d) Et hec omnia que circa electionem magistri sunt instituta absque contradictione uolumus et firmiter precipimus obseruari. Quicumque autem ausus fuerit contradicere pertinaciter uel etiam rebellare, tamquam excommunicatus et scismaticus et destructor nostri ordinis habeatur, et quousque satisfecerit a communione omnium sit penitus alienus et pene grauioris culpe debite subiaceat.

(e) Statuimus autem ut si in anno diffinitionis priorum prouincialium electio magistri celebratur, unus de fratribus electoribus de qualibet prouincia, qui in suo prouinciali capitulo ad hoc electus fuerit, ad diffiniendum cum eis pariter admittatur.

(f) Si uero in anno diffinitorum celebratur, tunc cum diffinitoribus <priores> prouinciales conueniant et utrorum<que> diffinitio sit communis.

Qui uenire debeant ad capitulum generale.

(12) Statuimus insuper quod omnes priores conuentuales cum sociis suis et predicatores generales illius prouincie in qua generale capitulum celebratur illo anno ad capitulum ueniant generale. Nec eodem anno in illa prouincia ad celebrandum aliud capitulum teneantur.

De morte magistri.

(13a) <Statuimus ut> si ante festum sancti Michaelis magistrum mori contigerit, prior conuentualis uel prouincialis qui propinquior illi loco extiterit ubi magister decesserit Parisiensi uel Bononiensi conuentui, sibi propinquiori scilicet, cum festinatione denuntiet, et alteruter istorum conuentuum cui primo denuntiatum fuerit teneatur similiter reliquo nuntiare. Parisiensis prouincialibus Yspanie, Prouincie, Anglie, Theutonie; Bononiensis uero Ungarie, Romane prouincie et aliis quibus poterit teneatur quantocius intimare.

(b) Si autem post dictum festum magister decesserit, obitus magistri nichilominus denuntietur, ut supersedeatur illo anno a capitulo generali. Sequenti uero anno ibi capitulum celebretur ubi prius debuerat celebrari.

(c) Capitulum generale uno anno Parisius, alio anno Bononie celebretur.

De infamatione ordinis uitanda.

(14a) In uirtute spiritus sancti et obedientie firmiter precipimus obseruari ne quis causam depositionis magistri uel prioris prouincialis uel eius excessum uel correctionem uel secretum capituli seu dissensiones diffinitorum uel fratrum, unde ordo noster possit turbari uel infamari, audeat scienter extraneis publicare. Si quis autem ex deliberatione contrafecerit, tamquam excommunicatus et scismaticus et destructor nostri ordinis habeatur et, quousque satisfecerit, a communione omnium sit penitus alienus et pene grauioris culpe debite subiaceat.

(b) Eadem districtione precipimus ne quis uerbo uel facto aliquomodo ad diuisionem nostri ordinis audeat laborare. Quod si fecerit, pene subiaceat supradicte.

De electione priorum prouincialium.

(15a) Statuimus ut prouinciarum priores uel regnorum in capitulo generali a magistro ordinis et diffinitoribus, premissa diligenti examinatione, confirmentur uel amoueantur. Nam eorum electio ad prouinciale capitulum pertinebit.

(b) Statuimus ut magister solus possit confirmare priorem prouincialem.

(c) Mortuo igitur priore prouinciali uel amoto, duo fratres de quolibet conuentu illius prouincie eligantur qui cum suo priore conuentuali secundum formam superius positam electionem prioris prouincialis celebrabunt, hoc excepto quod eos includi sicut in electione magistri non oporteat.

(d) Item priore prouinciali mortuo uel amoto, prior qui locum eius optinet teneatur conuocare quam citius commode poterit electores, et tunc prior prouincialis eligatur et prouinciale capitulum celebretur, nisi iam fuerit celebratum. Quod si modo non elegerint qui debent eligere, potestas eligendi ad magistrum ordinis transferatur.

(e) Item statuimus quod electio prioris prouincialis spectet tantum ad priores conuentuales cum duobus fratribus de quolibet conuentu ad hoc electis, omnibus fratribus ad illum conuentum pertinentibus, si commode potest fieri, conuocatis.

De potestate prioris prouincialis.

(16a) Prouincialis autem prior eandem habeat potestatem in sua prouincia uel regno quam et magister ordinis, et eadem sibi reuerentia a prouincialibus exhibeatur que magistro exhibetur, nisi magister presens extiterit.

(b) Item priores prouinciales commissas sibi prouincias curent uisitare [perpensius]. Cum tamen commode non ualuerint, poterunt committere uices suas.

(c) Curet prior prouinciarum uel regnorum ut, si habuerit aliquos utiles ad docendum qui possint in breui apti esse ad regendum, mittere<t> ad studendum ad loca ubi uiget studium;

(d) et in aliis illi ad quos mittuntur eos non audeant occupare, nec ad prouinciam suam remittere nisi fuerint reuocati.

(e) Capitulum prouinciale in festo sancti Michaelis in loco statuto in prouincia uel regno, ubi prior prouinciarum uel regnorum cum consilio diffinitorum elegerit celebretur.

(f) Nullus religiosus alterius ordinis uel professionis nullusque secularis cuiuscumque ordinis uel dignitatis uel professionis uel uite secretis uel tractatibus capituli aliquomodo admittatur.

(g) Et ea que dicta sunt de generali capitulo in secunda feria post pentecosten debent inchoari.

De capitulo generali.

(17) Cum autem in quarta feria fratres in capitulum uenerint, primo omnium deuote inuocetur spiritus sanctus a quo filii dei aguntur, et dicatur uersus Emitte spiritum tuum et creabuntur, cum collecta de spiritu sancto. Deinde, residentibus fratribus et loca sua tenentibus omnibus ut uerbo dei celi firmentur, uerbum dei in commune fiat. Sermoni interesse poterunt qui ad edificationem interesse uoluerint. Finito sermone, quia indigentibus quantocius subueniendum est, obitus fratrum in anno defunctorum in communi recitentur, et fiat eis communis absolutio, et dicatur pro eis psalmus De profundis. Et, si littere dande sunt, dentur et recipiantur et eis cum consilio suo tempore respondeatur. Et sic omnes qui non sunt de capitulo egrediantur. Quibus egressis, qui missi sunt ad excusandos eos qui non adsunt, ad quid uenerint loquantur. Deinde culpe audiantur.

De uisitatoribus.

(18) Post hec uisitatores presentes uerbo, absentes scripto, referre debent de hiis quos uisitauerint fratribus, si in pace continui, in studio assidui, in predicatione feruentes, que de eis fama, quis fructus, si in uictu <et uestitu> et in aliis secundum tenorem institutionum ordo seruetur. Quod si alicubi minus inuenerint, ille ad quem pertinet hec audiens surgat sponte et ueniam petat et condignam penitentiam humiliter expectet.

De electione uisitatorum.

(19a) Statuimus quod quatuor fratres ad uisitandam prouinciam in capitulo prouinciali predicto modo eligantur qui excessus priorum conuentualium et fratrum audiant et emendent, absque constitutione et status domus mutatione. Loca uero sua ubique teneant, nisi in capitulo dum ab eis sue correctionis officium exercetur, quod in tribus diebus continuis terminetur. Si qua autem grauia et periculosa inuenerint, licet correcta fuerint, nichilominus cum testimonio maioris partis capituli eiusdem generali capitulo studeant denuntiare.

(b) Priores autem seu doctores in uisitatores nullatenus eligantur.

(c) Qui uero in presenti anno uisitare debuerant et non sicut oportuit fecerint, culpam suam dicant et digne uindicte subiaceant. Tunc absentibus qui adesse debuerint, et hiis qui peccauerint nec satisfecerint, penitentia scripta mittatur.

De ydoneis ad predicandum.

(20) Post hec qui ydonei ad predicandum ab aliquibus estimantur presententur, et illi qui de licentia et mandato sui prioris necdum <de> licentia maioris prelati uel capituli predicationis officium receperunt. Quibus omnibus diligenter seorsum examinatis ab ydoneis personis ob hoc et ob alias capituli questiones institutis, et fratribus cum quibus conuersati sunt studiose inquisitis de gratia predicationis quam eis deus contulerit, et studio, et religione, et caritatis feruore, proposito ac intentione, et hiis de eis testimonium perhibentibus, consensu et consilio maioris prelati approbabunt quicquid ipsi utilius iudicabunt, utrum uidelicet ipsi fratres adhuc debeant in studio morari uel cum fratribus prouectioribus in predicatione exercitari, uel ydonei sint et utiles per se predicationis officium exercere.

De questionibus.

(21a) Tunc qui habent questiones facere, siue proprias siue communes, ad ordinem uel ad predicationem pertinentes, proponant ordinate unus post alium et ab aliquo fratre diligenter notentur, ut suo loco et tempore ab hiis qui ad hoc statuti sunt soluantur et terminentur. Et uno stante et loquente, alius non loquatur.

(b) Et ut in exeundo modus seruetur, nullus exeat sine licentia et necessitate. Egressus autem non discurrat, sed expleta necessitate citius reuertatur.

(c) Si qua uero dissensio inter fratres ordinis nostri, quod absit, emerserit de libris uel [de] aliis rebus, cum preponenda sint spiritualia temporalibus, non inde agatur in capitulo, sed fratres eligantur qui in hoc periti fuerint et post refectionem in loco competenti extra capitulum discussa ueritate litem dirimant et inter fratres pacem restituant.

(d) De solutione et terminatione questionum, de correctione fratrum, de modo penitentiarum, et de predicatoribus et eorum sociis ob predicandum et studendum mittendis, et quando et ubi et per quantum tempus moraturis, prelatus maior cum aliis qui ad hoc instituti sunt [et] tractabit. Et quicquid inde donante spiritu sancto ordinauerint, capitulum uniuersaliter et unanimiter et deuote suscipiat. Nullus murmuret, nullus reclamet, nullus contradicat.

(e) In fine communis fiat confessio et absolutio, perseuerantibus benedictio, apostatis et profugis anathematis maledictio.

(f) Et hec eadem forma in capitulo prouinciali obseruetur.

(g) <Magister ordinis aut priores prouinciales non mutent acta capituli generalis uel prouincialis, nisi forte in speciali causa necessaria et utili.>

De anniuersariis.

(21bis/36a) A festo sancti Dyonisii usque ad aduentum, pro anniuersario fratrum clericus psalterium, sacerdos tres missas, laici quingenta Pater noster.

(b) Idem faciat quilibet fratrum pro defuncto fratre sui conuentus.

(c) Idem fiat per totum ordinem pro magistro ordinis, et a comprouincialibus pro priore prouinciali defuncto.

(d) Idem etiam fiat pro uisitatore a domibus quas uisitare debet, si in uisitatione moriatur.

(e) Idem etiam fiat pro diffinitoribus generalis capituli siue prioribus prouincialibus siue aliis fratribus et eorum sociis, si eos in uia mori contigerit, quod fit pro magistro ordinis mortuo.

(f) Item in unaquaque prouincia pro fratre illius prouincie defuncto quilibet sacerdos celebret unam missam, et quilibet conuentus unam in communi, et unusquisque aliorum septem psalmos.

(g) Anniuersarium patrum et matrum tertia die post purificationem sancte Marie, anniuersarium benefactorum et familiarium tertia die post natiuitatem eiusdem est faciendum.

<De capitulo generalissimo.>

<(22) Generalissimum capitulum non conuocetur nisi quando maior pars prouinciarum petierit uel magistro uisum fuerit expedire. Prouincie que petunt scribant causas quare petunt; de hiis tamen capitulum generale non habebit iudicare utrum sufficientes sint uel non, sed tamen scribantur ut ante capitulum fratres de hiis possint habere collationem. Priores autem prouinciales cum duobus fratribus a capitulo suo prouinciali electis tale capitulum celebrandi habeant potestatem, et duobus annis ante pronuntietur nisi fuerit urgens necessitas.

De conuentu mittendo.

(23a) Conuentus citra numerum duodenarium, et sine licentia generalis capituli, et sine priore et doctore, non mittatur.

(b) Item nulla domus concedatur, nisi a priore prouinciali et diffinitoribus prouincialis capituli fuerit postulata, nec concessa ponatur nisi ubi predicti decreuerint expedire.

(c) Item statuimus ut nulla domus nostri ordinis transferatur de prouincia ad prouinciam, nisi per tria capitula fuerit approbatum.

De electione priorum conuentualium.

(24a) Priores conuentuales a suis conuentibus eligantur, et a priore prouinciali, si ei uisum fuerit, confirmentur; sine cuius licentia de alio conuentu eligendi non habeant potestatem.

(b) Item fratres tantum post annum sue professionis admittantur ad electionem prioris conuentualis.

(c) Si uero sunt de alia prouincia, postquam per annum steterint in domo alterius prouincie ad quam missi sunt, admittantur ad electionem [prioris conuentualis].

(d) Item priore conuentuali mortuo uel amoto, conuentus eligat infra mensem postquam ei innotuerit, alioquin prior prouincialis eidem conuentui prouideat de priore.

De subpriore.

(25) Prior autem conuentualis de consilio discretorum fratrum instituat subpriorem, cuius officium erit habere diligentiam et curam circa conuentum, et corripere delinquentes, et in aliis quantum prior ei assignauerit uel permiserit. Nec in cotidianis capitulis accusetur, nisi aliquando pro aliquo maiori excessu, secundum quod priori uisum fuerit, proclametur.

De possessionibus non recipiendis.

(26a) Possessiones seu redditus nullo modo recipiantur.

(b) Nullus fratrum nostrorum instare audeat uel rogare pro beneficiis suis consanguineis optinendis.

De cura monialium non procuranda.

(27a) In uirtute spiritus sancti et sub pena excommunicationis districte prohibemus ne aliquis fratrum nostrorum decetero laboret uel procuret ut cura uel custodia monialium seu quarumlibet aliarum mulierum nostris fratribus committatur. Et si quis contraire presumpserit, pene grauioris culpe debite subiaceat.

(b) Prohibemus etiam ne aliquis decetero aliquam tondeat uel induat uel ad professionem recipiat.

(c) Item ecclesias quibus annexa sit cura animarum non recipiant.

(d) Numerum quoque missarum non admittant.

De magistro studentium.

(28a) Quoniam circa studentes diligens est adhibenda cautela, aliquem fratrem specialem habeant sine cuius licentia non scribant quaternos nec audiant lectiones, et que circa eos in studio corrigenda uiderit corrigat; et, si uires excedant, prelato proponat.

(b) In libris gentilium et philosophorum non studeant, etsi ad horam inspiciant; seculares scientias non addiscant nec etiam artes quas liberales uocant, nisi aliquando circa aliquos magister ordinis uel capitulum generale uoluerit aliter dispensare, sed tantum libros theologicos tam iuuenes quam alii legant.

(c) Statuimus autem ut quelibet prouincia fratribus suis missis ad studium ad minus in tribus libris theologie prouidere teneatur. Et fratres missi ad studium in ystoriis et sententiis, et textu et glosis, precipue studeant et intendant.

De dispensatione studentium.

(29a) Circa eos qui student taliter dispensetur a prelato ne propter officium uel aliud de facili a studio retrahantur uel impediantur.

(b) Et, secundum quod magistro studentium uidebitur, locus proprius statuatur in quo post disputationem uel uesperas, uel alio etiam tempore si uacauerint, ad dubitationes uel questiones proponendas ipso presente conueniant; et uno querente uel proponente alii taceant, ne loquentem impediant. Et si aliquis inhoneste uel confuse uel clamose uel proterue querens uel opponens uel respondens offenderit, statim ab illo qui tunc inter eos preest corripiatur.

(c) Celle non omnibus studentibus sed quibus magistro eorum expedire uidebitur assignentur. Quod si aliquis infructuosus inueniatur in studio, cella eius detur alteri et ipse in aliis officiis occupetur. In cellis legere, scribere, orare, dormire et etiam de nocte uigilare ad lumen possunt qui uoluerint propter studium.

De doctore.

(30a) Nullus fiat publicus doctor nisi per quatuor annos ad minus theologiam audierit.

(b) Item nullus fratrum nostrorum legat in psalmis uel prophetis alium sensum litteralem nisi quem sancti approbant et confirmant.

De predicatoribus.

(31a) Statuimus ut nullus fiat predicator generalis antequam theologiam audierit per tres annos;

(b) ad exercitium uero predicationis postquam per annum audierint possunt admitti qui tales sunt de quorum predicatione scandalum non timetur.

(c) Et hii qui apti sunt, cum in predicatione exire debuerint, eis socii dabuntur a priore, secundum quod moribus eorum et honestati iudicauerit expedire. Qui recepta benedictione exeuntes ubique, tamquam uiri qui suam et aliorum salutem procurare desiderant, religiose et honeste se habeant, sicut uiri euangelici, sui sequentes uestigia saluatoris, cum deo uel de deo secum uel proximis loquendo. Vitabunt suspiciosi comitatus familiaritatem.

(d) Euntes uero ad iam dictum predicationis officium exercendum uel alias itinerantes aurum, argentum, pecuniam et munera, excepto uictu et uestitu et necessariis indumentis et libris, nec accipient nec portabunt.

(e) Omnes qui ad officium predicationis uel studium sunt deputati nullam habeant curam seu administrationem temporalium, ut expeditius et melius iniunctum ministerium sibi spiritualium ualeant adimplere, nisi forte <ubi> non sit aliquis alius qui necessaria procuret, cum in necessitatibus diei presentis oporteat aliquando occupari.

(f) Placitis et causis nisi pro fidei negotiis non intersint.

Ubi non audeant predicare fratres.

(32a) Predicare non audeat aliquis in dyocesi alicuius episcopi qui ei ne predicet interdixerit, nisi litteras et generale mandatum habeat summi pontificis.

(b) Cum fratres nostri dyocesim alicuius episcopi ad predicandum intrauerint, primo si poterunt episcopum illum uisitabunt ut secundum consilium eius in populo fructum faciant quem facere intendunt; et quamdiu in eius episcopatu fuerint, ipsi in hiis que contra ordinem non fuerint deuote obedientes erunt.

De scandalo predicationis.

(33a) Caueant fratres nostri ne ponendo os in celum suis predicationibus religiosos uel clericos scandalizent, sed ea que in ipsis emendanda uiderint obsecrando ut patres seorsum emendare procurent.

(b) Nullus assumatur ad predicationis officium extra claustrum uel fratrum consortium infra XXV annos.

De itinerantibus fratribus.

(34a) Predicatores uel itinerantes, cum in uia existunt, officium suum dicant prout sciunt et possunt, et sint contenti officio ecclesiarum ad quas quandoque declinant, uel etiam agant officium uel audiant apud episcopos uel prelatos uel alios, secundum mores eorum cum quibus aliquando conuersantur.

(b) Fratres etiam uiatores litteras testimoniales secum ferant, et in conuentibus ad quos declinauerint de excessibus suis ibidem corrigantur.

(c) Prior in ordine sit prior in uia, nisi forte predicatori adiungatur, uel cum egrediuntur aliter prelatus cum ipsis ordinauerit.

(d) Socius datus predicatori ipsi ut priori suo in omnibus obediat.

(X 1 [II 33c]) Statuimus ne fratres nostri in predicationibus suis dari uel colligi pecuniam admoneant pro domo uel aliqua persona speciali.

(X 2 [II 35e]) Item nullus faciat sibi scribi libros de rebus domus nisi ad communem utilitatem.

(X 3 [II 28d]) In diebus dominicis et festis precipuis a quaternis scribendis se contineant.

(X 4 [II 35f]) Item in diebus dominicis seruilia opera, ut lapides portare, ligna aggregare et similia, fieri prohibemus.

(X 5 [II 1da]) Nullus prior conuentualis secum plures fratres ducat ad capitulum generale uel prouinciale nisi causa legitima. Et assumat quilibet prior socium sibi secundum electionem capituli sui.

(X 6 [in II 17]) Item nullus decetero petitiones diffinitoribus porrigat que per capitulum suum non fuerint approbate.

(X 7 [II 1i]) Item nulla petitio offeratur prouinciali capitulo nisi a conuentu, nec generali nisi a prouinciali.

(X 8 [II 34e]) Fratres minores sicut et nostri caritatiue et ylariter recipiantur et secundum facultatem domus pie et honeste procurentur.

(X 9 [II 35]) De edificiis.

(a) Mediocres domos et humiles habeant fratres nostri, ita quod murus domorum sine solario non excedat in altitudine mensuram XII pedum, et cum solario XX, ecclesia XXX. Et non fiat lapidibus testudinata, nisi forte super chorum et sacristiam.

(b) Si quis decetero contrafecerit, pene grauioris culpe subiacebit.

(c) Item in quolibet conuentu tres fratres de discretioribus eligantur, sine quorum consilio edificia non fiant.

(X 10 [II 35d]) Fratres non sint dispensatores alienarum rerum uel pecuniarum, nec fideicommissarii; depositarii esse possunt.

(X 11 [in Prol.]) Priores utantur dispensationibus sicut et alii fratres.

(X 12 [II 34ba]) Prior priorem superuenientem honoret. Hospes per ciuitatem sine consilio suo non discurrat nec moram faciat.

(X 13 [fin de I 19]) Bote extra septa monasterii non portentur.

(X 14 [II 34aa]) In inclinationibus conformemur moribus eorum ad quos declinamus.

(X 15 [II 34f]) Nullus fratrum uadat ad curiam nisi de licentia magistri uel capituli generalis, sed mittatur garcio ad fratres qui ibi sunt, uel si quis secularis uoluerit procurare ut tamquam per se et non per nos uideatur facere.

(X 16 [II 34g]) Fratres non recipiant a mulieribus munuscula nec dent, et maxime confessores.

(X 17 [fin de I 8]) Si quid petitum fuerit ab uno priore, non petatur ab alio nisi causa exposita, sed nec si a maiore petierit uadat ad minorem.

(X 18 [II 28e]) Cum frater de prouincia ad prouinciam et ad regendum mittitur, omnes libros suos glosatos, bibliam et quaternos secum deferat. Si uero mittitur et non ad regendum, tantum bibliam et quaternos portet. Quod si in uia mori contigerit, conuentus ad quem mittendus fuerit sibi in missis et psalteriis tenebitur, et ad eundem libri quos habuit pertinebunt.

(X 19 [II 28f]) Tres fratres tantum mittantur ad studium Parisius de Prouincia.

(X 20 [in I 1]) In ferialibus diebus iacemus prostrati a Sanctus usque ad Agnus, in festis uero trium uel nouem lectionum ab eleuatione corporis Christi usque ad Pater noster. In prostrationibus idem seruamus in festo trium uel nouem lectionum.

(X 21 [in I 1]) Ad Salue sancta parens et ad Veni sancte spiritus flectamus genua.

(X 22 [in I 1]) Item si in ferialibus diebus dicimus missam de cruce, cadimus ad terram, ad missam de beata uirgine uel de spiritu sancto non.

(X 23 [in I 4]) Item numquam terminamus missam cum alleluia.

Regula fratrum nostrorum conuersorum.

(37a) Eodem tempore surgant fratres nostri conuersi quo et canonici, et eodem modo inclinent. Cum surrexerint ad matutinas dicant Pater noster et Credo in deum, quod faciendum est ante primam et post completorium. In matutinis dicto Pater noster et Credo in deum erigant se dicentes Domine labia mea aperies etc., Deus in adiutorium meum etc., Gloria patri etc.

(b) Pro matutinis in profestis diebus dicant XXVIII Pater noster, et in fine omnium dicant Kyrieleison, Christeleison, Kyrieleison, Pater noster. Quo dicto addant Per dominum etc., deinde Benedicamus domino etc. In festis nouem lectionum XL Pater noster dicant. In aliis autem horis VII Pater noster dicant. Et in uesperis XIIII.

(c) Loco Pretiosa dicant tria Pater noster. Pro benedictione mense Pater noster et Gloria patri etc. Post mensam pro gratiis tria Pater noster, Gloria etc., uel Miserere mei deus, qui sciunt. Et hoc totum cum silentio in ecclesia et ubicumque.

(d) Conuersis qui nunc habent psalteria tantum duobus annis liceat retinere, abinde ipsis et aliis psalteria inhibemus.

(e) Indumenta tot habeant quot et canonici preter capas, loco quarum habeant scapularia longa et lata, que non sint alba sicut et tunice. Poterunt et breuia grisei coloris habere scapularia ad mensuram et formam scapularium canonicorum.

(f) De ieiuniis, cibis et abstinentiis, et culpis et aliis omnibus sic se habeant sicut scriptum <est> in regula canonicorum. In labore tamen prelatus cum eis poterit dispensare.

(g) Item nullus conuersus fiat canonicus, neque in libris causa studendi se audeat occupare.

(X 24 [fin de I 4]) Totum officium tam nocturnum quam diurnum confirmamus et uolumus ab omnibus uniformiter obseruari, ita quod nulli liceat decetero aliquid innouare.

RICHARD DE SAINT-VICTOR
COMMENTAIRE DE L'APOCALYPSE (extraits)
(p. 281-287)

RICHARDUS A SANCTO VICTORE, *In Apocalypsim Joannis libri septem,* Patrologia Latina 196, col. 776c-792a (le texte a été revu par Dominique Poirel).

Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei, et datae sunt illis septem tubae.

Septem angeli stantes in conspectu Dei sunt praedicatores universi per omne tempus quod septem dierum numero volvitur, cooperante Spiritus sancti. Qui idcirco dicti sunt angeli, quia a Deo missi ; stantes in conspectu Dei, quia ad divinum obsequium parati gratia, praedicantes verbum Dei. Dantur illis septem tubae, quia attribuitur eis universale officium praedicationis divinae, ut canant ad electorum munitionem, et reproborum destructionem.

Et alius angelus venit, et stetit ante altare habens thuribulum aureum in manu sua.

Alius angelus Christus, quia magni consilii angelus, qui bene dicitur alius, quia ab aliis angelis, id est universis praedicatoribus, et gratia sanctitatis, et excellentia dignitatis, et potentia virtutis longe remotus (...)

Et septem angeli, qui habebant septem tubas, paraverunt se ut tuba canerent.

Postquam superius de angelo magni consilii, id est de Christo, quaedam quae ad redemptionis nostrae sacramenta pertinent breviter tetigit, et apostolorum missionem per thuribulum in terram missum typice descripsit, rursum ad septem angelos, id est ad universos praedicatorum conventus de quibus incoepit, et de quibus in sequentibus tractabit, sermonem reducit: qui se parant ut tuba canant, quia operantur prius quod postea praedicant, vel quae, et quibus praedicare debeant diligenter prius considerant. Magnum quippe est officium praedicationis, unde necesse est ut qui illud exercere debent, et firmentur virtute sanctitatis Septem ergo angeli sunt praedicatores universi. (....), et utantur libra discretionis.

Et sextus angelus tuba cecinit, et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Domini, dicentem sexto angelo qui habebat tubam : Solve quatuor angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.

Apertione putei abyssi, id est universitate mali quo sancta impugnatur Ecclesia, ante adventum Antichristi superiori capitulo diligenter descripta, in isto consequenter agit de persecutione sub Praedicitur quoque electis ad consolationem immutabilitas aeternitatis Antichristo ventura. Agit denique in hoc eodem capitulo de Elia et Enoch, et eorum praedicatione et morte, et de eorum resuscitatione

Et sextus angelus tuba cecinit, id est sextus doctorum ordo de tempore Antichristi praedicavit et glorificatione. Et audivi vocem unam, id est universalis doctrinae concordiam, ex quatuor cornibus altaris aurei, id est ex omnibus praedicatoribus Christi, qui eum sublevant et deferunt, quatuor Evangelia praedicando per quatuor Hoc altare dicitur aureum: altare, quia super illud offertur holocaustum humanae justitiae ; aureum, quia in Christo habitat fulgor divinae sapientiae; apte etiam dicitur esse ante oculos Domini, quia Pater in dicentem sexto angelo qui habebat tubam, id est illis qui, imminente articulo illius persecutionis, ministrabunt ecclesiasticam doctrinam.Filio Universi namque sacrae scientiae scriptores et praedicatores dies illos praedicunt, et electos maxime praedicatores, qui alios confirmare debent contra crudelitatem illius praemunire contendunt. (...) complacet sibi, partes mundi.

In diebus vocis septimi angeli cum coeperit tuba canere, id est in diebus ultimorum praedicatorum, post tempus Antichristi, cum coeperint praedicare, id est in ipso initio praedicationis eorum, consummabitur mysterium Dei, id est secretum promissum quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod hic in mundo inchoatur, ibi in coelo consummatur. Sicut per servos suos prophetas evangelizavit, quia illud ab initio per Magna ergo erit in diebus Antichristi inter fluctuantis adversa temporis consolatio, electis promissa et cito ventura stabilitas aeternitatis. Quae etiam eo certius ab electis creditur, quod per ipsum Redemptorem tam firmiter testificata describitur eos suis electis praenuntiavit.

Et vox, subauditur sonuit, quam audivi de coelo iterum loquentem mecum, et dicentem: Vade, et accipe librum ap<er>tum de manu angeli stantis supra mare, et supra terram. Et abii ad angelum, dicens ei ut daret mihi librum.

Et dixit mihi: Accipe et devora illum, et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo dulce erit tanquam mel. Et accepi librum de manu angeli, et devoravi illum, et erat in ore meo tanquam mel dulce. Et cum devorassem illum, amaricatus est venter meus, et dixit mihi : Oportet te iterum prophetare populis et gentibus, et linguis, et multis regibus.

Ne sanctus Joannes ab officio praedicationis suspensus et in exsilio relegatus, de liberatione exsilii, vel de recuperatione amissi officii desperaret, sed semetipsum de utriusque rei beneficio confortaret, librum de angelo, id est scientiam de Christo accipere praecipitur: et ei quod sacram praedicationem populis, gentibus, linguis et regibus multis ministrare debeat declaratur. Qui in eo quod praeceptum statim adimplevit nobis exemplum obedientiae demonstravit, ut si sapientiam desideramus ab illo qui dat omnibus affluenter, et non improperat, eam postulemus: quod autem liber iste in ore dulcis fuit, sed ventrem amaricavit, hoc designat quod sacrosancta scientia dulcescit quidem in praedicatione, sed gravat et amarescit in exhibenda actione.

Sequitur :

Et datus est mihi calamus similis virgae, et dictum est mihi: Surge et metire templum Dei, et altare, et adorantes in eo. Atrium autem quod est foris templum Dei et altare ejice foras, et ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus.

Ut adhuc certior de aedificanda per ipsius praedicationem sancta Ecclesia efficiatur, surgere et metiri templum Dei jubetur. Quod enim illi vox divina facere tunc praecepit in revelatione, hoc postmodum egit in praedicatione. Sancta etenim Ecclesia incrementum accipit, secundum quod in seipsa per verbum praedicationis extendit. Quod ergo in revelatione metiendo egit, signum ei futurae praedicationis fuit. Quae videlicet praedicatio calamus similis virgae esse dicitur: calamus quia sonat; similis virgae quia rectitudinem servat. Quam ad metiendum sumens surgit, quisquis ad praedicandum verbum Dei virtutibus et bonis operibus semetipsum erigit.

Quod vero praemittit templum et altare, hoc est quod exponendo subjungit, dicens: Et adorantes in eo. Templum namque et altare adorantes fideles signat. Templum infirmiores, altare sanctiores. Templum ad bonam actionem exterius dilatatos, altare contemplationi interius intentos. Hoc templum sive altare metiri praecipitur, quisquis activis sive contemplativis verbum eruditionis ministrare secundum utrorumque capacitatem admonetur.

Atrium vero falsi Christiani sunt, qui videntur consecrati eo quod sint baptizati, sed pleni sunt cadaveribus, id est vitiis et pravis operibus. Qui, quamvis fidelibus juncti sunt nomine, longe tamen ab eis sunt actione. Isti denique non comprehenduntur sub mensura calami, quia non subduntur praecepto Verbi. Et dati sunt gentibus, quia conformes facti sunt gentibus. Isti foras ejiciuntur, quoties a fidelibus separati praedicantur.

JOACHIM DE FLORE
COMMENTAIRES DE L'ÉCRITURE (extraits)
(p. 293-301)

JOACHIM VON FIORE *Concordia Novi ac Veteris Testamenti*, Herausgegeben von Alexander Patschovsky, MGH, Quellen zur Geistesgeschichte des Mittelalters 28, Wiesbaden : Harrassowitz Verlag, 2017, vol. 2, p. 475-479.

IOACHIM FLORENSIS, *Expositio in Apocalipsim*, Venetiis, 1527 (reprint : Frankfurt a. M. : Minerva G.M.B.H, 1964), folio 136va-137rb.

IOACHIM ABBAS FLORENSIS, *Tractatus super quatuor Evangelia*, edidit Francesco Santi, Roma : Istituto Storico Italiano per il Medio Evo, 2002, p. 108.

1

CONCORDE DU NOUVEAU ET DE L'ANCIEN TESTAMENT (LIVRE IV 2. C. 1)

1. Finis esset libri sermo iste ultimus et finalis, in quo facta est mentio de *nouissimo die*, nisi quia de tempore isto presenti – quod finem esse diximus secundi status et initium tertii – minus satis diximus quam locus exposcit, ne, si in ordine suo dicerentur omnia que dicenda erant, impetus sermonis tendentis ad suum finem magnum obstaculum pateretur. Nunc ergo repetendus est idem locus, ut, statuto ibi exordio tertii status, de tertio quoque cursu concordie aliquid uel innuendo exhibere possimus, quatinus, prolatis tam lucide duobus testimoniis, addatur et tertium, ut, propalata ex omnibus veritate, *obstruatur os loquentium iniqua*. Quod sepe diximus in opusculis nostris, cogimur dicere et in hoc loco. Nec frustra tamen. *Eadem* enim, inquit Apostolus, *vobis scribere michi quidem non pigrum, vobis autem necessarium*.

2. Igitur, ut iam scripta rescribam :

Primus status seculi initiatus est ab Adam, fructificavit ab Abraham, consumavit in Christo ; secundus initiatus ab Ozia, fructificavit a Zacharia patre Iohannis Baptiste, accepturus consumationem in temporibus istis ; tertius, sumens initium a beato Benedicto, cepit proferre fructum suum a generatione vicesima secunda ab eodem sancto viro, consummandus et ipse in consumatione seculi.

3. Et primus quidem, in quo claruit ordo coniugatorum, proprietate mysterii ascribitur Patri ; secundus, in quo claruit ordo clericorum in tribu Iuda, ascribitur Filio ; tertius, in quo claruit ordo monachorum, ascribitur Spiritui Sancto. Sic enim voluit, sic statuit, et sic ostendit, is qui *fecit omnia in sapientia sua*, ut in *operibus ordinate creatis creatorem agnosceret creatura* et sciret, quia unus est Deus Pater, qui *a nullo est*, unus Dei Filius qui a *solo Patre*, unus *Spiritus veritatis* qui *a Patre* simul *procedit et Filio*. Verum quia non a solo Filio, sed *a Patre et Filio*, dignum fuit, ut ordo monasticus, qui proprietate, ut iam dixi, mysterii pertinet ad Spiritum Sanctum, duos status seculi, quos supra scripsimus, occuparet, secundum scilicet, qui proprie pertinet ad Filium, et tertium qui ad Spiritum Sanctum pertinere dinoscitur. Sicut enim Lia et Rachel sub eodem tempore iuncte sunt in matrimonio Iacob, et tamen precessit tempus parturitionis Lie, secutum est autem circa finem Rachelis, ita, etsi ordo monasticus simul cum clericali sub secundo seculi statu claruisse videtur, propterea tamen secundus status proprie ascribitur Filio, tertius Spiritui Sancto, quia in secundo statu fructificavit ordo clericorum, inchoatus a Christo et sanctis apostolis per actionem predicationis, contemplativa interim perfectione usque scilicet ad hec nostra tempora in sterilitate

manente ; nimirum quia, ut ad sextam etatem labor, ita ad septimam pertinet contemplatio. Quorum alterum quidem usquemodo precessit, alterum et iam incepit et amodo perfectius in perfectis manebit.

4. Ut autem omisso tempore sterilitatis Rachelis de fecundo eius tempore eloquamur : Sicut in sexta etate mundi claruit ordo clericorum, ita in etate septima oportet clarere ordinem monachorum. Quia vero, ut iam dixi, Spiritus Sanctus Spiritus est Patris et Filii, et ipse nichilhominus verus Deus, primo consideranda est concordia in operibus eius secundum eam rationem, qua noscitur idem *Spiritus procedere ab utroque*, iuxta quod ostensum est in secundo libro etiam per figuras, ubi opera operibus respondere noscuntur ; deinde secundum quod opera eius, que facturus erat in tertio statu, similia sunt operibus pertinentibus ad Patrem et operibus pertinentibus ad Filium, non – quod absit, ut sepe dixi ! – divisione potestatis sed proprietate mysterii.

2

EXPOSITION SUR L'APOCALYPSE (Ap 9, 20-21. 10, 1-3).

Et cæteri homines qui non sunt occisi in his plagis, neque egerunt penitentiam de operibus manuum suarum, ut non adorarent Dæmonia et Simulachra aurea, et argentea, et ærea, et lapidea, et lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare, et non egerunt penitentiam ab homicidis suis, neque a fornicatione, neque a furtis suis.

(...) Prius tamen quam veniat tribulatio illa, mittet dominus hominibus Angelum lucis (qui aperto volumine quod aliquando erat clausum) doceat eos archana mysteriorum Dei, quatenus et electis sit ad subsidium, et reprobis (qui hec contemnunt) ad cumulum damnationis, dum et illi de libri apertione proficiunt ad salutem, et isti de claritate luminis, maiorem incurrunt ignorantie cecitatem. Dicens enim Propheta in typo spiritualis ecclesie : Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum ; protinus adiecit et ait : Quia ecce tenebre operient terram et caligo populos. Igitur et si reprobi digni non sunt, aut tamen propter ipsos vt excusationem non habeant, aut propter electos, vt sciant redimere tempus, quia dies mali sunt, mittendus est a domino Predicator veritatis, sub tempore sexto qui doceat homines terrena despicere, et amare celestia. Nam sequitur.

Et vidi alium Angelum fortem descendentem de cælo amictum nube, et yris in capite eius, & facies eius erat ut Sol, & pedes eius tamquam columna ignis, & habebat in manu sua librum apertum, & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram, & clamauit voce magna, quemadmodum cum Leo rugit. Et cum clamasset, loquuta sunt septem tonitrua voces suas.

Quicumque erit iste Predicator veritatis, fortis esse describitur, quia robustus erit in fide. De celo descendet, quia de vita contemplativa, descendet ad activam. Amictus erit nube, quia indutus erit scriptura Prophetarum. Sed et yrim gerit in capite, quia donum sancti spiritus habebit in mente. Ut enim yris id est archus celestis apparet iunctus nubibus celi, sic ad conuincendos aduersarios, scripture sanctorum Prophetarum iungendus est mysticus intellectus. Sed de hoc in sequentibus. Prius enim querendum est (si tamen inueniri potest) quis sit iste Angelus tam preclarus, vt postea que de eo scripta sunt, quid spiritualiter designent, vestigare possimus. Ego Angelum istum secundum litteram, aut Enoch fore crederem, aut Helyam, nisi in sequentibus de duobus prophetis, qui putantur esse Enoch et Helyas, aliqua non his minora sermo propheticus loqueretur, quamuis si horum vnus est Angelus, iste magis esse intelligendus Enoch qui primus

disparuit, videatur. Verum hoc prout melius Deus nouit. Unum dico pro certo, quod huius Angeli significatum, magnum aliquem predicatorem personaliter tangit, quamuis spiritualiter ad multos viros spirituales qui in ipso tempore futuri sunt competenter valeat retorqueri, presertim, cum sicut Christus elegit sibi Discipulos non paucos ad predicandum litteram euangelii, ita oporteat spiritum sanctum eligere sibi aliquos quos voluerit ad producendum, ac si de tenebris ad lucem spiritualem ac viuificum intellectum, dicente domino. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.

3

TRAITÉ SUR LES QUATRE ÉVANGILES, LIVRE I, 6.

Ceterum secundum tipum ecclesie, quia, destructo « templo Dei » et urbe Ierusalem, descendit populus Iudeorum in Babilonem, et rursum, eodem ascendente, edificatum est templum, et hoc quidem post quadraginta annos a Cyri regis anno primo, quid per novissimam illam templi reedificationem, nisi future restitutio ecclesie, que futura est *in diebus Helie*, designatur, quando et Iudeorum populus convertetur ad Dominum ? Denique et quod Helias *altare* dirutum restaurasse describitur quando *interfecti* sunt sacerdotes *Baal*, ad eundem pertinet intellectum. Restaurabitur sane seu altare seu templum in diebus eius, hoc est predicatorum ordo, qui nunc *dissipatus* agnoscitur sub dominio Babilonis, et in ipso recipietur mater Domini cum « puero Iesu », duplex religionis ordo cum prelatis suis designatis in Ioseph, ut ex eo *reedificentur muri* Ierusalem, secundum quod luce clarius exprimit Ysaias propheta. Cum enim argueret presentis temporis Ecclesiam, in tipo Ierusalem, dicens : *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis*, quibusdam interpositis pertinentibus ad rem, adiecit et ait : *Heu, consolabor super hostibus meis et vindicabor de inimicis meis et restituam iudices tuos sicut prius et consiliarios tuos sicut antiquitus.*

GÉRAUD DE FRACHET
VIES DES FRÈRES, LIVRE I (extraits)
(p. 306-315)

Fratris Gerardi de Fracheto O.P. Vitae Fratrum Ordinis Praedicatorum nec Cronica ordinis an anno MCCIII usque ad MCCLIV, ed. Benedictus Maria Reichert, Lovanii : Typis E. Charpentier & J. Schoonjans, 1896.

Nous avons utilisé l'édition provisoire que nous a généreusement communiquée le P. Simon Tugwell.

PROLOGUE DE GERAUD (1258 et 1259)

Cum gloriosis sanctorum patrum exemplis tam noui quam ueteris testamenti quibus mundus copiose habundat turba fidelium quasi quibusdam panibus iam fuerit saciata, quos diuina bonitas penes unitatem puritatis reperiens fregit ac iussit distribui, restat ut eius mandato fragmenta, ea scilicet que in ordine predicatorum habentur digna memoria, colligantur ne obliuione pereant aut neglectu. Colligemus ergo in hoc uolumine, quod uitas fratrum appellamus, et coartabimus ad titulos competentes exempla fratrum notabiliaque, ponentes primo de inchoatione ordinis et causis, dehinc de beato Dominico que in sua non habentur legenda, post de sancte memorie magistro Iordane, quarto de progressu fratrum, quinto de felici fratrum egressu pariter et penoso, et de aliis utilibus prout in titulis singulorum patebit.

Hoc autem facile, dulce et perutile fiet maxime regina celi, domina mundi, matre Ihesu Christi, uirgine gloriosa Maria nobis prestante auxilium et graciam filii impetrante. Ipsa igitur sit fundamentum et principium huius operis que extitit, ut pie creditur et exemplis probatur, inicium ordinis et est patrona, aduocata, conseruatrix et ductrix.

Hec autem que in hoc uolumine posita sunt, a domino facta, a bonis et ueracibus narrata et conscripta, et per multos et discretos ac deuotos limata, et auctoritate capituli generalis per uenerabilem patrem magistrum ordinis nostri quintum, fratrem scilicet Humbertum de Romanis, approbata sunt diligenter et collecta.

I. Quod domina nostra ordinem predicatorum impetrauit a filio

2. Si diligenter aduertimus divinarum mysteria scripturarum, clare cognoscimus Dominam nostram Beatam Virginem esse apud Filium interventricem sollicitam, et piissimam humani generis adiutricem, cuius patrocinio temperetur severitas divine iusticie, ne pereant peccatores a facie Dei. Vnde vocatur nebula inter Deum et homines estum temperans ire Dei ; vocatur etiam propitiatorium, per quam Deus nostris propitiatur delictis, condonans de facili et prestans liberaliter que per eam remedia postulantur; inter que hoc unum fuit de potissimis, quod predicatorum ordinem a diuina misericordia suis precibus impetrauit, ut hiis exemplis patet.

3. Fuit ante institucionem huius ordinis monachus quidam, vitam ducens honestam, qui in quadam sua infirmitate, raptus in extasi tribus diebus continuis sine exteriori sensu et motu permansit. Ad se vero rediens nulli dicere voluit, quid vidisset. Elapso autem aliquanto tempore, cum iam ordo iste creatus esset, contigit duos fratres in ecclesia, ubi dictus erat monachus, predicare. Unde percunctatus diligenter ipsorum fratrum officium, religionem et nomen, post predicationem traxit eos cum aliis uiris honestis ad partem et ait : « Ea que michi Deus, sua

benignitate revelavit, et silui amplius non debeo tacere. Quondam raptus in extasi tribus diebus et tribus noctibus, vidi dominam nostram matrem Dei Mariam, flexis genibus et iunctis manibus pro humano genere Filium deprecantem, ut eum adhuc ad penitenciam expectaret. Qui dans sepius pie matri repulsam tandem sic instanti respondit : « Mater mea, quid possum vel debeo illis amplius facere ? Misi patriarchas et prophetas ad eorum salutem, et parum se correxerunt ; veni ego et misi apostolos, et me et illos nequiter occiderunt ; misi martires, doctores et confessores quam plurimos, nec illis acquieverunt ; sed quia non est fas, ut tibi aliquid denegem, dabo eis meos predicatores, per quos illuminentur et emendentur. Sin autem me vindicabo de illis et veniam contra eos.

4. Ad confirmationem autem predicte visionis facit, quod quidam monachus grandevus et religiosus in abbacia Bonevalis, ordinis cisterciensis, diocesis Viennensis, fratri Humberto, qui post~~ea~~ fuit magister ordinis predicatorum narravit : « Tempore, inquit, quo duodecim abbates ordinis nostri a domino papa missi fuerunt contra hereticos tholosanos, contigit quendam illorum iuxta villam quandam transire, in qua quidam qui mortuus fuerat, revixerat, ut dicebant. Misit ergo quendam monachum suum, ut inquireret veritatem et exploraret diligentissime, quid vidisset. « Vidi, inquit, beatam Mariam tribus diebus continuis flexis genibus coram filio pro populo deprecantem. Cui Filius, commemorans beneficia, que mundo fecerat et econtra mala que mundus rependebat, dixit : « Et quomodo possum amplius parcere sic ingrato ? » - At Virgo respondit : « Bone fili, non secundum eius maliciam, sed secundum tuam misericordiam agas. - Tandem victus eius precibus Christus ait : « Ad votum tuum adhuc faciam misericordiam hanc ; mittam eis predicatores, qui commoneant eos, et si quidem se correxerint, bene ; sin autem, non parcam. » - Hec, inquit ille reverendus senex, uobis narraui, quia uos brevi post tempore aparuistis predicatores/surrexistis predicatores. Quare sperari potest indubitanter quod ordo vester ad preces gloriose virginis sit creatus. Unde et ordinem debetis diligenter servare, et beatam Mariam potissime honorare.

5. Frater quidam minor, religiosus et fide dignus qui socius sancti Francisci multo tempore fuit, narravit fratribus, quorum unus hoc magistro ordinis scripsit. Quod, cum esset Rome beatus Dominicus et pro ordinis confirmatione apud Deum et apud dominum papam instaret, nocte orans, solito, vidit in visione, dominum Ihesum Christum stantem in aere et tres lanceas contra mundum vibrantem. Cui ad genua procidens virgo mater rogabat, ut misericors hiis quos redemerat, fieret et iusticiam misericordia temperaret. Ad quam filius aiebat : « Nonne vides quante michi iniurie fiunt, iusticia mea mala tanta non patitur inpunita. – Tunc ait mater ei : « Sicut tu scis qui omnia nosti ; hec est via per quam eos ad te reduces. Habeo unum fidelem servum quem mittes in mundum, ut verba tua annunciet, et convertentur et te querent omnium salvatorem. Alium eciam servum meum ei dabo in adiutorem qui similiter operetur. – Tunc filius inquit matri : « Ecce placatus suscepi faciem tuam ; verumptamen ostende michi, quos vis ad tantum officium destinare. – Tunc domina mater beatum Dominicum offerebat domino Ihesu Christo. Cui dominus : « Bene et studiose faciet que dixisti. » Obtulit et beatum Franciscum , et hunc salvator similiter commendavit. Beatus igitur Dominicus in visione illa socium diligenter considerans, quem ante non noverat, in crastinum, cum eum in ecclesia inuenisset, ex hiis que nocte viderat recognovit, et in oscula sancta ruens et sinceros amplexus dixit : « Tu es socius meus, tu curres pariter mecum ; stemus simul et nullus adversarius prevalebit. » Visionem eciam predictam narravit, et ex tunc facti sunt cor unum et anima una in Deo. Quod et in suis posteris mandaverunt in perpetuum observari.

II. Quod ordo iste in spiritu a multis sanctis preuisus est.

6. Apud Portas, secundam cellam ordinis cartusiensis, Lugdunensis diocesis, fuit quidam frater tante religionis, ut merito apud eos sanctus Stephanus nominetur. Hic revelacione sibi facta a domino fratribus suis predixit hunc ordinem predicatorum in brevi venturum. Super quo reddens eos attentos, affectu speciali rogavit et monuit, ut ordo iste ab eis in omni amore et reverencia haberetur. Quod devotissime implent recipientes fratres nostros ubique sicut angelos Dei.

7. In provincia Arelatensi fuit quidam Aurasicensis episcopus, ordinis albi, qui ob multam religionem ac opera virtuosa, que fiebant ab eo, sanctus dei ab omnibus habebatur ; magis autem propter graciam et predicationis fervorem, qua non solum in sua diocesi, sed eciam per totam provinciam singulariter excellebat. Hic publice et frequenter spiritu prophetico predicando asseruit ordinem predicatorum in brevi venturum: « Ego inquit modo uobis annuncio verbum Dei ut scio, sed in brevi venient qui vobis veraciter predicabunt, utpote qui officium habebunt, scienciam, vitam et nomen. Supersunt adhuc aliqui qui eum dicentem talia audierunt.

8. Domina Maria de Oignies, diocesis Leodiensis, mire perfeccionis et excellencie femina, cuius vitam magister Iacobus de Vitriaco, qui fuit cardinalis episcopus, descripsit mirabilem de hoc ordine sic predixit. Cum enim in raptu et quodam mentis iubilo esset, dixit, et ex hoc valde gavisa est, quod Spiritus Sanctus in brevi ecclesiam visitaret et per sanctos ~~suos~~ predicatores illuminaret. Hoc autem predixit decem annis antequam ordo institueretur.

9. In civitate Pisana fuit quedam venerabilis et devotissima femina, de qua fertur, quod integra mente et corpore a Christo domino fuerit annulo subarrata ; et annulus in quodam monasterio iuxta Pysas cum devocione servatur. Hec a Lucanis et Pisanis sancta Bona vocatur. Ipsa inter multa que spiritu prophetico predicebat hunc ordinem predicatorum predixit in brevi venturum, sicut testantur qui eam uiderunt et audierunt/sicut testati sunt, qui audierunt.

10. Ioachim eciam abbas et institutor florensis ordinis de ipso predicatorum ordine spiritu prophetico in multis libris et locis scripsit : et describens ordinem et habitum monuit fratres suos, ut post mortem suam, cum talis ordo exsurgeret, susciperent eum devote. Quod et fecerunt : recipientes fratres cum cruce et processione quando primo venerunt ad illos.

11. Sibilla eciam apertissime de hoc ordine prophetauit et eum excellenti eloquio comendauit.

Interpolation dans les manuscrits de Leipzig et Wroclaw.

Sancta Hildegardis, cuius prophecias et dicta Eugenius papa approbavit et inter agyographa solempniter transtulit, sancto Bernardo et cardinalibus et multis prelatis presentibus hec de ordine predicatorum predixit dicens : Post tempus muliebre quod incepit M°C° in tempore viridi, quod incepit M°CC°XV° surgent viri fortes, et prophetabunt et omnia nova et vetera scripturarum et omnes sermones per Spiritum Sanctum effusos colligent et intellectum eorum sicut monile cum preciosis lapidibus ornabunt, et per hos et alios sapientes plurimi seculares boni fient et sancte vivent ; et durabit ad errans tempus, in quo plurimi martires fient.

JACQUES DE VITRY
HISTOIRE OCCIDENTALE (extrait)
(p. 327-330)

Historia occidentalis of Jacques de Vitry, éd. J.F. Hinnebusch, Fribourg : *Spicilegium Friburgense* 17, 1972, p. 142-144.

DE NOUA RELIGIONE ET PREDICATIONE BONONIENSIUM CANONICORUM.

Est alia regularium canonicorum deo grata et hominibus gratiosa congregatio extra ciuitatem Bononie non longe ab ea in castris eterni regis militantium et eidem sub unius maioris obedientia in feruore spiritus et «mentis excessu» tam deuote quam humiliter seruientium. Hii siquidem ita expediti post dominum currunt et nudi nudum secuntur, quod omnium exteriorum curam et temporalium possessionem a se penitus reiecerunt, omnia transitoria tamquam stercora reputantes ut Christum lucrifaciant. Sapienter enim pensantes et prudenter attendentes quod sufficit diei malitia sua, in tantum de crastino non cogitant, quod elemosinas aliquas a fidelibus non recipiunt, nisi quantum sobrie uite sue ad artam necessitatem possit sufficere. Tribus in ebdomada diebus carnes, si eis apponantur, non recusant, simul in refectorio manducantes et in dormitorio quiescentes et horas canonicas secundum beati Augustini regulam pariter in ecclesia «in uoce exultationis et confessionis» domino concinentes, immolantes deo sacrificium laudis, et reddentes altissimo uota sua.

Ipsi autem, ex numero scolarium Bononie causa studii commorantium in unum, domino inspirante, congregati, diuinarum scripturarum lectiones, uno eorum docente, singulis diebus audiunt. Que autem diligenter audierint, summi pontificis auctoritate et sancte romane ecclesie institutione, Christi fidelibus diebus festis in predicatione refundunt, canonicam regulam et salutares regularium obseruantias predicationis et doctrine gratia decorantes et predicatorum ordinem canonicorum ordini coniungentes. Hec igitur dulcis mixtura bonorum multos ad imitandum allicit, prouocat et accendit, et diebus singulis sancta et honesta Christi scolarium congregatio et numero ampliatur et caritate dilatatur.

Attendentes enim sapienter fortes athlete Ihesu Christi quod nullum sacrificium magis placitum sit deo quam zelus et salus animarum et quod anima que impinguat impinguabitur et qui inebriat ipse quoque inebriabitur, sumentes in uasis suis de optimis terre frugibus et ferentes uiro munera, aquas suas in plateis diuidunt, et fontes eorum diriuantur foras in agro domini fructum centesimum recepturi, unanimiter laborantes ut, animas peccatorum de faucibus leuiathan extrahentes, postquam ad scientiam erudierint multos, fulgeant tamquam stelle in perpetuas eternitates.

CHRONIQUE DE LAUTERBERG (extrait)
(p. 333-334)

Chronicon Montis Sereni, MGH SS 23, p. 220-221.

[1224]

Duo nove conversacionis ordines in provincia et precipue in ipsa civitate Magdeburgensi haberi ceperunt, unus eorum, qui sanctos Predicatores se nominant, alter eorum qui Minores fratres appellantur, de quibus ferunt, quod ante hoc tempus viginti annis instituti et ab Innocencio papa fuerint confirmati. Et prior quidem clericorum tantum est, sequens vero et clericos et laicos recipit, quem dicunt ab institore quodam principium accepisse. Quid autem est huiusmodi novitatum introduccio, nisi quedam exprobracio neglecte et ociose conversacionis eorum, qui in ordinibus constituti sunt, in quibus ecclesia primitus est fundata? Denique beatissimi Augustinus et Benedictus, qui ita docuerunt ut vixerunt, ad quantum sanctitatis culmen ex sua conversacione pervenerint, notum est, quorum preceptis si quis obedienciam servare voluerit, nullis novis institucionibus videbitur indigere. Nam si eisdem novis institucionibus sanctitas queritur, illa posset sufficere, ad quam predicti patres sanctissimi secundum suas vivendo regulas pervenerunt. Non enim facile credi potest, quod quisquam vel ex ordine sanctorum Predicatorum vel Minorum fratrum Augustino vel Benedicto sanccior sit futurus. Absit autem, ut quorumlibet bonis studiis derogando hec dixerim, sed quia dolendum et valde dolendum est, quod primitivi ordines ex eorum, qui eosdem professi sunt, inordinata conversacione ad tantum deducti sunt contemptum, ut seculo renunciare volentibus ad salutem sufficere non credantur. Si enim posse sufficere putarentur, numquam novi alii quererentur.

BURCHARD D'URSBERG
CHRONIQUE (extrait)
(p- 338-341)

BURCHARDUS URSPERGENSIS, MGH SS 23, p. 376-377.

[Anno Domini 1212 (...)]

Eo tempore mundo iam senescente exortae sunt duae religiones in ecclesia, cuius ut aquilae renovatur iuventus, quae etiam a sede apostolica sunt confirmatae, videlicet Minorum fratrum et Predicatorum. Quae forte hac occasione sunt approbatae, quia olim duae sectae in Italia exortae adhuc perdurant, quorum alii Humiliatos, alii Pauperes de Luduno se nominabant, quos Lucius papa quondam inter haereticos scribebat, eo quod supersticiosa dogmata et observationes in eis reperirentur ; in occultis quoque predicationibus, quae faciebant plerumque in latibulis, ecclesiae Dei et sacerdotio derogabatur. Vidimus tunc temporis aliquos de numero eorum, qui dicebantur Pauperes de Luduno, apud sedem apostolicam cum magistro suo quodam, ut puto Bernhardo, et hi petebant, sectam suam a sede apostolica confirmari et privilegiari. Sane ipsi dicentes, se gerere vitam apostolorum nichil volentes possidere aut locum certum habere, circuibant per vicos et castella. Ast domnus papa quaedam supersticiosa in conversatione ipsorum eisdem obiecit, videlicet quod calceos desuper pedem precidebant et quasi nudis pedibus ambulabant ; preterea cum portarent quasdam cappas quasi religionis, capillos capitis non attondebant nisi sicut laici ; hoc quoque probrosum videbatur in eis, quod viri et mulieres simul ambulabant in via et plerumque simul manebant in domo una, et de eis diceretur, quod quandoque simul in lectulis accubabant, quae tamen omnia ipsi asserebant ab apostolis descendisse. Ceterum domnus papa in loco illorum exurgentes quosdam alios, qui se appellabant Pauperes minores, confirmavit, qui predicta supersticiosa et reprobrosa respuebant, sed precise nudis pedibus tam aestate quam hieme ambulabant et neque pecuniam nec quicquam aliud preter victum accipiebant, etsi quando vestem necessariam quisquam ipsis sponte conferebat ; non enim quicquam petebant ab aliquo. Hi tamen postea attendentes, quod nonnunquam nimiae humilitatis nomen gloriationem importet et de nomine paupertatis, cum multi eam frustra sustineant, apud Deum vanius inde gloriantur, maluerunt appellari Minores fratres quam minores Pauperes, apostolicae sedi in omnibus obedientes.

Alii, videlicet Predicatores, in locum Humiliatorum successisse creduntur. Humiliati quippe, nulla habita auctoritate aut licentia prelatorum, mittentes falcem in messem alienam, populis predicabant et vitam eorum plerunque regere satagebant et confessiones audire et ministeriis sacerdotum derogare. Quae volens corrigere domnus papa ordinem Predicatorum instituit et confirmavit. Illi quippe rudes et illiterati cum essent, operibus manuum instabant et predicabant, accipientes necessaria a suis credentibus. Isti vero studio et lectioni sacrae scripturae iugiter insistentes, tantum in scribendo libros opus faciebant et eos diligentissime a magistris suis audiebant, ut cum sagittis et arcu et omni armatura fortium possent ingredi et stare pro defensione sanctae matris ecclesiae et ex adverso ascendere et ponere se murum pro domo Israhel, dum fidem roborant, virtutes et bonos mores instruunt et corroborant, statuta ecclesiae docent et collaudant, vitia hominum et pravitates redarguunt et castigant. Hi nichilominus sedi apostolicae in omnibus obediunt, a qua auctoritatem precipuam trahunt.

MATTHIEU PARIS
GRANDES CHRONIQUES (extraits)
(p. 346-351)

Matthæi Parisiensis monachi Sancti Albani Chronica Majora, edited by Henri Richards Luard, vol. II, A.D. 1067 to A.D. 1216, London : Longman, Trübner, 1874, p. 443 ; vol. IV, A.D. 1240 to A.D. 1247, London : Longman, Trübner, 1877, p. 511-517.

[AD 1198]
Innocentius Papa.

Eodem anno, defuncto Papa Cælestino, Innocentius tertius successit, in die Cathedræ Sancti Petri Papa consecratus et in Petri cathedra collocatus.

Cujus favore exortum est in Italia novum genus prædicatorum, qui Jacobitæ voluerunt appellari, eo quod vitam cœperunt Apostolicam imitari. Isti in victu et vestitu satis tenues, aurum et argentum vel aliud quid proprium non possidentes, ibant per civitates et vicos et castella, verbum Evangelii prædicantes. Multiplicati sunt autem in brevi per orbem universum propter spontaneam paupertatem, habitantes deni et septeni simul in urbibus capitalibus, nihil de crastino cogitantes, nec quicquam usque mane retinentes. De evangelio quoque juxta regulam Apostolicam vivebant ; et si quid sibi in mensa ex elemosinarum largitione superabundavit, hoc continuo pauperibus erogabant. Ibant autem calciati in præparatione Evangelii, vestiti dormiebant ; mattis pro stratu utebantur, saxeis cervicalibus capitibus subnixis.

[AD 1246]
Qualiter Fratres Prædicatores jam nitebantur.

Eodemque tempore, Fratres Prædicatores, limites paupertatis, quam professi sunt et nuper, [transcendentes], [jam ad superos gradus ascendere, venerari, et timeri a prælatis ecclesiasticis affectabant, et non jam tantum Prædicatores sed etiam esse confessores contendebant, usurpantes sibi officium ordinariorum, et haberi eosdem contemptui procurantes, quasi scientia et potestate insufficientes populum Dei regere et ecclesiæ lora moderari. Unde multis discretis videbantur ordinem universalis ecclesiæ, per sanctos Apostolos et sacros doctores nostros antecessores, de quorum sanctitate toti mundo constat, sancitum, nimis enormiter perturbare. Testificatum est etiam, quod ordo Sancti Benedicti vel ordo beati Augustini per multorum spatium sæculorum tantum non deliravit, quantum eorum, qui nondum in Anglia per triginta annorum spatium radicum propagines transplantavit]. Impetrato igitur a Papa Gregorio, qui specialiter eorum fautor erat, paucis evolutis annis inaudito privilegio, hoc etiam his temporibus novum, ad primum roborandum, [non sine ordinariorum jactura et præjudicio, a domino Papa sunt adepti.]

His apta responsio archidiaconi Sancti Albani.

His igitur lætificati et magnificati Prædicatores, varios ecclesiarum prælatos, episcopos, archidiaconos, in sinodis suis præsidentes, ubi multi et magni viri, videlicet decani, presbyteri, et vicarii, necnon et ecclesiarum rectores, cum clericis convenerant, procaciter alloquentes, indulta sibi talia privilegia in propatulo demonstrarunt, erecta cervice ea exigentes recitari, et in eorum ecclesiis veneranter recipi et commendari, et ad prædicandum populis sine aliqua contradictione vel in sinodis vel in ecclesiis parochianis, [quasi legatos, vel etiam Dei angelos], admitti ; [et se ingerentes nimis impudenter, rogitabant singulos etiam sæpe viros religiosos, « Esne confessus ? »

quibus si responsum fuisset, « Etiam ; » « A quo ? » « A sacerdote meo. » « Et quis ille idiota ? nunquam theologiam audivit, nunquam in decretis vigilavit, nunquam unam quæstionem didicit enodare. *Cæci sunt, et duces cæcorum* ; ad nos accedite, qui novimus lepram a lepra distinguere ; quibus ardua, quibus difficilia, quibus Dei secreta patuerunt.] Nobis confitemini imperterriti, quibus tanta, ut jam videtis et auditis, concessa est potestas. » Multi igitur, præcipue nobiles ot nobilium uxores, spretis propriis sacerdotibus et prælatis, ipsis Prædicatoribus confitebantur ; unde non mediocriter viluit ordinariorum dignitas et conditio, et de tanto sui contemptu, non sine magna confusione, doluerunt, nec sine causa evidenti. Videbant enim ordinem ecclesiæ jam enormiter perturbari ; quam constat longis retroactis temporibus, in Deo placita simplicitate ambulantem, multos e sæculo migrantes Deo præsentasse sanctos, de quorum sanctitate nefarium judico dubitare. Videbant insuper parrochianos suos audacter jam peccare et impudenter, scientes se coram presbytero proprio non erubescere, sua enormia peccata confitendo, quod magnum reputatur periculum ; cum rubor et confusio in confessione pars sit maxima et potissima pœnitentiæ. Dicebantque susurrantes peccaturi ad invicem ; « Perpetremus quæ nobis voluptuosa videntur et placentia ; aliquibus enim Prædicatorum vel Minorum per nos transitum facientibus, quos nunquam vidimus vel unquam visuri sumus, cum consummatum fuerit quod desideramus, sine aliqua molestia confitebimur. » Et sic contemptis ordinariis et eorum disciplinis, peccatum copiosius exuberavit. Et dum mundus more marino talibus æstuabat ebullitionibus, contigit quosdam Prædicatores, suis armatos privilegiis, assumptis cornibus, ecclesiam Sancti Albani, ubi, sicut moris est, archidiaconus ecclesiæ ipsius rite sinodum celebravit, ingredi, et monstrantes sua privilegia, sese novis et inauditis potestatibus et dignitatibus communiri. Et dum unus eorum, qui videbatur alteri præesse, silentium prædicaturo sibi dari imperiose postulasset, respondit archidiaconus ; « Moderatius te, frater, habe ; expecta paulisper, donec discretioni vestræ quæ sentio demonstraverim. Miramur nos simplices et veteribus atque approbatis assueti consuetudinibus de hac novitate repentina. Nec mirum, si inaudita novitas admirationem generet cum stupore. Ut quid insufficientes vel indignos officio nobis deputato tam procaciter reputatis ? Creditis vos solos de numero fore salvandorum, cum dicat Apostolus, *Nescit homo si sit dignus odio vel amore* ? Ingeritis vos jam non tantum ad prædicandum, ut Prædicatores dicamini, sed ad confessiones recipiendas, immo potius extorquendas, ut jam *Fratres confessores* accumulato titulo teneamini. Fratres, non sanum arbitror a certo recedere propter incertum, ab rite usitato ad inusitatum, sine majoris consilio deliberationis et Prioris vestri consultatione ; vos nequaquam vel ad prædicandum, vel ad confessionum receptionem eorum, quibus de abbatis præcepto præsum, adhuc recipio. Constat enim universali ecclesiæ, hæc quæ vobis et omnibus hic circumsedentibus eminus demonstrabo, a generali concilio, immo generalissimo, sub Innocentio III. celebrato, ubi præsentes fuerunt ex totius Christianitatis universitate primates, archiepiscopi sexaginta et unus, episcopi cccc^{ti}. et xii., abbates vero et priores dccc., fuisse statuta et confirmata, omnibus mundi temporibus irrefragabiliter conservanda. » Et librum aperiens, monstravit et legi fecit istam super hoc decretalem : (...).

RICHER DE SÉNONES
CHRONIQUE (extrait)
(p. 355-358)

Richeri Gesta Senoniensis Ecclesiae, MGH SS 25, (livre IV, chap. 15-16), p. 306.

[Liber quartus, capit. 15]

Scripsit siquidem de ordine futurorum Predicatorum et fratrum Minorum, qui temporibus nostris primum esse ceperunt. Dixit quippe aperte, quosdam fratres venturos alte tonsoratos in habitu religioso, sed inusitato, qui in principio sui quasi Deus ab omni populo reciperentur ; nec aliquid proprium habituros predixit, sed tantummodo elemosinis fidelium victitarent nec de his elemosinis in crastino reservarent, et ita tali paupertate contempti civitates et castella et regiones predicando circuirent ; et ita in primordio suo Deo et hominibus cari haberentur ; sed cito a proposito suo decidentes, viliores haberentur. Hec Hiltigardis de Predicatoribus et Minoribus fratribus fertur predixisse ; quod postea verum actus ipsorum esse probavit.

[Liber quartus, capit. 16]

Quidam quippe Dominicus nomine de Thuscie partibus oriundus tempore Innocentii pape tercii ordinem incepit Predicatorum ; sicut et eodem tempore Franciscus quidam, de quo postea dicemus, ordinem fratrum Minorum inchoavit. Dictus siquidem Dominicus fratres sibi collegit et secundum regulam beati Augustini vivere constituit ; et ita a Gregorio papa confirmati, dispersi sunt per universas regiones, et quamdiu in proposito suo permanserunt, cari ab omnibus habiti sunt. Sed mirum est, quod tanti viri in divinis sermonibus probabiles in civitatibus opulentissimis habitare ceperunt, in quibus splendide vivitur, et habitatores earum civitatum deliciis et diviciis habundant, et ibidem luxus et ambitio rerum secularium vigent, et usuris et publicis rapinis impudenter insistunt : quomodo nostri Predicatores a talibus et cum talibus conversari et vivere et dona ipsorum recipere gratulantur ? Sed quia prophetia illius venerabilis sanctimonialis Hiltigardis ne fieret preteriri non poterat, in primordio sui nostri Predicatores omnibus in bono satis claruerunt ; multos quippe ab erroribus suis et a via sua mala averterunt, et hereticos, quibus universa terra iam prope occupata erat, represserunt et multos eorum igni dari fecerunt, et adeo in exercitatione sua valuerunt, ut etiam quidam eorum miraculis claruisse referantur. Sed quia, ut dicitur, nova placent et usitata vilescunt, quia iam a proposito aliquantulum declinabant, immo etiam de se presumendo quedam inepta sibi usurpabant, a populo iam non tanti precii haberi ceperunt. Divites quippe et raptores et usurarios publicos circumeundo visitabant, et si qua invenirent ambitione secularium vel rapto et denique fenore ab illis aquisita, ad monasteria sua, que permaxima edificare ceperant, donarentur, et ita per interpretes illas res in edificiorum suorum vel victualium usus convertebant ; licet non ignorarent, rapinas vel usuras nisi eis, a quibus extorte erant, reddi debere. Illos vero qui eis talia dona conferebant, quod papa facere non potest, a peccatis rapinarum et usurarum absolvebant et mortuos in cymiteriis suis sollempniter sepeliebant, et ob hoc viliores plurimum esse ceperunt.

SALIMBENE DE ADAM
CHRONIQUE (extraits)
(p. 363-375)

SALIMBENE DE ADAM, *Cronica*, ed. Giuseppe Scalia, *CCCM* 125, p. 29-31, 104-106, 113, 351- 352, 442, 125A, p. 637-638, Turnhout : Brepols, 1998.

[1198]

De Ordinibus fratrum Minorum et Predicatorum et de multis figuris in quibus prefigurati fuerunt.

His temporibus duo Ordines orti sunt, scilicet fratrum Minorum et fratrum Predicatorum. De quibus abbas Ioachym sub multis figuris predixerat, que tam in Veteri Testamento quam in Novo evidentissime continentur, ut in corvo et columba, quia et ille totus niger, et illa tota varia, in duobus angelis vespere missis Sodomam subvertendam, in Esau et Iacob, in Ioseph et Beniamin, in Manasse et Effraym, in Moyse et Aaron, in Caleph et Iosue, in duobus exploratoribus Iericho missis a Iosue, in Helya et Helyseo, in Iohanne Baptista et homine Christo Iesu, in duobus euntibus in Emaus, in Petro et Iohanne euntibus ad monumentum, de quibus dicitur quod *currebant duo simul* ; item in eisdem ascendentibus in templum ad horam orationis nonam, quorum unus dixit : *Argentum et aurum non est michi*, quod verbum multum notat abbas Ioachym, quare scilicet Petrus posuit dativum in singulari et non in plurali, cum similiter Iohannes nec argentum haberet nec aurum, quia ex illis erat, quibus Dominus dixerat, Mat. X : *Nolite possidere aurum neque argentum*.

Hec questio duobus modis solvitur.

(...) Abbas vero Ioachym figuratum in Petro consideravit quia Ordo Predicatorum, qui prefigurabatur in Petro, omnia vult sibi ascribere ; et ideo non dixit Petrus : *Argentum et aurum* « non est nobis », sed *non est michi*, vel quia magis expropriatus, vel quia prefigurabat Ordinem illum qui omnia que ad laudem pertinent vult sibi ascribere, vel tertio modo, quia Petrus tamquam princeps apostolorum iam utebatur auctoritate pontificali, et ideo semper erat qui prius loquebatur, iuxta illud Eccli. 32 : *Loquere, maior natu : decet enim te*.

Illud etiam multum notavit abbas Ioachym, ubi loquitur de Esau et Iacob, quod Ordo qui prefiguratus fuit in Esau ibit ad filias Eth, id est ad scientias seculares, ut Aristotilis et aliorum philosophorum. Hic est Ordo fratrum Predicatorum, prefiguratus in corvo, non quantum ad peccati nigredinem, sed quantum ad habitum. Iacob autem, vir simplex, habitabat in tabernaculis. Hic fuit Ordo fratrum Minorum, qui in principio sue apparitionis in mundo dedit se orationi et devotioni contemplationis.

Illud etiam non vacat a misterio, quod dicitur Io. XX : *Currebant duo simul*, id est : eodem tempore et sub eodem papa Innocentio III inchoatus est Ordo uterque. Nam anno pontificatus Innocentii tertii decimo, currente MCCVII, inchoavit beatus Franciscus Ordinem fratrum Minorum. Et quod dicitur, quod *ille alius discipulus precucurrit citius Petro et venit prius ad monumentum, non tamen introivit*, hoc est dicere quia Ordo Minorum prius apparuit mundo millesimo supraposito. Beatus autem Dominicus Ordinem fratrum Predicatorum inchoavit anno MCCXVI, sub Honorio papa III, primo anno pontificatus ipsius, et vixit in eo V annis et dimidio. Dilata est autem canoniçatio ipsius XII annis. Bononie, ubi est corpus, venerationi habetur. Beatus vero Franciscus vixit in Ordine suo XX annis completis et Assisii, ubi est corpus, venerationi habetur. Obiit autem MCCXXVI, quarto Nonas Octobris, die Sabbati sero, et sepultus fuit die Dominico.

Canonizatio vero beati Francisci facta fuit a papa Gregorio nono anno Domini MCCXXVIII, XVII° Kal. Augusti. Translatio eius MCCXXX, VIII° Kal. Iunii. Item beatus Dominicus obiit MCCXXI, sub Honorio papa tertio, octavo Ydus Augusti.

Item de duobus Ordinibus, scilicet Minorum et Predicatorum, dicit abbas Ioachym quod adhuc prefigurati fuerunt in Barnaba et Paulo et in duobus testibus Apocalipsis XI. Et multa talia dicit. Auctoritatem etiam Iere. XVI exponit de duobus Ordinibus, scilicet : *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos. Et post hec mittam eis multos venatores, et venabuntur eos de omni monte et de omni colle et de cavernis petrarum, quia oculi mei super omnes vias eorum*. Auctoritatem vero Zacharie XIII non nisi de Ordine fratrum Minorum intelligere potuit, et propter precedentia et propter subsequentia, scilicet : *Et convertam manum meam ad parvulos, et erunt in omni terra, dicit Dominus* et cet.

[1233]

De sollemnibus predicatoribus qui tempore Alleluie famosi fuerunt, et primo de his qui de Ordine fratrum Predicatorum extiterunt.

De fratre Iohanne de Vincentia, et de canoniçatione beati Dominici.

Nunc de sollemnibus predicatoribus qui tempore illius devotionis famosi fuerunt dicamus, et primo de duobus Predicatorum Ordinis, scilicet de fratre Iohanne de Bononia, qui quantum ad originem de Vincentia erat, et de fratre Iacobino de Regio, qui de Parma oriundus erat. Nam beatus Dominicus necdum canonizatus erat, sed sub terra latebat, sicut in prosa cantatur :

Iacet granum occultatum,
sydus latet obumbratum,
    sed plasmator omnium
ossa Ioseph pulullare,
sydus iubet radiare,
    in salutem gentium.

Et invenitur quod sanctus Dominicus XII annis latuit sub terra, nec erat sue sanctitatis aliqua mentio, sed procuratione istius fratris Iohannis supradicti, qui in Bononia tempore illius devotionis habebat gratiam predicandi, eius canonizatio facta fuit. Huic canonizationi adiutorium dedit episcopus Mutinensis, qui postea cardinalis Guilielmus est dictus, et fuit de Pede Montis ; quem predicantem et officium facientem in Parasceue vidi in ecclesia fratrum Minorum apud Lugdunum, quando papa Innocentius et curia erat ibi. Iste ergo, quia amicus Predicatorum erat, sollicitavit eos dicens : « Ex quo fratres Minores habent unum sanctum, faciatis et vos ut alium habeatis, etiam si deberetis ipsum de paleis fabricare ». Porro frater Iohannes iste parve litterature erat et intromittebat se de miraculis faciendis. Magnam predicationem inter Castrum Leonem et Castrum Francum tempore illo fecit.

De fratre Iacobino de Parma, qui de Regio dictus est, et de operibus eius.

Frater vero Iacobinus de Regio, qui de Parma oriundus fuerat, litteratus homo fuit et lector in theologia, facundus, copiosus et gratiosus in predicationibus ; homo alacer, benignus, caritativus, familiaris, curialis, liberalis et largus ; et aliquando fuimus socii itineris simul die noctu que a Parma usque ad Mutinam tempore magne guerre, et nichilominus ego habebam socium

meum, et ipse suum. Hic, tempore illius devotionis de qua supra diximus, multam habuit gratiam predicandi et multa bona fecit. Nam millesimo supraposito inchoata est ecclesia Iesu Christi fratrum Predicatorum in civitate Regina, et in festo sancti Iacobi primus lapis positus fuit, consecratus per dominum episcopum Nicholaum. Et ad predictum opus faciendum veniebant homines et mulieres Regii, tam parvi quam magni, tam milites quam pedites, tam rustici quam cives, et ferebant lapides, sabulum et calcinam supra dorsa sua in pellibus variis et çendalibus ; et beatus ille qui plus poterat portare. Et fecerunt omnia fundamenta domorum et ecclesie et partem muraverunt, et in tertio anno compleverunt totum laborerium suum. Et tunc frater Iacobinus superstabat ad laboreria bene facienda. Iste frater Iacobinus fecit magnam predicationem inter Calernum et Sanctum Hylarium in episcopatu Parmensi, in inferiori parte strate. In qua predicatione fuit maxima multitudo hominum et mulierum, puerorum et puellarum de Parma et de Regio et de montibus et de vallibus sive campestribus et de diversis villis. Et quedam mulier paupercula pregnans peperit ibi masculum. Tunc, precibus et rogatu fratris Iacobini, illi paupercule mulieri multi multa dederunt. Nam una mulier dabat sibi subtellares, alia camisiam, alia vestem, alia bindam. Et sic habuit unum asinum oneratum, insuper et ab hominibus centum solidos imperialium. Et qui interfuit et vidit retulit michi omnia ista post longum tempus, cum per eumdem locum cum eo transirem. Insuper et hec eadem cognovi ab aliis.

De fatuitatibus fratris Iohannis de Vincentia, qui erat de Ordine fratrum Predicatorum.

Porro frater Iohannes de Vincentia, de quo supra fecimus mentionem, ad tantam dementiam devenerat, propter honorem sibi impensum et quia habebat gratiam predicandi, ut crederet etiam sine Deo se veraciter miracula posse facere. Que maxima stultitia erat, cum Dominus dicat, Io. XV : *Sine me nichil potestis facere.* Item Prover. XXVI : *Sicut qui mittit lapidem in acervum mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem.* Cum autem reprehenderetur frater Iohannes a fratribus suis de multis fatuitatibus quas faciebat, respondebat eis dicens : « Ego exaltavi Dominicum vestrum, quem XII annis sub terra tenuistis absconsum, et nisi quieveritis, vilificabo sanctum vestrum et facta vestra publicabo ». Talia itaque audientes sustinebant ipsum, quousque mortuus est, non invenientes qualiter contra eum insurgerent. Hic, cum quadam die venisset ad domum fratrum Minorum, et barbitonsor ei barbam rasisset, valde habuit pro malo, eo quod fratres pilos barbe sue non collegerant, ut pro reliquiis reservarent.

[1249].
De fratre Guilielmo, qui fecit Summam de vitiis et virtutibus.

Et cum essem aliquando Vienne, venit frater Guillielmus ex Ordine Predicatorum, qui fecerat Summam de vitiis et virtutibus, de Lugduno Viennam causa predicandi et confessiones audiendi. Et quia in civitate illa fratres Predicatores locum non habebant, declinavit ad hospitandum cum Minoribus fratribus ; et placuit guardiano quod eum associarem, et familiariter fui cum eo, et ipse me cum, quia humilis et curialis homo erat, quamvis parve stature. Cum que interrogassem eum quare in Vienna fratres Predicatores locum non habebant, dixit michi quod potius volebant Lugduni unum bonum conventum habere, quam vellent habere tantam locorum multitudinem. Et rogavi ipsum quod predicaret fratribus in festo Annuntiationis beate Virginis, quod instabat, eo quod libenter desiderabam ipsum audire. Nam tractatum de sermonibus fecerat preter Summam. Et dixit michi quod, si guardianus diceret sibi, obediret libenter. Et factum fuit

ita. Et fecit pulcherrimum sermonem de Annuntiatione beate Virginis. Cuius thema sive exordium tale fuit: *Missus est angelus*.

[1248]
Nota quod in piscatoribus intelliguntur fratres Minores, in venatoribus Predicatores.

Dicit enim Dominus per Iere. XVI : *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos*. Ad litteram, quando Christus venit in mundum natus de Virgine, piscatores elegit, quos misit. De quibus dicitur, Mat. IIII : *Erant enim piscatores et ait illis : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum*. Et statim sequitur ibidem de vocatione aliorum duorum fratrum scilicet Iacobi Zebedei et Iohannis, qui piscatores similiter erant. Sequitur in Ieremia : *Et post hec mittam eis multos venatores, et venabuntur eos de omni monte et de omni colle et de cavernis petrarum, quia oculi mei super omnes vias eorum*. Salva expositione abbatis Iohachym, quam non legi multi sunt anni, videtur michi quod ista particula ultima, in qua de venatoribus agitur, Ordini magis congruat sancti Dominici quam sancti Francisci, non solum quia in Esau significatus fuit Ordo ille, qui fuit vir venator et qui filias Heth accepit uxores, scientias scilicet seculares, sicut predictus abbas exponit, verum etiam quia magis ad exteriora egreditur ad venandum animas hominum *de omni monte et de omni colle et de cavernis petrarum*, quamvis et alter Ordo hec eadem faciat, maxime in partibus ultramontanis. Nam in Ytalia excusant se, si non egrediuntur, pro eo quod milites et potentes et nobiles in civitatibus habitant; et in villis et castris heremitoria habent, in quibus fratres Minores habitant, qui satisfacere secularibus possunt.

[1250]
Quod Matulinus retulit michi illa propter que devenimus in odium clericorum, nos Minores et Predicatores.

Illo tempore, antequam Faventia in manus Furliviensium traderetur, cum habitarem ibi et transirem per ortum, die quadam, cogitando de Domino, vocavit me quidam secularis Ferariensis, qui dicebatur Matulinus, et erat maximus prolocutor et cantionum atque serventesiorum inventor et religiosorum observator simul que detractor; sedebat enim cum duobus fratribus sub quadam ficulnea faciens fratribus questiones; dixit que michi : « Domine frater, venite huc et sedete nobis cum! ». Cum que sedissem, dixit michi : « Feceram questiones meas istis fratribus, sed de responsione excusant se et dicunt quod dicam vobis verba mea, quia vos estis paratus ad respondendum ad omnia. Quapropter rogo vos ut michi satisfaciatis pro vestra clementia ». Cui dixi : « Dicatis secure quicquid vultis ». Et dixit: « Noveritis quod vos fratres Minores et Predicatores estis in odium et in scandalum clericorum et secularium sacerdotum. Altera die comedebam cum episcopo Furliviensi, et erant ibi multi clerici et sacerdotes cum eo pariter comedentes; et multa mala dicebant de vobis, que notavi diligenter, ut scirem vobis referre, ad cognoscendum si de illatis iniuriis, quas iniurias dicunt, scitis vos excusare necne. Primum de quo conqueruntur est quod vos non predicatis quod decime dentur eis. Secundum, quod vos recipitis sepulturas, id est quod sepelitis corpora defunctorum. Tertium, quod vos auditis confessiones suorum parochialium contra voluntatem eorum. Quartum, quod vos ita usurpastis vobis predicationis offitium, quod locum habere non possunt, quia populus contemnit eos audire. Quintum, quia cum vestris conventualibus missis ita impeditis eos diebus sollemnibus, quod oblationes habere non possunt. Sextum, quod vos estis magni doniatores, id est libenter

loquimini cum dominabus et eas aspicitis, quod est contra Scripturam ». Tunc respondi et dixi: « Vultis plus dicere ? ». Et ait : « Bene sufficiunt modo ista ».

WALTER DE GISBOROUGH
CHRONIQUE DES ROIS D'ANGLETERRE (extrait)
(p. 379-380)

ROTHWELL Harry, *The Chronicle of Walter of Guisborough*, Camden Third Series, LXXXIX, London : The Royal Historical Society, 1957, p. 150.

Quomodo ordines predicatorum et minorum inceperunt.

Temporibus istius regis Johannis inceperunt duo noui ordines, predicatorum scilicet et minorum. Ordinem vero fratrum predicatorum incepit beatus Dominicus in partibus Tholosanis, vbi contra hereticos constanter predicabat verbo et exemplo. Cumque mansisset ibidem decem annis predicando et colligendo fratres vsque ad tempus quo Lateranense concilium debuit celebrari, cum Fulcone Tholosano episcopo Romam ad concilium generale adiit, peciitque a domino papa Innocencio tertio ordinem, qui predicatorum diceretur et esset, confirmari. Qui cum aliquantulum se difficilem ad faciendum hoc exhiberet, nocte quadam idem papa vidit in sompnis quod Lateranensis ecclesia grauem subito ruinam minaretur ; quod dum tremens aspiceret, ex aduerso vir dei Dominicus accurrebat humerisque suppositis totam illam casuram fabricam sustentabat. Euigilans autem et visionem intelligens peticionem viri dei hillariter acceptavit, hortans vt ad fratres suos rediens regulam aliquam approbatam sibi eligerent, et sic ad ipsum rediens confirmacionem ad libitum reportaret. Regressus igitur verbum summi pontificis fratribus patefecit. Erant autem fratres numero circiter .XVJ. Qui inuocato spiritu sancto regulam beati Augustini doctoris et predicatoris egregii ipsi pariter et re et nomine predicatores futuri vnanimiter elegerunt ; quasdam arcioris vite consuetudines, quas sibi per formam constitucionum obseruandas statuerunt, insuper assumentes. Verum interea Innocentio defuncto et Honorio in summum pontificem sublimato, confirmacionem ordinis anno domini .M°.CC.°.XVJ. a predicto Honorio impetravit. Tandem vero appropinquante peregrinacionis sue termino, apud Bononiam graui corporis infirmitate languescens, conuocatis .XIJ. ex conuentu fratribus, testamentum huiusmodi condidit, dicens, « Hec sunt que vobis tanquam filiis hereditario jure possidenda relinquo : caritatem habete, humilitatem seruate, paupertatem voluntariam possidete. » Illud etiam qua potuit districcione prohibuit, ne quis vnquam in suo ordine possessiones induceret temporales, malediccionem dei omnipotentis et suam terribiliter imprecans ei qui predicatorum ordinem terrenarum diviciarum puluere presumeret maculare. Proinde ad extremam horam veniens, anno Domini .M°.CC°.XXJ. dormiuit in pace sepultusque est ibidem.

NOTES SUR L'ÉTABLISSEMENT DES FRÈRES PRÊCHEURS DANS LES PAYS DU NORD DE L'EUROPE

(p. 384-390)

L'édition disponible dans les *Monumenta Historiae Historica* SS XXIX, 242-243 a été complétée par l'édition de Simon TUGWELL, *AFP*, « Notes on the life of St Dominic », LXVI (1996) édition du texte latin p. 161-164 pour la première partie et LXVIII (1998) p. 111-112 pour la troisième partie ; LXX (2000) « The evolution of Dominican structures of government » p.67 pour la deuxième partie (avec à chaque fois une étude du texte) : nous avons numéroté en continu les paragraphes et distingué les trois parties principales par des chiffres romains.

(I) 1. Anno Domini MCCXVI confirmatus est ordo predicatorum de Tolosa. In Hispaniam, Franciam, Lombardiam mittuntur fratres; sed quomodo in Daciam uenerunt est dicendum.

2. Anno Domini MCCXIX in festo assumptionis beate uirginis assumpti sunt Bononie ad ordinem duo clerici, frater Simon de Suecia, et frater Nicolaus Lundensis de Dacia.

3. Hos primitus misit beatus Dominicus in Sueciam in Siktuniam ciuitatem ad petitionem et instantiam domini Gaufredi, prepositi Sancti Petri Siktunie, euntis ad curiam Romanam pro pallio archiepiscopi Olaui dicti Basetømir. Qui prepositus, anno Domini MCCXX beatum patrem Rome inueniens, ab eodem < ut fratres in Sueciam mitterentur obtinuit,> ac fratres, de concilio generali Bononie sub beato Dominico celebrato cum eodem preposito missi in Siktuniam, locum ibidem, impediente Olauo archiepiscopo supradicto, obtinere non potuerunt. Quod attendens dominus Canutus Longus locum eis in Sko assignauit.

4. Eodem anno in festo pasche frater Salomon, natus Arhusie in Iutia, intrauit ordinem Verone in Lombardia. Hic primum constituit ire in Ungariam cum fratre Paulo hic prior erat cuiusdam domus illius regni, sed cum uenissent in Frisacum in Theuthonia, inuenerunt fratres illius domus solatio sacerdotis destitutos. Tunc enim inter eos prior et sacerdos erat, quem satanas expetens cribrauit ad seculum extrahendo. Unde prior Paulus fratribus compatiens reliquit eis pro priore et sacerdote fratrem Salomonem. Ipse autem in Ungariam profectus.

5. Anno autem domini 1221 celebratur secundum concilium generale Bononie a beato Dominico. Huic concilio interfuit dictus Salomon et de eodem misit eum beatus Dominicus ad Waldemarum regem Dacie et Andream archiepiscopum Lundensem cum litteris domini pape et suis.

6. Qui transitum faciens per Coloniam domum recepit ibidem. De Colonia uero, quia socium uie uersus Daciam habere non potuit, uenit Parisius et inde cum quodam conuerso Lombardo sibi in socium dato uenit in Flandriam. Illic autem inueniens nauem euntem in Daciam ascendit in eam. Sed insurgentibus tempestate grauissima et nebula densissima, circumlegens Daciam, tandem post dies multos in Noruegia circa partes Nidrosienses applicauit. Non pretereundum puto qualiter in augustiis famulum suum consolatus fuerit adiutor in tribulationibus. Cum enim nauis in mare hinc inde iactaretur et quasi fluctibus operiretur et omnes humano iam destituti auxilio acerbe mortis indicium expectarent et deum toto corde inuocarent, uisit dictus frater Salomon beatum Dominicum, qui eodem anno ad regna migrauerat celestia, nauem ipsam brachiis suis sustentare subleuatam.

7. Postmodum de Nidrosia, laboribus grauissimis propter uiarum asperitates et maris pericula, auxilio nobilis uiri Skule Iarl, uenit frater Salomon Copendehaafn et ibi dominum archiepiscopum inuenit. Qui, receptis litteris domini pape et beati Dominici et perlectis, fratrem benigne suscipiens eum sic alloquitur: Bene uenisti, utinam in omni ecclesia que est de cura nostra haberemus unum de tali ordine.

8. Illis temporibus erat in Dacia legatus cardinalis dominus Gregorius de Crescentia. Qui fratrem Salomonem, quia litteratus erat et facundus, sibi associans ipsum in predicationibus suis interpretem habuit. Tandem sequenti anno circa Pentecosten, fauente dei gratia et dicto cardinali suggerente, dominus archiepiscopus dedit fratribus Lundis locum anno domini 1221 et edificia fratribus apta construxit. Hoc audito fratres qui missi fuerant in Sueciam uenerunt Lundis ad fratrem Salomonem et alii quamplures qui recepti fuerant Parisius et Bononie, et fratrem Simonem sibi priorem constituunt.

(II) 9. Circa idem tempus intrauit ordinem Parisius frater Rano/Ranoldus qui in artibus rexerat et decanus fuerat Roschild et electus in episcopum in eadem ecclesia, qui uadens pro confirmatione ad curiam ueniens Parisius a beato Dominico ad ordinem est receptus. Hic antequam annum compleuit in ordine fit prior prouincialis multis annis prouinciam regens post quem Analdus duobus annis, post quem Absolon annis uiginti.

(III) 10. Conuentus Reualiensis per fratres duabus uicibus est receptus. Primo ad petitionis instantiam illustris principis domini Waldemari, regis Dacie, qui per gladium Estones suo ducatui subiugauerat, missi sunt fratres ad maius castrum Reualiense anno Domini MCCXXIX, ubi meta fossata ad aquilonem castri minoris ecclesiam ac alias domos monasterii construxerunt. Hec omnia facta sunt de consilio uenerabilis patris domini Wilhelmi Mutinensis episcopi, tunc temporis in partibus Dacie et Suecie summi pontificis nuncii et legati. Sed quia Estones in operibus fidei rudes et inculti, ad miserabiles ritus infidelitatis proni et procliui, crudeles erant contra personas ecclesiasticas atque seui, nam primum episcopum cum suis clericis occiderunt, inde redire fratres ad conuentus de quibus assumpti fuerant, paucis remanentibus, sunt compulsi.

11. Secundo anno domini MCCXLVI missi sunt fratres de diuersis conuentibus in Reualiam per capitulum prouinciale Ripis celebratum. Quroum hec sunt nomina: frater Brotherus et frater Iohannes Woxmoth de conuentu Lundensi; frater Aaron de Randrus et frater Petrus Hartbo de conuentu Wibergensi; frater Michael de Horsnes et frater Angelus de conuentu Arosiensi; frater Engelbertus et frater Iohannes Theo<to>nici de conuentu Roschildensi; frater Paulus de conuentu Schyhitonensi et frater Iohannes de conuentu Insulensi; frater Astolphus de conuentu Skeniensi et frater Daniel de conuentu Wisbycensi. Iste frater Daniel in castro fuit primus prior et prelatus ordinarius inter fratres.

CHRONIQUES DE L'ORDRE
(p. 395-432)

Vitae fratrum ordinis Praedicatorum necnon Cronica Ordinis usque ad MCCLIV, ed. Benedictus Reichert, *MOPH* 1, Lovanii : Typis E. Charpentier & J. Schoonyans, 1896, p. 320-338.

Nous utilisons l'édition provisoire qui nous a été généreusement communiquée par le P. Simon Tugwell.

CHRONIQUE DE GÉRAUD DE FRACHET

1. Anno domini M°CC°III° beatus Dominicus, natione Hyspanus, scientia dei plenus, uita sincerus, religione conspicuus, cum Oxomensi episcopo Tholosam ueniens, ipsa die hospitem suum hereticum conuertit. Ubi cum dicto episcopo, post reditum de Marchia Dacie, per biennium predicationi uacauit. Post reditum autem dicti episcopi in Hyspaniam per decem annos in Narbonensi prouincia permansit confundens hereticos et confirmans catholicos, uerbis et exemplis annuncians dominum Ihesum Christum.

2. Anno autem domini M°CC°XV° cum uenerabili Fulcone Tholosano episcopo Romam iuit ad concilium generale. Ubi cum a domino Innocentio papa tertio peteret ut ei et sociis ordinem confirmaret qui predicatorum diceretur et esset et idem papa se in hoc difficilem exhiberet, consolatus est eum dominus huiusmodi uisione. Cum enim suo more in oratione pernoctaret, uidit beatos apostolos, Petrum scilicet et Paulum, Petrum in dextra tenentem claues regni celorum et sinistra sibi tradentem baculum, Paulum autem in sinistra tenentem gladium quo fuerat decollatus et in manu dextra euangelium quod sibi tradebat, et dicebant ei, Vade et predica, quoniam ad hoc a domino es electus. Cumque de sociorum paucitate conquereretur, subito uidit fratres per uniuersum mundum incedentes binos et binos et nomen domini predicantes.

3. Dominum uero Innocentium papam predictum dominus hac uisione ad petitionem beati Dominici inclinauit. Videbatur enim sibi quod Lateranensis ecclesia minaretur ruinam, sed concurrens frater Dominicus et accurens subpositis humeris totam illam casuram fabricam erigens sustentabat.

/Hanc autem uisionem dominus Raynerius cardinalis in predicatione narrauit, qui eam audierat a papa predicto./

Cuius uisionis nouitatem admirans et significationem eius prudenter intelligens pastor ecclesie uiri dei petitionem acceptat monetque ut Tholosam ad suos fratres rediens cum eis de regula et ceteris conferat, et ut cum rediret quecumque peteret impetraret.

4. Anno domini M°CC°XVI° ordo predicatorum a domino Honorio papa successore dicti domini Innocentii confirmatus est, et de Tholosa fratres in Hyspaniam, Franciam et Lombardiam a beato Dominico mittuntur et post per omnem orbem sunt dispersi. Per omnia benedictus deus, qui per talem modum uisitare uoluit plebem suam. Amen.

5. Anno domini M°CC°XVIII° data est fratribus predicatoribus domus sancti Iacobi Parisius a magistro Iohanne decano sancti Quintini et uniuersitate Parisiensi. Inde missus est frater Petrus Cellani Lemouicas, qui fuit primus conuentus Francie post Parisiensem, sed pro Lugdunensi ab prouincialibus commutatus. In sequentibus autem Remis et Aurelianis fratres mittuntur.

6. Anno domini M°CC°XIX° de Roma missi sunt fratres Bononiam a beato Dominico, quos ipse post modicum subsequitur. Misit inde Parisius fratrem Reginaldum iam ante a regina

celi inunctum. Qui Parisius ueniens Christum Ihesum et hunc crucifixum predicabat uerbo pariter et exemplo. Qui paulo post in Christo obdormiens in ecclesia sancte Marie de Campis sepultus est quia fratres ius sepulture nondum habebant. Hic uir beatus fratrem Iordanem eodem tempore Parisius receperat, qui fuit post beatum Dominicum ordinis huius magister. Recepit etiam fratrem Henricum qui fuit uirgo dei et gratiosissimus predicator, primus Colonie prior.

7. Anno domini M°CC°XX° primum capitulum generale Bononie celebratur a beato Dominico et in sequenti capitulo ordinatum est ne possessiones uel redditus fratres nostri tenerent, sed et hiis que habuerant renunciauerunt omnino.

8. Anno domini M°CC°XXI° frater Iordanis predictus qui nondum annum in ordine compleuerat fit prior prouincialis in Lombardia. Post obitum uero beati Dominici frater quidam Bernardus Bononiensis demoniacus fratres multum uexauit. Huius grauis uexacio fuit una de causis quibus permoti fratres Salue Regina post completorium decantari instituerunt apud Bononiam, et inde per totum mundum diffusa est.

9. Anno domini M°CC°XXII° dictus frater Iordanis Theutonicus, uerus Israelita, electus est Parisius in magistrum. Qui quantus et qualis fuerit in libro qui Vitas Fratrum dicitur scriptum habes.

10. Anno domini M°CC°XXXIII° translatum est corpus beati Dominici a uenerabilibus uiris archiepiscopo Rauenne et sex episcopis et magistro Iordane, prioribus prouincialibus et plus quam trecentis fratribus aliis qui ad capitulum conuenerant generale, presentibus potestate Bononiensi cum nobilibus suis.

/Videbatur enim hoc ipsum beati uiri sarcofagum acclamare. Nam cleri et populi ad ipsum deuotione crescente monumentum eleuabatur a terra quasi uirtute interiori exterius pelleretur/.

In ipsa autem apertione sepulcri tanta odoris suauitate repleti sunt acsi celestium cella aromatum patuisset. Et multi compuncti et plures a diuersis infirmitatibus sunt sanati. Eodem anno crebescentibus miraculis a domino papa Gregorio nono, qui eum optime nouerat et deuote sepeliuerat, beatus pater sanctorum confessorum cathalogo est ascriptus.

11. Anno domini M°CC°XXXVI° ydibus februarii magister lordanis, qui in terram sanctam iuerat ad uisitanda loca sacra et fratres,

/in mari obiit, ut patet in litteris infra scriptis : Venerabilibus et dilectis priori et conuentui fratrum predicatorum Parisiensi frater Godefridus et Reginaldus domini pape penitentiarii salutem et spiritus sancti consolationem. Noveritis quod innundante maris seuitia et suo impetu propellente ad litus galeam in qua dulcis pater noster magister lordanis cum duobus fratribus erat, ipse et centum persone alie mortis uinculis liberati sunt ab hoc seculo nequam. Super hoc tamen karissimi non paueat cor vestrum, quia nobis orphanis pius pater et deus consolationis remedium et post tempestatem prouidit tranquillum. Nam dum iacerent corpora inhumata, ut testantur qui de illo naufragio euaserunt et qui eos tradiderunt propriis manibus sepulture, luminaria super eos singulis noctibus effulserunt, sed et cruces super eos multe uise sunt et a multis. Ad quod miraculum loci incole confluentes tanti odoris fragrantiam hauserunt ut iuxta testimonium eorum qui post uisa miracula eos tres sepelierunt, usque post decem dies odor nimius ab eorum manibus non recessit, sed et per circuitum sepulture eiusdem odoris suauitas latius emanabat, usquequo fratres de Acon uenerunt et eos in suam ecclesiam transtulerunt. Ubi dictus pater corruscat miraculis et multis multa beneficia prestat. Per omnia benedictus deus. Amen.

/obiit et in ecclesia fratrum in Achon est sepultus, ubi coruscat miraculis et multis multa beneficia prestat.

12. Anno domini M°CC°XXXVIII° electus est in magistrum ordinis Bononie frater Raymundus de Penna Forti, cathalanus nacione, Barchinonensis,

/domini pape capellanus et penitentiarius, iuris doctor /

/qui fuerat doctor in decretis Bononie, domini pape capellanus et penitentiarius /

qui mandante domino Gregorio papa nono compilauerat decretales. Summam etiam de casibus siue de penitentia perutilem fecit. Hic cum biennium rexisset ordinem, propter nimiam debilitatem corporis ad suam magnam instantiam in capitulo generali Bononie est absolutus ab officio magistratus.

13. Anno domini M°CC°XLI° electus est in magistrum ordinis frater Iohannes Theutonicus quondam episcopus Bosniensis, quem renitentem et se pontificali exemptione defendentem littera domini pape Gregorii statim deducta in medium compulit, que dicebat quod hoc ipso quod eum ab onere episcopali absoluerat obedientie ordinis et laboribus et officiis subponebat. Hic cum Parisius ab inclusis electoribus, ut moris est, eligeretur, orans quidam religiosus frater et aliquantulum dormitans uidebat quod idem frater Iohannes in curru igneo per claustrum ferebatur, et euigilans consocio dixit, Talis erit magister.

14. Huius tempore frater Hugo de Sancto Theoderio diocesis Viennensis, prius magister theologie Parisius, post prior prouincialis Francie, promotus est in cardinalem presbiterum tituli sancte Sabine, qui multa bona fecit ordini et toti ecclesie dei.

/Hic etiam postillas ualde utiles super totam bibliam fecit./

15. Item frater Guillelmus de Peiraut eiusdem diocesis uir devotus et uerax, summas de uirtutibus et de uitiis et sermones de dominicis et

/festis sanctorum perutiles et de opere et professione monachorum compilavit /

/festis perutiles compilauit /.

16. Huius etiam temporibus frater Petrus Veronensis, prior Cumanus, uir uirtutibus et gratia plenus ab hereticis martirizatur et sequenti anno canonizatur a domino papa Innocentio quarto.

17. Frater P. Remensis, prior Parisiensis fratrum predicatorum eodem tempore fit episcopus Agennensis et frater Guido de Turre

/ XV° anno etatis sue Parisius recipitur et XXVII° anno sue etatis ad episcopatum Auernie prouehitur. Frater R.us fit Grassensis episcopus /

/Claromontensis. Frater R.us Grassensis /

Hic translata sede de Antipoli primus sedit in Grassa. Et frater Humbertus fit episcopus Sistaricensis, qui post annos aliquos episcopatui sponte cessit.

18. Item temporibus eisdem, cum dominus Innocentius papa predictus de Lugduno recedere uellet et uersus urbem Romam redire, cum diceret cardinalibus ut se ad recessum pararent, dominus Guillermus, quondam episcopus Mutinensis, tunc autem Sabinensis episcopus cardinalis, qui socius fuerat beati Dominici, uir sanctus et miri in Ihesum Christum feruoris, respondit, Pater ad uite huius recessum me oportet parare, quia hac nocte apparens michi dominus Otto Portuensis episcopus cardinalis, qui sepultus est in domo fratrum predicatorum, dixit, Non oportet te frater sollicitum esse de isto recessu, quia mecum remanebis Lugduni. Sicque post paucos dies completum est. Nam dictus dominus Sabinensis obiit et iuxta dictum cardinalem Ottonem sepultus est in ecclesia fratrum predicatorum iuxta crucem sinistram quam quadragesima precedenti, cum consecraretur ecclesia ipsa a domino Innocentio supradicto et ipse dominus Sabinensis cum eodem papa eam pariter circuiret, ueniens ad crucem illam dicebat ut uidetur prescius futurorum, Consecretur hoc sepulcrum, quousque ab assistente capellano correctus , Hoc templum addebat.

19. A tempore sancte memorie magistri Iordanis usque ad

/ annos domini ***/

/annum domini MCCLVIII/

/annum domini MCCLIX /

fuerunt de ordine fratrum predicatorum magistri licentiati a cancellario Parisiensi et actu et ordinarie legentes in sacra pagina Parisius fratribus et scolaribus fratres Rotlandus Cremonensis, Hugo Viennensis postmodum cardinalis, Iohannes de sancto Egidio anglicus,

/Guerricus Flandrensis,/

/Guerricus de sancto Quintino,/

Gaufridus de Bleuello burgundus, Albertus theutonicus, Laurentius brito, Stephanus altisiodorensis, Guillermus de Stampis, lohannes Pungens Asinum parisiensis, Bonus Homo brito, Helias prouincialis, Florentius gallicus,

/Thomas de Aquinas tuscus,

/Thomas de Aquino apulus,/

Hugo metensis,

/Petrus tarentasiensis, Bartholomeus turonensis/

/ Bartholomeus turonensis, Petrus tarentasiensis. Anno domini M°CC°LX° frater Petrus de Taren(tasia) burgundus, Guillelmus anglicus/.

Hii omnes in domo sancti Iacobi ordinis predicatorum Parisius duo et duo legerunt et disputauerunt in scolis, presentibus secularibus et religiosis et multis ecclesiarum prelatis, deo et hominibus gratiosi et multum fructum in docendo et in scribendo in dei ecclesia facientes.

20. A tempore beati Dominici usque ad annos MCC... fuerunt de ordine fratrum predicatorum tot cardinales et tot episcopi : frater Guillelmus Sabinensis, frater Hugo de sancto Theoderio, frater Anibaldus, frater P. Remensis, episcopus Agennensis, frater Guido de Turre Claromontanus, R.us ... Grassensis, Humbertus Sistaricensis, ... Tolosanus, Henricus theutonicus episcopus ... , Iohannes de Columpna episcopus Messanus.

21. Anno domini M°CC°LIIII°. electus est in magistrum ordinis

/ frater Humbertus de uilla que dicitur Romanis, diocesis Viennensis, apud Budam Ungarie,/

/apud Budam Ungarie frater Humbertus de uilla que dicitur Romanis, diocesis Viennensis,/

qui Parisius in artibus magister et in ordine Lugduni lector et prior fuerat et prior prouincialis Tuscie ac post Francie, uir utique in multis expertus et diuersis infirmitatibus ac laboribus plurimis excoctus. Huius uiri electionem quedam soror ordinis apud Argentinam in Theutonia, ubi dictus magister lohannes obiit et quiescit, in uisu noctis hoc modo preuidit. Videbatur enim ei quod magister lohannes stans in scapulari ad portam sororum dicebat, Ego iam iturus sum in regionem longinquam et huc amplius non revertar ; non autem oportet contristari sorores de meo recessu, quia prior prouincialis Francie post me fiet magister, qui multa faciet bona. Eodem die magister lohannes beato fine quieuit et in sequenti capitulo dictus prior Francie unanimiter est in magistrum electus.

22. In predicto autem capitulo Budensi per manus fratrum qui conuersioni eorum multis annis institerant baptizatus est cum uxore et exercitu suo maximus dux Cumanorum cuius filiam bone indolis Stephanus primogenitus regis Ungarie, iam coronatus in regem et ordini nostro ualde deuotus, in uxorem accepit.

23. Dicti autem magistri Humberti instantia domino Alexandro papa IIII° fauente et christianissimo Francorum rege Ludouico iuuante dissensio que inter magistros et fratres Parisius orta fuerat ad honorem dei et ordinis est sopita.

24. Item littera quedam que a domino Innocentio papa quarto data fuerat contra ordinem, ipso infra paucos dies defuncto, a domino Alexandro papa in principio sui regiminis reuocatur. Cum enim dictus magister Humbertus ad beatam uirginem nostri ordinis patronam deuotissime confugisset, ipsa expediuit uelociter quod hominibus quasi impossibile uidebatur.

25. Eodem tempore frater lohannes de Columpna prior prouincialis Tuscie fit archiepiscopus Messanus, cui frater Nicholaus de Iuuenatio uir litteratus et religiosus et gratiosissimus predicator in prioratu successit. Sed cito migrans ad Christum fratrem Thomam de Lentino predicatorem egregium in prioratu habuit successorem.

26. Ab anno domini M°CC°XVII° usque ad annum M°CC°LVIII° fuerunt priores prouinciales fratrum in Prouincia frater Bertrandus, positus a beato Dominico, dictus de la Gariga ; secundus fuit frater Raimundus Vasco, positus a capitulo generali ; tertius fuit frater Guillelmus de Sissac, Vasco ; quartus fuit frater Raimundus de Miromonte, post episcopus Tholosanus ; quintus frater Romeus Cathalanus ; sextus frater Poncius de Lespana, de dyocesi Burdegalensi ; septimus frater Stephanus Aruernus ; octavus frater Geraldus de Frachet ; nonus fuit frater Poncius de sancto Egidio ; decimus frater P. de Valle citra.

CHRONIQUE D'HUMBERT DE ROMANS

Anno domini M°CC°III°

1. Beatus Dominicus cum Oxomensi episcopo Dydaco Tolosam uenit, ubi ipsa die cooperante deo hospitem suum hereticum ad ueram fidem reduxit. Deinde, peracta legatione regis semel et iterum et curia uisitata ab ipso episcopo, remansit cum eodem quasi per biennium in predicationis officio in partibus Tolosanis.

Anno domini M°CC°V°

2. Post reditum Dydaci episcopi ad suam dyocesim beatus Dominicus remanens quasi solus, paucis sibi adherentibus sine professionis tamen uinculo, per decem annos per diuersa loca prouincie Narbonensis et precipue circa Carcasonam et Fanum Iouis impugnando hereticos catholicam fidem extulit et, animarum saluti datus, totus officio predicationis uacauit, multas uilitates et abiectiones et angustias lete sustinens propter nomen domini nostri Ihesu Christi.

3. Illis etiam temporibus domum sororum de Pruliano instituit ante ordinis confirmationem.

4. Illo quoque in tempore comes Montis Fortis pugnans contra hereticos gladio materiali et beatus Dominicus gladio uerbi dei in partibus illis <sunt> facti adeo familiares quod uoluit comes quod ipse beatus Dominicus benedictionem faceret in nuptiis uxoris filii sui quam accepit, filie scilicet Delfini Viennensis, apud Carcasonam et filiam quandam suam baptizaret, que usque hodie uiuens et priorissa apud sanctum Antonium Parisius religiosissima et magne sanctitatis habetur. Dedit etiam quoddam castrum beato Dominico in sustentationem sui et sibi adherentium in predicatione. Unde usque hodie genus illud dilectionem et familiaritatem habet ad ordinem, in tantum quod quedam filia comitis predicti, scilicet domina Amicia de Iouiniaco, magni nominis et sancta mulier, uoluit multociens quod filius suus unigenitus et excellentis gratie intraret ordinem si fratres uoluissent ; et in extremis agens ipse apud Cyprum in exercitu regis Francorum habitum nostrum suscepit et factus est frater.

5. Ipsa quoque, sicut dixit, quia homo non erat nec poterat esse frater, ut saltem soror fieret, fecit domum sororum de Montargis et bene dotauit. In qua taxatus est numerus quinquaginta sororum, que speciali prerogatiua sanctitatis et religionis fulgent in Francia. Inter quas et ipsa sepulta requiescit. Fuit autem tanti feruoris et animi in domus predicte promotione quod, cum fratribus multis se opponentibus licentiam construendi illam habere non posset aliquo modo ab ordine, in propria persona multotcens iuit ad curiam pape et obtinuit litteras efficacissimas ad suum desiderium consummandum.

6. Porro, instante tempore quo prelati se parabant ad eundum ad concilium Lateranense, quidam magnus de Tolosa, P. Seiliani nomine, se et domos nobiles quas habebat iuxta castrum in eadem ciuitate obtulit beato Dominico. In quibus primo apud Tolosam ipse cum sibi adherentibus habitauit, et ibi moribus religiosorum se conformare ceperunt. Episcopus uero Tolosanus, uir sanctus et fidei zelator, Fulco nomine, sextam partem decimarum cum consensu capituli dedit eis ad libros et necessaria, sperans se habiturum eos fideles pugiles ad heresim expugnandam.

Anno domini M°CC°XV°

7. Beatus Dominicus Romam iuit ad concilium generale cum episcopo Tolosano Fulcone causa procurandi ordinis qui diceretur et esset ordo fratrun predicatorum. Et tunc accepit responsum de redeundo ad fratres et regulam eligendi.

Anno domini M°CC°XVI°•

8. Redeunte beato Dominico Romam, Innocentio mortuo et Honorio substituto, concessus est ordo et confirmatus. Eodem anno data est fratribus ecclesia prima quam habuit ordo, scilicet sancti Romani infra Tolosam, in qua fecerunt claustrum et cellas. Et erant numero circiter sexdecim.

Anno domini M°CC°XVII°

9. Disponentibus Tolosanis insurgere contra comitem Montis Fortis dispersit beatus Dominicus fratres, electo primo in abbatem fratre Matheo, alios mittens in Hyspaniam, alios Parisius. Et ipse Romam iuit. Et illo tempore domum sancti Sixti sororum instituit.

Anno domini M°CC°XVIII°

10. Circa principium anni misit beatus Dominicus fratres de urbe Bononiam. Et eodem anno in curia fratris Reginaldi notitiam acquisiuit. Qui eodem anno uenit Bononiam .XII. kalendas ianuarii. Eodem quoque anno beatus Dominicus in Hyspaniam rediens duas ibidem domos instituit. Et eodem anno data est fratribus Parisius domus sancti Iacobi ; nam ante stabant in domo conducta inter domum episcopi et domum dei.

Anno domini M°CC°XIX°

11. De Hyspania uenit beatus Dominicus Parisius et inuenit ibi fratres numero ferme triginta. Paululum ibidem commoratus diuertit Bononiam, ubi iam magnus erat fratrum numerus sub fratre Reginaldo congregatus apud sanctum Nicolaum, nam ante fuerant in alio loco a principio, qui eum cum mirabili gaudio receperunt. Et inde misit fratrem Reginaldum Parisius.

Anno domini M°CC°XX°

12. Primum capitulum generale celebratum est Bononie sub beato Dominico. Cui interfuit etiam frater Iordanis, missus ad illud de Parisius, ubi intrauerat paulo ante ordinem in quadragesima precedenti. In hoc autem capitulo inter multa que statuta fuerunt fuit et hoc statutum quod amodo possessiones et redditus non reciperentur, et quod illis resignarent que habebant in partibus Tolosanis, et quod capitulum generale uno anno Parisius, alio anno Bononie celebraretur, ita tamen quod Bononie sequens celebraretur. Quod longo tempore obseruatum fuit, sed postmodum aliter est statutum.

Anno domini M°CC°XXI°

13. Celebratum est secundum capitulum Bononie sub eodem patre. Et de illo capitulo missi sunt fratres in Angliam, et fratri Iordani, qui presens non erat, iniunctum est officium prioratus prouincie Lombardie. Ad quod officium exequendum dum iret de Parisius, frater Euerardus, archidyaconus quondam Lingonensis, uir magne auctoritatis, qui suo exemplo ad ingressum ordinis multos commouerat Parisius, uadens cum eo desiderio uidendi beatum Dominicum et ipsius fratris Iordanis amore illectus, mortuus est apud Lausannam, ubi aliquando in episcopum fuerat electus.

14. Interim autem eodem anno mortuus est beatus Dominicus VIII° idus augusti et intra ecclesiam fratrum honorifice sepultus.

15. Et frater lordanis ceptum iter perficiens Bononiam superuenit et inuenit ibi quendam fratrem Bernardum nomine obsessum a demone, de quo multa miranda narrat idem in libello quem composuit de initio ordinis qui sic incipit, Filiis gratie et coheredibus glorie. In quo multa continentur ex quibus habita est materia supradictorum, et etiam de legenda beati Dominici.

Anno domini M°CC°XXII°

16. Celebratum est tertium capitulum generale Parisius, in quo electus est frater Iordanis in magistrum, licet nondum complesset in ordine duos annos et dimidium. Hic fuit Theutonicus de Saxonia, uilla que dicitur Borcberge in dyocesi Maguntina, oriundus. Hic cum esset scolaris Parisius et probus in theologia cogitauerat in corde suo de huiusmodi uita fratrum, quorum non habebat notitiam, assumenda. Veniente ergo fratre Reginaldo Parisius et predicante feruenter uouit apud se se ordinem intraturum. Habebat autem apud se fratrem Henricum, qui fuit primus prior Coloniensis, iuuenem utique angelicum, gratiosissimum in omnibus. Qui postea predicatione totam uniuersitatem Parisiensem multum commouit. De cuius laudibus mira scripsit in libello quem composuit supradicto. Hunc autem laborauit secum ad ordinem trahere. Et emisso prius uoto de ingrediendo ordinem in manibus predicti fratris Reginaldi ab utroque, intrauerunt ambo in die cinerum et receperunt habitum, dum in officio fratres cantarent, Immutemur habitu et cetera.

17. In diebus eius ordo fuit ualde dilatatus in prouinciis, in conuentibus, in numero fratrum, et multi uiri et excellentes in nobilitate et diuitiis et scientiis intrauerunt. Sub eo etiam fuerunt prius licentiati fratres Parisius ad legendum, et habuerunt duas scolas. Intrauit eciam frater lohannes de sancto Egidio, anglicus natione, magister in theologia, facto sermone prius. Fuerunt autem inter huiusmodi fratres ab illo tempore multi ualde excellentis gratie et doctrine, sicut eorum scripta et memoria usque hodie manifeste declarant.

18. Ipse est etiam qui induxit consuetudinem de faciendis collationibus Parisius scolaribus. Et sub eo etiam inducta est consuetudo de cantando Salue regina post completorium. Sub eo etiam celebrata sunt duo capitula generalissima Parisius, in quorum ultimo factum est statutum de silentio mense.

19. Eius etiam tempore quatuor minores prouincie coequate sunt aliis octo in potestate quoad diffinitiones et electionem magistri, quod antea non habebant. Ipse etiam induxit consuetudinem quam habent magistri ordinis de mittendo litteras de capitulo generali. Scribebat enim sepe fratribus quos uidere non poterat litteras dulcissimas sancte consolationis et exhortationis plures, et modo omnibus modo aliquibus prouinciis, conuentibus uel fratribus sic scribebat.

20. Sub eo etiam anno domini M°CC°XXXIII° translatum est corpus beati Dominici ad locum honorabiliorem, et eodem anno est sanctorum cathalogo aggregatus apud Perusinum per papam Gregorium nonum. In quo tempore tanta gratia predicationis et mirabilium per fratres

effusa est in Lombardia et alibi per fratres inde uenientes quod totus mundus fere ex auditu stupebat.

21. Fuit autem magister iste multum notus et dilectus a domino papa Gregorio predicto et ab aliis curialibus, et gratiosus apud magnates et religiosos et clerum et populum et uniuersitates scolarium ubique, adeo quod uix poterant satiari de uerbis gratie que procedebant de ore eius siue in sermonibus siue in sanctis collationibus quas habebat. Unde quando erat Parisius incumbebat ei omnes sermones fratrum facere et, quando predicabat alius et sciebant eum scolares presentem, uix uolebant in fine recedere prius quam ipse aliquid diceret post alios.

22. Fuit autem eius summum studium ordinem dilatare propter fructum animarum. Propter quod totum se dabat ad attrahendas personas bonas ad ordinem. Et ideo immorabatur quasi semper in locis in quibus erant scolares, et precipue Parisius, nisi quando eum ire ad curiam oportebat. Erat autem illi consuetudo quando erat Parisius quasi omni die quando non erat sermo facere collationem nouitiis. Ad quam etiam alii maiores libenter conuenientes magnam consolationem et instructionem recipiebant in eis.

23. Hic cum transisset mare ad uisitandam terram sanctam et fratres, in regressu cum festinaret in galea uersus Neapolim ad predicandum ibidem scolaribus, irruente tempestate, defunctus est uersus gurgitem Satalie anno domini M°CC°XXXVI° idibus februarii. Fratres uero Aconenses illuc pergentes corpus eius beatum tulerunt in Achon et in ecclesia sua honorifice sepelierunt.

24. Plura uero alia de eo scripta sunt in libri huius tertia parte, nec tamen sufficienter, quia laus eius et gratia a quocumque scriptore non posset facile comprehendi.

Anno domini M°CC°XXXVIII°

25. Electus est Bononie in magistrum frater Raimundus de prouincia Hyspanie, Cathalanus natione, oriundus de dyocesi *****, uilla que dicitur *****. Hic fuit excellens doctor in iure canonico in quo rexit Bononie. Hic ordinem ingressus ***** assumptus est in socium a domino Iohanne de Abbatisuilla cardinali legato in Hyspania, et inde transiens cum eo ad curiam factus est familiarissimus et consiliarius secretus domino pape Gregorio nono et capellanus et penitentiarius eius, et expeditor petitionum pauperum. Et de eius mandato compilauit decretales in uolumen unum quod hodie est in usu, cum ante essent per quatuor uolumina distincte. Habuit autem se ita sancte et prudenter in curia per omnia seruans humilitatem ordinis et omnimodam honestatem quod uix fuit unquam de curialibus uel de euntibus et redeuntibus ab illa curia qui de ipso bona non predicaret et ipsum uirum sanctissimum reputaret. Cum autem papa uellet eum cogere ad recipiendum archiepiscopatum quendam in terra sua, tam constanter sancta quidem rebellione restitit quod reuocauit papa coactionem quam ceperat, uidens eius tam contrariam uoluntatem.

26. Hic obtenta licentia, licet cum difficultate, ad propria recedendi a curia propter suas debilitates et infirmitates quas incurrisse reputatur in parte propter labores et uigilias quas ibidem sustinebat et uitam asperam quam ducebat ...

27. Tempore sue electionis in conuentu Barchinonensi, ubi tunc erat, missi sunt ad eum multi priores prouinciales, inter quos fuit unus dominus Hugo qui tunc erat prior in Francia, et alii magni fratres, ut eum inducerent ad officium recipiendum. Quibus licet cum difficultate, timens de periculo ordinis si se subtraheret, acquieuit. Fuit autem uir maxime perfectionis, paupertatis et humilitatis et totius honestatis zelator maximus, et apponens curam maximam ut in minimis rigor ordinis seruaretur.

28. Hic est qui compilauit summam de casibus toti ecclesie pernecessariam circa consilia salutis animarum. Per eius etiam diligentiam constitutiones nostre redacte sunt ad formam debitam sub certis distinctionibus et titulis, in qua sunt hodie, que sub multa confusione antea habebantur.

29. Cum autem quasi per duos annos rexisset ordinem, sentiens sibi uires ad huiusmodi officium omnino deesse, tantum institit apud Bononiam in capitulo generali apud diffinitores quod eius cessionem receperunt. Super quo tanta turbatio orta est in ipso capitulo et per ordinem diffusa, quod dedit occasionem statuendi postea quod a diffinitoribus amodo non reciperetur magistri cessio nisi ex causis ex quibus posset absolui.

30. Hic igitur pater in conuentu fratrum de Barchinona eligens commorari, licet infirmus et multum impotens, adhuc uiuit in omni sanctitate, religionis speculum, exemplar uirtutum, consolatio prouincie, zelator fidei propagande inter Sarracenos, magne auctoritatis apud magnates, consiliarius religionis et omnibus odor uite in uitam.

Anno domini M°CC°XLI°

31. Electus est Parisius in magistrum frater lohannes, theutonicus natione de Saxonia, dyocesis Osnaburgensi metropolis Coloniensis, de oppido quod dicitur Wildeshusen oriundus. Hic antiquus in ordine ualde fuit receptus. Hic predicator egregius in multis linguis, theutonica, ytalica, gallica et latina, multum fructum fecit in diuersis partibus predicando. Propterea fuit ante multorum cardinalium socius et penitentiarius in legationibus pape. Et cum esset prior prouincie in Ungaria factus est episcopus Boznensis, sed postmodum per multam instantiam obtinuit a papa Gregorio cessionem et nulla prouisione retenta ad fratrum humilitatem et consortium est reuersus, manens inter illos tanquam unus ex illis.

32. Factus est autem postmodum prior prouincie in Lombardia, et de illo officio assumptus est in magistrum. Cum autem ipse presens existens ad refugiendum officium pontificalem uellet ordinem allegare, porrecta est econtrario littera papalis in qua mandabat quod, cum esset absolutus a cura pontificalis regiminis et per consequens restitutus sub obedientia ordinis, debebat ordini in recipiendo officia obedire. Per quam litteram compulsus fuit ad recipiendum officium prioratus predicti.

33. Hic fuit multum notus in curia pape et etiam domini Frederici, et in diebus eius ordo multum sublimatus est et roboratus in diuersis et magnis priuilegiis a curia concessis. Sub eo etiam dominus Hugo factus est cardinalis, et fratres multi per loca diuersa assumpti in episcopos cum magna displicentia sua et fratrum qui uere ordinem diligebant. Sub eo etiam ceperunt celebrari capitula generalia per diuersas prouincias. Et ipse plures prouincias quam alii magistri consueuerunt visitavit. Sub eo etiam beatus Petrus factus est martyr.

34. Cum autem esset inclusus cum aliis tempore electionis sue Parisius, quidam frater obdormiens in orando uidit quod ipse ferebatur per claustrum in curru igneo. Et euigilans dixit fratri cuidam, Talis erit magister. Quod postmodum rei probauit euentus.

35. Sub regimine istius multum laboratum est in curia quod ordo exoneraretur a cura sororum. Et licet super hoc bone littere impetrate fuissent, tamen tandem obtinuit quod ille que sub cura ordinis iam erant in suo statu remanerent sed de recipiendo de nouo alias cessaretur.

36. Eius quoque temporibus cum curia esset apud Lugdunum, sepulti sunt duo cardinales apud fratres, scilicet dominus Odo Portuensis et eius specialis amicus dominus Guillelmus Sabinensis, qui fuit amicissimus ordinis et beati Dominici ab initio familiaritate cum eo in curia pape contracta. Horum primus cum esset sepultus iam apud fratres et curia se pararet ut dicebatur ad eundum Ianuam, secundus, qui fuerat amicissimus illius defuncti, in sompnis erat sollicitus, ut sibi uidebatur, de habendo hospitio apud Ianuam. Et ecce primus apparens ei

dicebat, Domine Guillelme ne sitis sollicitus de hospitio apud Ianuam, quia hic habebitis hospitium mecum. Quod et ipse narrauit pape et cardinalibus et post paucos dies infirmatus est et mortuus, et iuxta eum in ecclesia fratrum sepultus. Acciderat autem paucis diebus ante quod, cum super locum sepulcri sui in consecratione ecclesie fratrum ipse deberet consecrare crucem que ibi erat et ungendo dicere deberet secundum ordinarium, Consecretur hoc templum, dicebat, Consecretur hoc sepulcrum. Et sub illa cruce est sepulcrum suum.

37. Dominus quoque Raynerus ibidem manens elegit sepulturam apud fratres, sed monachi quidam nigri apud quos manens mortuus est prestiterunt impedimentum, et delatus est apud Cistercium.

38. Post multos igitur labores et longos diu perpessos in ordine, uir iste beatus uite mundissime et ualde innocentis, boni zelator et malitie persecutor, in omni sanctitate migrauit ad dominum apud Argentinam, ubi multociens demoratus fuerat et multa bona fecerat, anno domini M°CC° quinquagesimo primo, et sepultus est honorifice in ecclesia fratrum.

Anno domini M°CC°LIIII°.

39. Electus est in magistrum in Ungaria apud Bugdam, ubi uiuente adhuc magistro Iohanne fuerat assignatum capitulum ob devotionem regis et regine, frater Humbertus, natione Burgundus de dyocesi Viennensi, uilla que dicitur Romanis oriundus. Hic cum adhuc iuuenis missus fuisset Parisius, cum rexisset in artibus ibidem et post ius canonicum aliquanto tempore audiuisset, ingressus est ordinem antequam redisset ad patriam circa annum M°CC°XXV° prius domino Hugone cardinali, qui magister suus fuerat, cum eodem in eodem proposito concurrente.

GUILLAUME PELHISSON
OPUSCULE SUR CE QUE DIEU A ACCOMPLI
À TOULOUSE ET DANS SA REGION
(p. 440- 474)

MOLINIER Charles, *De Fratre Guillelmo Pelisso veterrimo Inquisitore historico*, Anicii, 1880.

DOUAIS Célestin, *Sources de l'histoire de l'inquisition dans le Midi de la France au XIIe et XIIIe siècles*, Le Puy, 1880, p. 3-59 (autre édition : Paris, 1881, p. 81-118)

Guillaume Pelhisson, Chronique (1229-1244), suivie du récit des troubles d'Albi (1234), texte édité, traduit et annoté par Jean DUVERNOY, Paris : CNRS éditions, 1994. Dans cette édition, Jean Duvernoy prend en compte les deux manuscrits actuellement connus et les citations données par Jacques Percin, en distinguant dans l'apparat ce qu'il estime être des ajouts.

Toutes les éditions sont insuffisantes.

Il a été nécessaire d'établir le texte latin à nouveaux frais à partir des deux manuscrits connus : Avignon, Bibliothèque Municipale 1437 (qui a servi de manuscrit de base à l'édition de Douais) et Carcassonne, Bibliothèque Municipale 67 (copie éditée par Molinier en 1880 et que suit Duvernoy).

Gisèle Besson et Michèle Brossard-Dandré se sont chargées d'établir le texte latin sur lequel se fonde notre traduction et l'ont divisé en paragraphes. Nous avons également distingué les parties principales par des chiffres romains.

1. Frater Guillelmus Pelhisso de Tholosa uir religiosus, unus de fratribus primitiuis, scripsit manu sua illa que sequntur in papiro, que de uerbo ad uerbum transcripta sunt in hoc loco ad memoriam futurorum.

[Prologue] 2. Ad gloriam et laudem omnipotentis Dei et beatissime Virginis Marie, matris Christi, et beati Dominici, patris nostri, et tocius curie celestis, uolo quedam per scripturam memorie commendare que Dominus operatus est in Tholosa et in partibus Tholosanis, per fratres ordinis predicatorum et per fideles alios in eisdem partibus, meritis et precibus beati Dominici, qui dictum ordinem contra hereticos et eorum credentes, Spiritu Sancto ordinante, suis temporibus domino papa Honorio concedente et domino Fulcone Tholosano episcopo felicis recordationis adiuuante, ex animo incepit et ordinauit.

3. Non estimet autem quis detractor aut emulus uel inuidus hoc dici uel fieri ad extollenciam nostri ordinis, personarumue aliquarum cum nostram gloriam non queramus cum nulla sit, set ut successores nostri ordinis et alii quicumque fideles hec inspexerint sciant que et quanta passi sunt predecessores eorum pro fide et Christi nomine, laudent Dominum et inde sumant fideliter audatiam contra hereticos et omnes alios infideles et ut ad talia uel maiora, si opus fuerit uel necessitas se obtulerit, se preparent facienda uel pocius sustinenda.

4. Post multos siquidem et innumerabiles labores quos beatus Dominicus et fratres qui cum eo fuerunt in predicta terra pacientes devote et utiliter perpessi sunt, non defuerunt ueri filii tanti patris, immo surrexerunt filii pro patribus, nec fuerunt filii subtractionis et degeneres sicut filii Efrem, intendentes et mittentes arcum qui conuersi sunt in die belli, sicut ait psalmus de quibusdam, set uidentes negociationem que esset bona, supposuerunt humeros suos totaliter ad portandum iugum Domini et onera ecclesie et fidei orthodoxe.

5. Obmissis autem hiis que beatus Dominicus et filii eius fecerant, de hiis que post pacem factam Parisius anno domini MCCXXIX, in epdomada sancta, inter dominum regem Francie et ecclesiam ex una parte et nobilem uirum comitem Raimundum et suos adiutores ex altera, aliqua que facta sunt fideliter enarrabo.

[I.] 6. Cum enim tunc temporis ecclesia credidit habere pacem in terra ista, tunc heretici et eorum credentes magis ac magis armauerunt se multis conaminibus et astuciis contra eam et contra catholicos ita quod etiam multo plura mala fecerunt heretici in Tholosa et in terris illis quam tempore guerre fecerant ; quod uidentes fratres ordinis predicatorum et catholici doluerunt.

Missi etiam fuerant tunc Tholosam quam plurimi magistri de Parisius et scolares ut studium generale ibi fieret et fides doceretur ibidem et omnes scientie liberales. Nec hoc ualebat ad heresim extirpandam, immo hereticales homines uidentes eos ex aduerso et insolita audientes ipsos multipliciter deridebant.

7. Manebant tunc fratres predicatores in domo Sancti Romani in Tholosa quam dominus Fulco episcopus bone memorie, pater ordinis et amicus, eis dederat. Set quia ecclesia illa erat paruula et locus angustissimus et ad dilatandum impossibilis, mutauerunt se fratres in eadem ciuitate, in loco qui dicebatur Ortus de garrigiis, anno domini MCCXXX, dominica die ante natale Domini nostri Ihesu Christi. Ortum uero illum ex parte ciuitatis et alium ex parte burgi emit fratribus et dedit dominus Poncius de Capitedenario, burgensis de Tholosa.

8. Erat autem in illis diebus prior conuentualis frater Iohannes de Iohannia et prior prouincialis frater Raimundus de Falgario de Miromonte qui post paucos dies factus fuit episcopus Tholosanus, qui et dictam donationem accepit dicti loci ubi fratres edificauerunt domos ualde pauperes, paruas et humiles, propter penuriam loci et defectum expensarum. Nostri etiam fratres ualde tenuem uitam et pauperem in uictu pariter et uestitu longo tempore alacriter et deuote pro Christi nomine et plantatione fidei deduxerunt.

9. Absoluto priore fratre Iohanne predicto, factus fuit post eum prior frater P. de Alesto. Legebat ibi tunc temporis theologiam magister Rotlandus qui uenerat de Parisius ubi fuerat factus magister in theologia cathedralis.

10. Quadam autem die, cum predicaret quidam frater noster, dixit in sermone suo quod heretici manebant in villa et faciebant ibi sua consilia et hereses seminabant. Quod audientes homines de uilla multum fuerunt inde perturbati et commoti ; unde consules uille uocauerunt priorem ad domum communem, precipientes ei quod diceret fratribus quod de cetero non attemptarent talia predicare, et ualde pro malo haberent si diceretur quod heretici essent ibi cum nullus, ut ipsi asserebant, inter eos esset talis. Hec et similia comminantes intulerunt. Tunc magister Rotlandus, hoc audito a priore, respondit et dixit : « Certe nunc oportet quod nos magis ac magis contra hereticos et eorum credentes predicemus. », quod fecit ipse et alii similiter, uiriliter et potenter.

11. In illis diebus mortuus est in burgo Tholose A. Petri, donatus Sancti Saturnini, et in morte canonicatus cum superpellicio et in claustro sepultus, qui prius hereticatus fuerat in morte nescientibus canonicis ; quod ut audiuit magister Rotlandus iuit cum fratribus et clericis illuc et eum extumulatum trahi fecerunt ad ignem, et combustus est.

12. Eodem tempore est mortuus in dicto burgo quidam hereticus, Galuannus nomine, archimandrita magnus Valdensium ; quod magistrum Rotlandum non latuit, et publice hoc retulit in sermone et, conuocatis fratribus et clero et aliquibus de populo, iuerunt confidenter ad domum ubi dictus hereticus obierat et eam funditus destruxerunt et fecerunt eam locum sterquilinii, et dictum Galuannum extumulauerunt et de cimiterio Ville noue ubi sepultus fuerat extraxerunt.

Corpus uero illius per uillam cum ingenti processione traxerunt et in loco communi extra uillam combusserunt. Hoc ad laudem Domini nostri Ihesu Christi et beati Dominici actum est, et ad honorem Romane et catholice Ecclesie, matris nostre, anno Domini MCCXXXI.

[II]. 13. Eodem tempore defuncto domino Fulcone, episcopo Tholosano, in die natalis Domini, sub eodem anno domini MCCXXXI, electus est in episcopum Tholosanum dominus frater Raimundus de Falgario de Miromonte, prior prouincialis, et intronizatus in sede dominica in Quadragesima qua cantatur : « Letare Iherusalem », et frater Romeus factus est prior prouincialis in prouincia Prouincie.

14. In illis diebus absolutus est a prioratu frater Petrus de Alesto, et magister Rotlandus recessit de Tholosa et iuit ad terram suam, et in loco eius legit theologiam in Tholosa magister Iohannes de Sancto Egidio uir bonus et sanctus et facies eius et uita eius graciosa, qui magister fuerat in theologia Parisius cathedralis.

15. Factus est etiam prior Tholose frater Poncius de Sancto Egidio qui uiriliter et potenter se habuit in negocio fidei contra hereticos cum fratre Petro Cellani qui erat de Tholosa et fratre Guillelmo Arnaldi iuris perito qui erat de Montepessulano. Quos dominus legatus fecit inquisitores contra hereticos in Tholosana dyocesi, similiter et Caturcensi.

16. Fecit etiam dominus legatus archiepiscopus Viennensis fratrem Arnaldum Cathalanum, qui erat tunc de conuentu Tholosano inquisitorem contra hereticos in dyocesi Albiensi in qua uiriliter et intrepide contra hereticos predicauit et inquisitionem sicut melius potuit facere attemptauit. Verumptamen credentes hereticorum quasi nihil uolebant dicere illo tempore immo colligabant se ad negandum, duos tamen hereticos condempnauit uiuos, sicilicet Petrum de Pugperdutz, id est de Podioperdito, et Petrum Bo Macip, seu boni mancipii, et ambo fuerunt combusti diuersis temporibus.

17. Quosdam alios mortuos condemnauit et trahi fecit et comburi. Unde moti Albienses uoluerunt eum submergere in fluuio Tarni et percussum, laniata ueste, facie sanguinolenta ad instanciam quorumdam dimiserunt eum. Ipse uero quando trahebatur clamabat : « Benedictus sit Dominus Ihesus Christus ».

18. Postmodum uero uenerunt eis multa infortunia tempore fratris Ferrarii inquisitoris qui multos ex eis cepit et immurauit et etiam comburi fecit, iusto Dei iudicio operante.

19. Erant etiam preter predictos tunc temporis de conuentu Tholosano frater Mauricius contra hereticos optimus predicator, frater Dominicus de Baredge, frater Iohannes de Sancto Michaele, frater Gaufridus anglicus, magnus clericus, frater Nicholaus, frater Stephanus Methensis, frater Stephanus de Salhinhaco, Lemouicensis, frater B., Petragoricensis, frater Luchas Amadyeu, frater Bertrandus de Puieto, frater Guillelmus de Sancto Amancio, frater Iohannes de Alesto, supprior, frater B. de Sancto Fregulfo, frater P. de Sancto Laurencio, frater Odo, frater P. de Sorers, frater Guillelmus Pelhisso et multi alii, iuuenes, probi, studentes et religiosi. Fuit etiam postea ibi in illis dyebus frater P. de Marselhano supprior, uir prudens et religiosus, frater B. de Martiribus, frater Raimundus de Fuxo, frater Guido Navarra, Lemouicensis, frater Girannus et frater Raimundus de Villario, isti duo antiqui in ordine, et frater Rodericus. Erant enim fratres in conuentu tunc temporis amplius quam XL.

20. Deprimebantur autem illis temporibus in terra illa catholici, et persequtores hereticorum in multis locis occidebantur licet dominus Raimundus comes promisisset in forma pacis quod per quinquennium daret pro unoquoque heretico uel heretica illi qui eos caperet duas marchas argenti, et post quinquennium unam tantum. Quod et factum fuit multociens, sed maiores de terra et potenciores milites et burgenses et alii defendebant dictos hereticos et

celabant, et persequtores eorum percuciebant, uulnerabant et occidebant, quia consilium principis erat corruptum in fide notabiliter, et ideo multa mala fiebant in terra contra ecclesiam et fideles.

21. Accidit tunc quod quidam ciuis Tolosanus, B. Pictauini nomine, ut creditur catholicus, cum alio suspecto de heresi, nomine Bernardo de Solario fibulario rixam habuit et in cursu uerborum uocauit eum hereticum. Unde alius conquestus est consulibus de illato improperio, et alius adductus ad consilium, uituperatus fuit uerbis et minis a multis credentibus hereticorum qui tunc consulatum et uillam in potestate sua detinebant. Tandem condempnatus fuit ad exilium per aliquos annos et ad pecuniam dandam illi Bernardo pro iniuria, et consulibus uille pro communitate, et quod iuratus pronunciaret illum in domo communi uirum probum et catholicum et se mentitum fuisse de predictis. Quod alter audiens doluit quam plurimum de pecunia, et maxime, ut asserebat, de periurio quod contra conscientiam hoc diceret, et de dedecore sibi et aliis catholicis et ecclesie irrogato. Tunc petiit inducias consilii ; quibus datis uenit ad fratres et petiit consilium et iuuamen. Fratres uero dixerunt ei quod appellaret ad dominum episcopum quia causa erat fidei, et ipsi tunc uiriliter eum defenderent et potenter. Et ipse sequtus eorum sanum consilium ita fecit. Nec mora uenerunt ambo coram domino episcopo Raimundo et ille hereticalis adduxit secum ad curiam quam plurimos burgenses et maiores de villa et aduocatos qui omnes stabant pro illo, et contra alium potenter et damnose iangulabant. Ille uero adduxit secum contra alium testes fideles et fratres Petrum Cellani et Guillelmum Arnaldi qui eum uiriliter defenderunt in tantum quod subcubuit ille miser et fugit in Lombardiam, et adiutores eius remanserunt confusi. Benedictus Deus et beatus Dominicus seruus eius qui ita defendit suos.

[III]. 22. Eodem tempore inquisitores fecerunt inquisitionem suam in Tholosa et citauerunt plures de illa coram se inter quos fuit quidam de suburbio nomine Iohannes tector. Hic sibi sicut alius multos de maioribus ville hereticalibus habuit defensores. Dicebat enim iste maledictus Iohannes coram omnibus : « Domini, audite me. Ego non sum hereticus quia uxorem habeo et cum ista iaceo et filios habeo et carnes comedo et mentior et iuro et fidelis sum christianus. Ideo non sustineatis ista mihi dici quia Deum bene credo et ita poterunt uobis obicere sicut mihi. Cauete uobis quia isti mali homines uillam et probos homines uolunt destruere et aufferre uillam domino. » Tunc processum est contra eum in tantum quod receperunt fratres testes contra dictum Iohannem ita quod in claustro fratrum publice presens coram uicario et aliis multis fuit sollempniter condempnatus et cum uicarius, scilicet Durandus de Sancto Barcio, uellet eum ad ignem trahere, clamauerunt contra eum illi qui eum defendebant ne aliquo modo hoc faceret et murumurabant fere omnes contra fratres et uicarium. Tunc ductus fuit Iohannes predictus a uicario ad dominum episcopum et in carcerem positus qui adhuc dicebat se bonum esse christianum et catholicum.

23. Tunc commota est uilla ualde contra fratres et mine et uerba multa fuerunt contra eos supra modum et multi hereticales incitabant populum ut lapidarentur fratres et domus eorum omnino diruererentur quia probos homines, ut dicebant, et coniugatos accusabant iniuste de heresi et sic faciebant multa consilia contra fratres.

24. Erant enim in illis diebus multi crucessignati ad transfretandum propter illa que commiserant contra fidem, et quidam alii in aliis penitentiis a domino Romano apostolice sedis legato denotati quia eos Guillelmus de Consolario conuersus ab heresi discohoperuerat et isti cum aliis quampluribus semper contra ecclesiam et catholicos repugnabant.

25. Dominus uero Deus qui semper scit iuuare in tribulationibus iuuit fratres mirabiliter ad quem totaliter recurerant, orantes et deprecantes ut fidem suam et ecclesiam ab impiis custodiret et in illo facto sine confusione conseruaret.

26. Accidit itaque in illis diebus quod Guillelmus de Nense, baiulus in terra Vauri pro domino Raimundo comite Tholosano adduxit quosdam hereticos quos ceperat, et reddidit eos domino episcopo Tholosano, et fuerunt positi in carcere ubi dictus Io<hannes> textor erat. Ille uero Io<hannes> fingebat se infirmum et petebat instanter, ficte tamen, corpus Christi. Quando autem uidit hereticos iuxta se et eos plene cognouit, reddidit se eis et hereticauerunt eum. Quando etiam extracti fuerunt inde heretici ut examinarentur, dixit Iohannes quod ipse uolebat exire cum eis et uiam eorum sequi in omnibus. Tunc dominus episcopus Raimundus fratres et consules et uicarium et multos alios probos uiros et quam plurimos hereticales uocauit ad se in curia sua et fecit extrahi de carcere Iohannem cum hereticis, et coram omnibus examinati sunt heretici et contempnati, et dictus Iohannes cum eis quia confessus fuit coram omnibus quod ipse ita credebat per omnia sicut predicti heretici, et uiam eorum uolebat sequi, et cum pluries ab episcopo et fratribus esset admonitus ut resiliret, noluit redire ad fidem nostram. Tunc omnes qui eum ante defendebant confusi condempnauerunt eum publice ad minus uerbotenus et maledixerunt ei et combustus fuit cum aliis insimul. Per omnia benedictus Deus qui liberauit fratres qui erant in magno periculo, et magnificauit fidem suam et ecclesiam coram inimicis eius. Unde gauisi fuerunt ualde catholici et hereticales confusi et confutati.

[IV]. 27. Eodem tempore, fratres inquisitores, scilicet frater P. Cellani et frater Guillelmus Arnaldi, fecerunt inquisitionem in Caturco contra hereticos et condempnauerunt ibi aliquos defunctos quos trahi fecerunt per uillam et comburi. Hymbertum etiam de Castronouo condempnauerunt mortuum, sed filius suus furatus fuit eum de cimiterio et non fuit inuentus. Raimundus de Broelas, magnus credens hereticorum, aufugit et ueniens Romam submersus est in Tyberim.

28. Fecerunt etiam dicti fratres inquisitionem in Moysiaco et Iohanem de Garda condempnauerunt uiuum ; et fugiens ad Montem Securum factus est ibi hereticus perfectus, et postmodum ibidem combustus cum aliis CCX hereticis. Falquetum etiam de Moysiaco citauerunt, et ipse timens fecit se monachum in abbacia de Bella Pertica. Ipsi uero nihilominus processerunt contra eum ; quod ille audiens aufugit in Lombardiam. Iohannes Christofols, aduocatus de Moysiaco, citatus fugit similiter in Lombardiam. Tunc inquisitores condempnauerunt eos tamquam hereticos contumaces, et factus est timor magnus inter hereticos et credentes eorum in terra.

29. In illis diebus, dum inquisitores predicti erant in dyocesi Caturcensi, frater Arnaldus Cathalani erat cum fratre Guillelmo Pelhisso in Albia facientes inquisitionem contra hereticos, ubi XII de ciuitate illa crucessignauerunt ad eumdum ultra mare ; et P. de Podio Perdito et P. Bo Macip condempnauerunt uiuos, dictus frater A. scilicet et magister Guillelmus de Lombers collega eius ; qui combusti fuerunt ad terrorem multorum hereticorum et exaltationem fidei Ihesu Christi.

30. Interea frater Poncius de Sancto Egidio, prior Tholose, pluries citari fecit Arnaldum Sancii, fabrum de Cruce Baranhonis, et contra eum recepit multos testes iuratos coram eo, qui deposuerunt multa contra eum que fecerat contra fidem. Ipse uero negauit omnia, nichil aliud dicens ad sui defensionem nisi quod non erat uerum. Quod uidens prior et fratres, habito consilio sapientum qui aderant, quia magnus credens erat hereticorum, condempnauerunt eum tanquam hereticum in presencia predicti uicarii et aliorum multorum fidelium. Quod uidens dictus Durandus uicarius duxit eum ad ignem quia nolebat hereses confiteri, licet ipse Arnaldus clamaret per plateas quando ducebatur : « Videte omnes quam iniuriam faciunt mihi et uille, quia ego bonus christianus sum et credo fidem romanam ! » Et multa talia ad excusationem suam

ingeminabat conclamando. Unde commoti sunt multi de populo contra fratres et uicarium, et nihilominus uicarius combussit eum. Semel expauefacti et tremebundi plures de populo scientes se reos timebant ualde sibi et conculsa est tota uilla Tholose.

31. Anno Domini MCCXXXIIII°, canonizatio corporis beati Dominici patris nostri nunciata fuit Tholose, et dominus frater Raimundus de Miromonte, episcopus Tholosanus, celebrauit missam sollempniter primo in domo fratrum predicatorum Tholose. Et completo deuote et sollempniter diuino officio, lauauerunt manus ut comederent in refectorio, scilicet dominus episcopus et familia eius et fratres. Tunc, diuina prouidencia ministrante, meritis beati Dominici cuius festum celebrant, uenit quidam de uilla ad priorem antequam intrarent ad refectorium, et dixit ei quod quidam heretici intrauerant ad quamdam infirmam hereticandam, ibi prope, in uico qui uocatur l'Olmet sec. Tunc prior dixit hoc episcopo et statim antequam comederent iuerunt illuc, scilicet ad domum Pictauini Borsier, qui fuerat diu nuncius quasi generalis hereticorum in Tholosa. Socrus enim Pictauini tenebatur magnis febribus uel ad minus magna detinebatur infirmitate, et tunc fuit qui diceret dicte infirme : « Domina, uideatis quod dominus episcopus uenit ad uos. » Et quia subito intrauit episcopus cum aliis non potuit aliud notificare sibi. Episcopus autem sedens ante infirmam cepit ei multa dicere de contemptu mundi et terrenorum, et quia illa intellexerat forsitan de episcopo hereticorum sibi dictum fuisse quod uisitaret eam, ideo quia iam hereticata erat, liberius respondit de omnibus episcopo. Ipse uero dominus episcopus cum cautela magna extraxit ab ea in multis articulis quid credebat et fere totum sicut credunt heretici. Tunc addidit ei episcopus : « Vos de cetero non debetis mentiri nec multum curare de uita ista misera » et talia huiusmodi. « Ideo, dico ut sitis constans in credulitate uestra, nec timore mortis debetis aliud confiteri nisi sicut in corde creditis firmiter et habetis ». Quod illa audiens dixit : « Ita credo, domine, sicut dico, nec propter modicam uitam miseram meam mutabo propositum. » Tunc dixit episcopus : « Vos ergo estis heretica quia hec est fides hereticorum quam confessa estis, et sciatis pro certo quod hereses sunt manifeste et dampnate. Dimittatis omnia ista et credatis sicut credit romana et catholica ecclesia. Ego enim sum episcopus uester Tholosanus et predico fidem romanam catholicam quam uolo et moneo quod credatis. » Hec et multa talia dixit ei coram omnibus, et eam pluries super hoc monuit, nec quantum ad ipsam aliquid profecit, immo magis in heretica obstinacia perseuerauit. Tunc episcopus, convocato statim uicario et multis aliis, in uirtute Ihesu Christi eam hereticam condempnauit. Vicarius autem eam cum lecto in quo erat sic ad ignem ad Pratum comitis portari et statim eam comburi fecit. Captus est tunc Pictauinus gener eius qui erat nuncius et procurator hereticorum in Tholosa et Bernardus Aldrici de Trito Milio, qui erat socius eius ; qui confessi sunt multa de heresi postea et multos et magnos uiriliter discohoperuerunt. Episcopus uero et fratres et socii, hoc completo, uenerunt ad refectorium et que parata erant cum leticia comederunt, gratias agentes Deo et beato Dominico. Hec operatus est Dominus in prima sollempnitate beati Dominici ad gloriam et laudem nominis sui et serui sui beati Dominici, et exaltatationem fidei et depressionem hereticorum et credentiam (sic) eorumdem.

[V]. 32. Anno Domini MCCXXXV°, in Parasceue sancta uenerunt multi ad confessionem de facto hereticorum et in tantum occupabantur fratres quod non poterant suficere ad audiendum, unde notari fuerunt aliqui fratres minores et capellani parrochiales de uilla qui presentes essent ad audiencias. Tunc prior cepit quosdam de uilla qui nolebant gratis uenire, adiuncto sibi (12 c) uicario Tholosano, inter quos fuit quidam ceruinerius Arnaldus Dominici nomine. Hic cum uidisset quod uicarius minabatur sibi mortem nisi plene discohoperiret hereticos, timore perterritus promisit reddere XI hereticos quos sciebat, et data est ei spes

liberationis. Et tunc duxit dominum Petrum de Malafayda, abbatem Sancti Saturnini et dominum uicarium cum quibusdam armatis usque ad castrum quod dicebatur Cassers, et ibi ceperunt VII hereticos ; ceteri uero euaserunt adiutorio rusticorum dicti castri. Dictus Arnaldus Dominici confessus est et dimissus. Posmodum uero interfectus fuit a credentibus hereticorum apud Agassoylh de nocte, in lecto suo in terra de Lantaresio.

33. Dictus abbas cum uicario cepit Petrum Guillelmi de Lort in burgo Sancti Saturnini in domo sua, qui erat magnus credens hereticorum, et cum uellet eum secum ducere Raymundus Rotgerii maior scilicet natu et malicia, et P. Esquiuati cum quibusdam aliis de burgo abstulerunt eum de manibus eorum, qui postea fugiens non comparuit et, sicut credo, condempnatus fuit sicut hereticus. Huiuscemodi factum audientes inquisitores uenerunt omnes Tholosam et multos uocauerunt ad confessionem, dantes eis tempus gratie infra quod, si bene et plene confiterentur sine fraude, dabant eis spem firmam quod non immurarentur nec exularent nec admitterent bona sua, quia dominus comes Raimundus concesserat fratribus quod quicumque penitens confiteretur ueritatem nichil admitteret ; quod experti fuerunt postmodum qui integre sunt confessi.

34. In illis diebus tracti fuerunt quidam mortui hereticati per uillam et commbusti, scilicet Bertrandus Peyriers et quidam alii, et commota est tota ciuitas et turbata contra fratres propter inquisitores, et miserunt ad comitem. Qui ueniens rogauit inquisitores quod cessarent ad tempus amore ipsius, ponens suas friuolas rationes, quod illi facere noluerunt. Tunc comes conquestus est de ipsis legato, dicens etiam quod frater P. Cellanus qui fuerat de curia patrum suorum et ciuis Tholosanus, modo erat inimicus eius, et impetrauit cum legato quod de cetero non esset dictus frater P. inquisitor in dyocesi Tholosana, sed tantum in Caturcinio. Tunc frater P. absolutus a parte ista fecit inquisitionem cum fratre Poncio Delmont, et fratre Guillelmo Pelhisso sibi associato in episcopatu Caturcensi, ubi multa castra discurrentes et uillas, multas confessiones de heresi receperunt et in libris memorie commendauerunt.

35. Eodem tempore, frater Guillelmus Arnaldi inquisitor iuit Carcassonam. Cum quodam archidiachono sibi ad hoc adiuncto, citauit B. Othonis de Niort, nobilem uirum, dominum de Lauraco, et G. de Niort, fratrem eius, et Geraldum et matrem eorum ; ad quam citationem dictus B. Otho et Guillelmus comparuerunt, sed nichil de heresi confiteri uoluerunt, et accipientes comeatum recesserunt. In crastinum autem senescallus regis Francie cepit eos et, in ciuitate Carcassone detenti, multocies admoniti, Bernardus Otho noluit confiteri, quamuis contra eum multa inuenirentur contra fidem et multe hereses. Et ideo, habito consilio et tractatu, dicti inquisitores condempnauerunt eum tanquam hereticum. G. uero de Niort quia confessus fuit, sed non gratis, captum detinuerunt et dictum B. similiter. Et cum senescallus uoluisset eum comburere, terrarii Gallici, excepto marescallo de Mirapisce, dissuaserunt ei, timentes quod haberent guerram inde. Geraldus uero de Niort, frater eius, muniuit castrum de Lauraco et de Niort et terram aliam quam potuit. Unde citatus a dictis inquisitoribus ipse et mater eius noluerunt comparere et idcirco ab ipsis fuerunt condempnati. Fuerunt etiam illis diebus plures alii clerici et layci condempnati.

36. Frater Guillelmus Arnaldi inquisitor prefatus rediens Tholosam citauit XII credentes hereticorum de Tholosa, scilicet Sycardum de Gameuila uel de Tholosa, militem, A. Guidonem ueterem, Raimundum de Mirapisce et Vitalem M/medicum de Cassamilh, Maruandum ueterem, B. Signarii, R. Centulli, R. Rotgerium maiorem, et quosdam alios qui noluerunt comparere nec respondere de fide, immo et minas et terrores intulerunt nisi desisteret ab inceptis. Et uidentes quod non dimittebat eos, sed uolebat procedere contra ipsos, consilio habito, cum uoluntate et assensu comitis Tholosani, mandauerunt ei quod exiret uilla aut ab inquisitione cessaret. Ille uero habuit consilium a fratribus quod nullo modo cessaret, sed procederet uiriliter contra eos.

Tandem consules Tholose et eorum complices, facto impetu, eiecerunt dictum fratrem inquisitorem de domo et de tota uilla, ad manus illum trahentes. Quem totus conuentus associauit processionaliter usque ad caput pontis Deauarate, ultra Garonam ; ibi enim protestati sunt dicti consules quod si cessaret ab inquisitione permitterent eum stare in uilla sicut fratres alios, alioquin mandabant sibi districte ex parte comitis et eorum quod exiret de terra comitis sine mora. Ipse uero accepto fratre Giranno in socium, abiit Carcassonam. Inde mandauit capellanis parrochialibus Tholosanis et priori Sancti Stephani per litteras suas quod citarent secundo ex parte sua illos eosdem citatos. Quod fecerunt diligenter, quamuis multas minas et terrores eis homines de uilla intulissent ; quod uidentes consules qui tunc erant, scilicet Grifus de Roaxio, A. Barraui, Curuus de Turribus, B. de Miromonte, A. de Sancto Barcio, Poncius de Siolh, B. Signarius, R. Borellus, R. Rotgerius, et socii eorum, Maurandus de Bello Podio, Aldricus Maurandi, miserunt de nocte pro iam dicto priore Sancti Stephani et Guillelmo Vaquier et pro aliis capellanis qui citaverant, et ad domum communem eos tenuerunt per partem noctis. Postea uero eos extra uilla eiecerunt, dicentes et affirmantes quod si quis de cetero eos citaret pro huiusmodi, sine mora interficeretur. Et idcirco nullus de clericis uel religiosis ex tunc ausus fuit amplius eos citare. Fecerunt tunc temporis dicti consules tibicinari per uillam ex parte comitis et sua, in pena corporis et rerum, quod nullus aliquid in toto mundo daret uel uenderet uel accomodaret, uel aliquid boni faceret fratribus predicatoribus nullo modo. Hoc etiam edictum fecerunt de episcopo Tholosano et etiam de canonicis Sancti Stephani. Unde oportuit tunc episcopum exire extra uillam, quia non poterat intus habere necessaria. Non enim erat aliquis ausus ei coquere panem nec alia facere huiusmodi. Nos uero fratres satis habebamus necessaria ab amicis et catholicis qui etiam cum periculo portabant nobis panem et caseos et oua per parietes orti, et modis omnibus quibus poterant. Quod intelligentes dicti consules uille posuerunt ad portas nostras custodes suos, etiam ex parte orti, qui de die et nocte custodiebant domum ne aliqua necessaria ad nos intromitterentur et etiam aquam de Garona omnino nobis auferebant, quod etiam erat nobis maius dampnum, quia non poteramus coquere cum aqua nostra legumina. Tunc dolebant catholici, plangebant matrone fideles, suspirabant, murmurabant et gemebant, sed multi de nocte prohiciebant nobis panes bonos et magnos, et placentas et caseos in ortum ultra parietes, cauentes ne custodes hoc uiderent. Ita fuimus et bene per Dei graciam per tres epdomadas et circa, gaudentes et exultantes in Domino, et deuote cantantes officium in ecclesia. Tunc temporis, frater Guillelmus Arnaldi inquisitor misit litteras suas de Carcassona fratri Poncio de Sancto Egidio, priori nostro, mandans ei, quia non erant ausi alii citare dictos hereticales, quod ipse iniungeret duobus fratribus nostris quod illi citarent eos ex parte eius perhemptorie ut uenirent Carcassonam responsuri de fide sua coram eo, et alios duos fratres illis adiungeret qui essent testes dicte citationis. Tunc prior fecit pulsari ad capitulum, et fratribus congregatis dixit hylari uultu : « Nunc fratres, gaudete et ualde gaudere debetis quia IIIIor de uobis debeo mittere modo per martirium ad curiam summi Regis. Tale enim mandatum habeo a fratre Guillelmo inquisitore et defensore fidei, et creditur firmiter quod quicumque eos citauerint ista uice perhemptorie statim interficientur. Nam ita affirmant hoc consules et alii, citati hoc minantur. Idcirco uolo scire a uobis si estis parati mori pro fide Domini nostri Ihesu Christi, et uolo quod illi qui sic parati sunt, statim faciant uenias suas. » Tunc omnes quasi uno ictu fecerunt uenias in capitulo, et ipse gaudens fecit eos omnes surgere et respondit dicens : « Benedictus Deus quia inuenio uos paratos ! » Et multa alia uerba dixit nobis et addidit : « Modo ego deliberabo quos mittam, ex quo omnes uultis ire, quia non sunt omnes necessarii. ». Tunc elegit ad citandum fratrem Raimundum de Fuxo et fratrem Iohanem de Sancto Michaele de Lemouicinio, fratrem autem Guidonem Nauarra Lemouicensem, et fratrem Guillelmum Pelhisso elegit pro sociis et

testibus. Ipsi uero bene confessi et a priore ab omnibus peccatis suis generaliter absoluti, ut filii obediencie, obedenciam illam uiriliter et grauiter acceperunt et diligenter et inpauide compleuerunt, ita scilicet quod non suficiebat eis querere illos per plateas et domos suas, sed usque ad interiora cubicula querebant eos. Quando autem fuerunt in domo Maurandi ueteris querentes eum, uenerunt filii eius, scilicet Maurandus et Raimundus Maurandus luscus, cum impetu et traxerunt fratres foras, uerba contumeliosa eis geminantes, trahentes per capillos aliquos et impellentes extra domum et percucientes ; clamabant, uolentes eos uulnerare cum cultellis nisi quidam prohibuissent eos, qui erant presentes qui tenuerunt eos, inter quos erat quidam burgensis P. de Cossano, qui retrahebat eos ne facerent quod catholicus erat. Completa autem illa citatione, habuerunt consilium consules cum hereticalibus quod omnes fratres de uilla expellerent ex quo non cessabant ab inceptis nec uidebantur timere mortem. Dicebant enim : « Multo melius est nobis ut eos de uilla expellamus quam si occiderentur. », et in hoc firmauerunt suum consilium. Tunc aliqui amici nostri narrauerunt hoc priori, et prior, habito consilio cum fratribus domus et cum fratre Laurencio qui eadem die uenerat de Parisius ad legendum in Tholosa, quia magister Iohannes de Sancto Egidio iam recesserat de domo cum sociis suis, concordauerunt in hoc suum consilium quod libros omnes et calices et pannos ecclesiasticos extraherent de domo et commendarent omnia amicis suis ad tempus ; quod et fecerunt.

37. In sequenti uero die, feria IIIia, post festum omnium sanctorum, nonis nouembris, anno Domini MCCXXXV°, celebrata missa conuentuali, prior monuit fratres quod honeste et pacienter se haberent in omnibus et quod nullus exiret nisi tercio compulsus, et uidens quod aliquantulum tardabant uenire consules quia complices suos congregabant et alios quos poterant, dixit quod bonum erat quod comederemus quidquid contingeret. Dictis horis et cum fratres essent in mensa circa XL et comederent, uenerunt consules cum maxima multitudine, et nuntii eorum clamauerunt ad portam quod statim aperiretur, alioquin frangeretur. Tunc ianitor iuit ad priorem et dixit hoc ei. Prior uero exiuit ad eos et rogauit consules quod permitterent conuentum comedere, qui erat in mensa, sed ipsi nullomodo hoc facere uoluerunt, immo statim garciones eorum intrauerunt domum. Tunc prior pulsauit campanam et fratres omnes surrexerunt de mensa et processionaliter intrauerunt ecclesiam cum Miserere mei Deus cantando et, sicut moris est, reddiderunt gracias Deo, et ibidem remanserunt. Consules uero mandauerunt districte ex parte comitis et sua quod statim ipse prior cum totu (sic) conuentu suo exiret de uilla, alioquin ipsi eicerent eos uiolenter. Prior uero dixit eis quod nullo modo hoc faceret, ponens pro se et fratribus aliquas bonas raciones quas ipsi nullo modo recipere uoluerunt. Interim garsiones eorum iuerunt ad refectorium et ea que inuenerunt comederunt et biberunt. Tunc prior accepit crucem et capsam que erat in pede crucis, in qua erant reliquie, et sedit in claustro, tenens sic crucem in manibus, et conuentus totus sedit ibidem coram consulibus et eorum complicibus. Tunc ipsi iterum et iterum monuerunt priorem et conuentum quod cito recederent, sed fratres hoc facere noluerunt. Tunc B. Signarius et R. Rotgerius et B. de Miromonte et quidam alii acceperunt priorem per latera et eum uiolenter de claustro extraherunt. Alii uero socii et nuncii consulum fratres omnes similiter extraxerunt extra claustrum. Quando uero fratres fuerunt ad portam domus, frater Laurencius qui uenerat ad legendum et frater Arnaldus Cathalani prostrauerunt se ad terram. Tunc Raimundus Rotgerius et quidam alii eos per caput et pedes capientes, uiolenter extra portam portauerunt, et sic omnes fratres extra uillam trahentes et impellentes eiecerunt, uerumptamen non percuciebant eos aliter nisi quatenus est iam dictum. Prior uero incepit cantare alta uoce, et conuentus cum eo simbolum fidei sicut cantatur in missa, quando eum extrahere inceperunt, deinde Te Deum laudamus et Salue Regina quando fuerunt ante ecclesiam Beate Marie Deaurate. Quosdam autem fratres infirmos cum fratre Dalbio

decrepito qui longo tempore fuerat capellanus in ecclesia Beate Marie Deaurate et etiam Dealbate, in domo usque ad septem dimiserunt, sed postea post paucos dies etiam ipsos de uilla eiecerunt. Solum uero fratrem Dalbium decrepitum cum quodam conuerso in ecclesia Deaurate stare permiserunt. Fratres uero eiecti de uilla iuerunt ad boriam Sancti Stephani que dicitur Braccauilla, ultra Garonam. Homines autem de uilla non erant aussi sociare fratres in exitu, nec aliquid dare uel mittere propter <e>dictum consulum, et ad hoc etiam exploratores posuerunt si in aliquo eis seruiretur. Crastina autem die, prior fratres suos dimisit per conuentus prouincie ; ipse uero stetit per aliquot dies circa Tholosam et apud Portellum recepit ad ordinem magistrum G. de Sancto Gaudencio qui magister fuerat in logica et in Montepessulano magistraliter inceperat in phisica. Hic fuit homo magne sanctitatis et mirabilis austeritatis, qui postea in pluribus conuentibus in thelogia fuit lector. Quando etiam debebant fratres expelli de Tholosa, intrauit ordinem ibi frater Raimundus Thome de Tholosa, homo religiosus et bonus, et in obediencia promptus et frequentissime comprobatus. Volebat enim esse cum fratribus in ordine in tribulatione eorum.

38. Tempore illo iuit frater Poncius de Sancto Egidio Romam cum fratre Raimundo de Fuxo, et narrauit domino pape Gregorio et cardinalibus que facta fuerant in terra ista contra fidem et quomodo fratres in negocio se habuerunt. Unde mandauit dominus papa comiti Tholosano Raimundo ultimo quod fratres apud Tholosam reduceret et inquisitionem contra hereticos fieri in terra sua permitteret, et fratres etiam in hoc iuuaret et super hoc conuenit dictum comitem dominus legatus archiepiscopus Viennensis cum inquisitoribus apud Carcassonam. Comes uero, habito consilio, reduxit episcopum et inquisitores, et fratrem Poncium recepit in Tholosam sequenti anno post eiectionem, in octauis, scilicet beati Augustini patris nostri. Tunc redierunt fratres de conuentibus ubi erant ad conuentum Tholosanum.

39. Tunc temporis datus fuit socius fratri Guillelmo Arnaldi inquisitori a domino legato in negocio inquisicionis, frater Iohanes de Notoira, minister in prouincia ista fratrum minorum. Sed quia ipse frater Iohanes nimis erat occupatus in officio alio, posuit pro se fratrem Stephanum de Sancto Tyberio, uirum modestum et admodum curialem. Et tunc ambo inquisitionem unanimes, uno corde pariter bene et laudabiliter inceperunt, et usque ad diem martirii sui cum sociis uiriliter processerunt.

40. Anno Domini MCCXXXV°, IIII° ydus nouembris, frater Guillelmus Arnaldi, inquisitor, existens in Carcassona tulit sententiam excommunicationis contra consules superius nominatos, tamquam contra fautores hereticorum.

41. In diebus illis, factus fuit prior Tholosanus frater P. Cellani qui erat de Tholosa, uir religiosus et grandevus, et postquam fuerunt aliquamdiu fratres in conuentu Tholosano, dictus prior cum fratre Guillelmo Arnaldi, collega suo, iuit apud Montem Albanum in dyocesi Caturcensi, ut ibi contra hereticos facerent inquisicionem. Et dum starent ibi anno Domini MCCXXXVI°, IIII° nonas aprilis, quodam mane, uenit ad domum nostram Tholose Raimundus Grossi de Tholosa qui fuerat perfectus hereticus in terra ista XXII annis uel circa ; qui deuote et humiliter reddidit se sponte conuersus ab heresi non uocatus nec citatus, tunc ad uoluntatem fratrum omnimodam faciendam. Quem frater Guillelmus Bonisolacii supprior tenens locum prioris recepit in domo conuersum ab heresi gratis ; et de mandato fratris Guillelmi Arnaldi et fratris Stephani, inquisitorum, dictus supprior et frater Iohanes minister minorum in Vasconia, et Petrus, prior ecclesie Deaurate, et magister Arnaldus Pelhisson, precentor Sancti Stephani, et magister Nicholaus de Punctis, capellanus ecclesie Deaurate, et quidam alii fratres receperunt confessionem eius de heresi et pluribus diebus eam scripserunt ad confusionem multorum, et multi, tunc confessi sunt ueritatem et inde inquisitio fuit elucidata. Quo uiso et intellecto gauisi

sunt fratres ualde, et credentes hereticorum supra modum fuerunt perterriti qui conscii erant sibi iniquitatum suarum. Dictus uero Raimundus Grossi ita bene et integre et ordinate et fideliter facta hereticorum et credentium est confessus quod sine diuina prouidencia factum esse non debet aliquo estimari.

42. Venit autem prior et frater Guillelmus Arnaldi, inquisitor, et vocauerunt multos et magnos ad confessionem, et multi per se ueniebant timentes deprehendi. Dedit autem Dominus tunc istam gratiam negocio fidei quod cum dictus Raimundus esset unus et solus testis in multis, nullus tamen uerbum suum reuocabat aut ei contradicebat. Immo quam plurimi dicebant : « Domini, sciatis quod totum est ita sicut dominus Raimundus dicit. » Et rogabant etiam eum quod ipse eis diceret quid amplius in confessionibus suis essent dicturi, quia ipse sciebat plenariam ueritatem.

43. In tempore illo multe hereticationes defunctorum magnorum et aliorum que fuerant facte in Tholosa et in locis aliis extra villa per ipsum Raimundum Grossi reuelate sunt et inquisitio hereticorum per ipsum totaliter, Deo dante et iubente, directa, in tantum quod magni burgenses et nobiles, ac nobiles domine et quidam alii per sententiam condempnati sunt et de cimiteriis uille a dictis fratribus, presente uicario et populo, extumulati et ignominose eiecti et ossa eorum et corpora fetentia per uillam tracta et uoce tibicinatoris per uicos proclamata et nominata dicentis : « Qui atal fara, atal perira ! » Et tandem in prato comitis sunt combusta ad honorem Dei et Beate Virginis matris eius et beati Dominici, serui sui, qui sicut feliciter ordinem illum in Tholosa inchoauit contra hereticos ita in festo suo ibidem primo celebrato ac deinceps sicut pretactum est felicissime a Domino fieri impetrauit.

[VI]. 44. Tunc temporis condempnati fuerunt mortui, quia in morte fuerant hereticati : Embrinus maior et Petrus Embrini, et Oliua, mater eorum et Alesta, uxor dicti Embrini, et Raimundus Ysarni, et due sorores eius, scilicet Dyas, uxor domini Arnaldi Barraui, et Raimunda, uxor Bertrandi de Roaxio, et quidam alii de burgo et tracta fuerant eorum ossa per uillam et combusta.

45. De ciuitate similiter fuerunt condempnati mortui : Bertrandus Peyrers et Iohanes Saladis, et P. Iacmars et Magna, uxor Iordanis de Villa noua, et Raimunda eius filia, uxor Arnaldi de Villa noua, et filia Iordanis predicti, uxor Bertrandi de Sancto Lupo, militis, et Stephanus de Hyspania, Bernardus Raymundi Teuler et uxor eius et Fays, et Blanca de Gameuilla et quidam alii de ciuitate.

46. Quidam etiam uiui fuerunt condempnati pro hereticis, quorum quidam fugerunt et facti sunt heretici perfecti ; quidam postea redierunt, inter quos fuerunt Bernardus Embris, Raimundus Sentolhs, P. Giullelmus de Orto, Raimundus Rotgerii, Arnaldus Rotgerii qui fuit postea episcopus hereticorum, Alamannus quoque de Roaxio, Sicardus de Tholosa miles, Stephanus Massa, P. de Roaxio, Poncius de Gameuilla, Guillelmus Mercadier et Cortesa, soror eius, Arnaldus Guillelmus Peyrier et uxor eius, Ondrada mater eius, et mater matris, et pater Arnaldi Peyrier, et Pictauinus Laurencie et Bartholomeus Boers.

47. Maurandus etiam senes factus est hereticus perfectus, et Arnaldus de Villa noua, filius Iordanni, P. de Bouilla, Guillelmus Petri Duran, Michael de Pinu, Na Cadolha, Berenguera filia Bernardi Raimundi campsoris. Multi de istis fuerunt postea combusti apud Montem Securum.

48. De illis etiam qui extra uillam erant multos similiter condempnauerunt dicti fratres, scilicet de Lauraco Guillelmum de Insula, Bertrandum de Sancto Martino, milites, et Balaguerium, et isti postea interfuerunt morti fratrum, sed duo primi combusti fuerunt apud Montem Securum, tertius tractus fuit et suspensus.

Condemnauerunt etiam Raimundum de Perelha, dominum Montis Securi, et Corbam, uxorem eius, et Arnaldum Rotgerii fratrem dicti Raimundi, et Petrum Rotgerii de Mirapisce, dominos de Monte Securo, et Ysarnum de Tays de Appamiis, et Peyronetum de Montmaur.

Condempnauerunt etiam Raimundum Hunaldi, dominum de Lantario. Guillelmus Bernardi Hunaldi, pater Iordani qui erat perfectus hereticus combustus fuit Tholose. Abbas enim Sancti Saturnini, scilicet P. Malafayta, cepit eum apud Bosquet cum Arnaldo Gifre heretico qui similiter fuit combustus apud Albiam, quia ibi erat dominus legatus, et ideo fuit adductus ad eum.

Multi alii fuerunt condempnati per ipsos fratres inquisitores et per alios eorum successores quorum nomina non sunt scripta in libro uite, set corpora hic combusta et anime cruciantur in inferno.

Explicit quod scripsit manu sua frater Guillelmus Pelhisso Tholosanus qui uidit et interfuit et tandem obiit Tholose in festo Epiphanie, anno Domini MCCLXVIII°.

CHARTES ET BULLE
EN FAVEUR DE PROUILHE
(p. 486-499)

TUGWELL Simon, « For whom was Prouille founded ? », *AFP* 74 (2004), p. 54 (n°1) – nous proposons notre propre version du texte ; p. 121 (n°2).

KOUDELKA Vladimír, *Monumenta diplomatica S. Dominici*, *MOPH* 25, Roma : Santa Sabina, 1966, 6, p. 15-16 (n°3) – revu sur l'original ; 11, p. 21-22 (n°4) ; 29, p. 29-39 (n°5) ; 50, p. 44-45 (n°6) ; 64, p. 58 (n°7) ; 65, p. 59 (n°8).

1

Manifestum sit omnibus presentibus ac futuris hanc cartam legentibus siue audientibus quod ego Fulco dei gracia tholosane sedis minister humilis do et concedo, consilio et assensu domini <M.> prepositi sancti Stephani, in quantum fieri potest, ad preces domini Dominici oxomensis, precipue quia michi uidetur esse pietatis et misericordie, ecclesiam beate Marie de Pruliano et territorium per triginta passus sibi adiacens ex utraque parte circa predictam ecclesiam, ut in iure canonum reperitur, mulieribus conuersis per predicatores ad predicandum contra hereticos et ad repellandam heresim pestiferam delegatos, tam presentibus quam futuris, ibidem religiose uiuentibus, absque tamen decimis et primiciis, ita quod decime et primicie que ad iamdictam ecclesiam iure parochiali aliquando spectasse uidentur ecclesie que est in Fanoiouis reddantur ex integro, ipsam uero ecclesiam possideant absque aliquo censu et seruitute et quiete deinceps nisi predicte decime et primicie a me <uel a meo successore> concedantur dicte ecclesie de Pruliano. Acta sunt hec anno domini millesimo ducentesimo exto, regnante Philipo francorum rege.

2

In nomine domini. Notum sit omnibus praesentem paginam inspecturis quod nos B., Dei permissione Narbonensis archiepiscopus, consensu et uoluntate sociorum nostrorum, damus et libere concedimus per nos et successores nostros, in redemptione animarum nostrarum, Priorissae et monialibus nouiter conuersis monitis et exemplis fratris Dominici Oxomensus sociorumque eius, habitantibus nunc et in perpetuum in castro Fanoiouis et in ecclesia beatae Mariae de Pruliano Tholosanae diocesis, ecclesiam beati Martini de Limoso nostrae diocesis in Redesio cum omnibus decimis et primiciis territorii beati Martini de Limoso et territorii de Taxo eidem contigui, cum oblationibus et cum omnibus iuribus suis et pertinentiis, iure perpetuo integre possidendam, et dictas moniales et per ipsas et nomine earum fratrem Dominicum et fratrem G. Clareti cum traditione praesentis cartae in possessionem mittimus, saluo tamen iure episcopali nobis et successoribus nostris tam in cathedratrico quam in procurationibus et uisitationibus et in commissione curae animarum illi sacerdoti qui a dictis monialibus uel aliquo fratre loco earum nobis uel nostris successoribus fuerit presentatus.

Ut autem omnia supradicta omni firmitate subnixa permaneant sigilli nostri munimine fecimus roborari.

Actum est Carcassonæ in domo domini episcopi anno domini millesimo ducentesimo septimo, decimo quinto kalendas maii.

3

Notum sit omnibus hominibus quod ego Ermengards Godolina, et vir meus Sancius Gascus bono animo et gratuita voluntate damus et laudamus nosmetipsos, et omnia nostra domino Deo et beatæ Mariæ, et omnibus sanctis Dei, et sanctam prædicationem et domino dominico de Oscua, et omnibus fratribus et sororibus qui hodie sunt vel in futuro erint, Et damus nostram domum quod habemus et tenemus in Castro Vilarii cum omnibus ædificiis suis, et affrontat se ab oriente in domum Petri Martelli, a Meridie in Via, ab Occidente in locali Raimundi Capeleti et de Bernardo Arnaudo, ab aquilone in domibus de Bredicus, et damus similiter nostrum ortum quod habemus et tenemus a Poncio Humberto in decimario Sancti Petri terræ Caplatæ, Et affrontat se ab Oriente in Via a meridie in ipsa hæreditate in aqua ab aquilone simul, et damus simul alia omnia nostra mobilia et immobilia, ubicumque habeamus et teneamus.

Et ego Vilarius et frater meus Galardus Nos simul per nos et per omnem nostram posteritatem laudamus et concedimus domino Deo et sanctam prædicationem prædictam domum iure nostro salvo, scilicet nostrum servicium quatuor denariorum, et affrancamus jam dictam Ermengard et Viro suo Sancio et omnes alios de Pictam Villam qui ad sanctam prædicationem donaverunt de annona, et de caseos, et de Ova, et de Palea, et de Vinitis, et de Asinos, et de boves, et omnia alia servicia retinemus.

Facta carta ista mense augusti, feria quarta, Luna undecima, regnante Philippo Rege, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo septimo.

Testes huius rei sunt Hugonus de Riuuo, et W. Isarnus de Prolano, et Bernardus Raymundus, et Raimundus Mager et Petrus Sadia en Quatre, W. de Ollis fractis scripsit.

4

Notum sit omnibus tam praesentibus quam futuris hanc paginam legentibus vel audientibus quod ego Fulco, Dei gratia Tholosanae sedis episcopus, consilio et assensu M(ascaroni), praepositi Sancti Stephani, do et concedo ecclesiam de Brom cum omnibus ad eam pertinentibus dominabus conversis religiose viventibus ad ecclesiam Beatae Mariae de Proliano, scilicet : Guillermae, priorissae, Alazaiciae, Raimondae, Passerinae et aliae Guillermae, Berengariae et aliae Berengariae et Blancae et Guillermae et Rachardae et dominae de Barbairano, et Guillermae de Bellopodio et Curtolanae et Raimondae Claretae, Iordanae et Franchiscae et Arnaldae et Giencianae et Ermessendae et Arsendae et Expertae, ut habeant et possideant quamdiu istae praesentes vixerint et iamdictae ecclesiae honorificae provideant salvo tamen iure episcopali, ita quod decimas et primitias omnes dominae praedictae possideant et capellanum domino episcopo praesentent, qui ab eo curam animarum recipiat et dominabus de temporalibus respondeat et episcopo de spiritualibus.

Et ut quod fecimus ratum perseveret praesentem paginam sigilli nostri munimine roboramus.

Datum anno Domini millesimo ducentesimo undecimo, idibus Maii.

5

Notum sit omnibus hominibus hoc audientibus quod ego Bernardus Catolica de Barssa, motus amore Dei et beatae Mariae bono animo et libentissimo ac pro redemptione animae meae, dono meipsum et meos filios Petrum et Bernardum Sanctae Mariae de Prolano et loco ipsius et abbatiae et tibi domino Dominico, Oxomensis canonico. Et misi manus nostras inter vestras genu flexo osculando. Et dono meipsum et filios meos predictos et omnia bona nostra mobilia et immobilia fratribus et sororibus praesentibus et futuris et abbatiae Sanctae Mariae de Prolano. Et facimus hominium ibi et fratres facimus inde similiter, ut rogent Deum et sanctam Mariam pro nobis et colligant nos in suis benefactis et orationibus. Et nos pro servitio dabimus ibi annuatim in perpetuum duos solidos Melgorienses pro nobis et pro nostris bonis mobilibus et immmobilibus in festo Omnium sanctorum. Et quando habitum accipere voluero dabo ibi mecum centum solidos Melgorienses pura elemosyna, ut Deus dimittat mihi omnia peccata mea.

Et ego Dominicus, canonicus Oxomensis, per nos et per abbatiam Sanctae Mariae de Prolano et per omnes fratres et sorores praesentes et futuros inde, recipio te Bernardum Catolica de Barsa per fratrem et per hominem, et filios tuos Petrum et Bernardum et omnia bona vestra mobilia et immobilia praesentia et futura. Et manutenebimus et custodiemus vos et omnia vestra bona Deo annuente, posse nostro bona fide, et colligimus vos in benefactis et orationibus nostris et abbatiae Sanctae Mariae de Prolano.

Testes hujus rei sunt : Usalguerius de Fenoleto et frater eius Raines, et Guillermus Faber de Faris et Poncius Rozaudi, et Bernardus Augerii.

Facta carta ista, nonas Maii, feria secunda, anno ab Incarnatione millesimo ducentesimo decimo secundo, regnante Philippo, rege Francorum. Arnaldus Sancii de Lauriaco scripsit.

6

Noverint universi quod ego Simon, dominus Montis Fortis, Dei gratia vicecomes Biterensis et Carcassonensis, assensu et voluntate A(liciae) uxoris meae et A(malrici) primogeniti mei, ad honorem Dei et beatae Mariae et in remissionem peccatorum nostrorum, dono et concedo et confirmo quicquid Ugo de Lasci, dominus Lauriacensis et Castri Novi, dedit Dominico, Oxomensi canonico, et fratribus et dominabus de Prolano nunc et in perpetuum, quod praedictus Ugo de Lasci habet et habere debet apud Villam Novetam inter Podium Suiranum et Villam Pictam.

Preterea dono et concedo et confirmo similiter quicquid fratres praedictae domus habent vel possident iure emptionis sive donationis sive alio iusto modo vel habituri sunt.

Et ut firmum et stabile maneat in perpetuum sigilli nostri appositione praesentem paginam confirmamus.

Datum apud Carcassonam, mense Maio, anno Domini M°CC°XIII°.

7

In Nomine Domini nostri Ihesu Christi. Notum sit presentibus et futuris quod nos F(ulco), Dei gratia Tolosanae sedis ministre humilis, voluntate et consensu domini Iordani, abbatis Sancti Saturnini, et domini M(ascaroni), prepositi Sancti Stephani, dedimus hospitale quod est ad portam Arnaldi Bernardi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis fratri Dominico, Oxomensis canonico, ad opus dominarum conversarum et fratrum eis temporalia et spiritualia administrantium presentium et futurorum.

Et ut ratum maneat omni tempore, presentem paginam sigilli nostri munimine roboramus.

Datum anno Verbi incarnati M° CC° XV°, Phylipo rege Francorum regnante et comite Montis Fortis principatum Tolose tenente et eodem F(ulcone) Tolosano episcopo.

8

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis ... priori, fratribus et monialibus domus Sanctae Mariae de Pruliano salutem et apostolicam benedictionem.

Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem praebere assensum, et vota quae a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere.

Eapropter dilecti in Domino filii vestris iustis precibus inclinati personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati cum omnibus bonis quae in praesentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum praestante Domino iustis modis poteritis adipisci sub beati Petris et nostra protectione suscipimus. Decimas autem quas apud Fanum Iovis venerabilis frater noster episcopus Tolosanus, possessiones quas apud Gardelam abbas et conventus Sauricini, apud Salcens, Villarium et Fanum Iovis Robertus Malovicinus, apud Ausonam Petrus Aragonensis et fratres eius, apud Podiumviride Lambertus, apud Lacan Petrus de Vico, apud Apamiam Guillelmus Clareti, apud Agacens Hugo de Laci et apud Brom Hugo de Nant, frumentum etiam censuale quod apud Palenc Guido de Levi domui vestrae pietatis intuitu contulerunt, aliaque bona domus vestrae iusto vobis titulo acquisita, sicut ea iuste et pacifice possidetis, vobis et per vos eidem domui auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare voluerit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani, VIII idus Octobris, pontificatus nostri anno octavo.

MIRACLES DE SAINT DOMINIQUE RACONTÉS PAR SŒUR CÉCILE ET MIS PAR ÉCRIT PAR SŒUR ANGÉLIQUE

(p. 507-537)

Miracula S. Dominici a sorore Cecilia recitata et a sorore Angelica in scriptis redacta, dans : Simon TUGWELL, « Scripta quaedam minora de S. Dominico », *AFP* 83 (2013), p. 64-105.

Hec miracula beati Dominici patris nostri que subscripta sunt, que fecit apud urbem Romam, narrauit soror Cecilia Romana de conuentu Sancti Sixti quam misit bone memorie papa Honorius cum aliis tribus sororibus eiusdem conuentus ad docendum domum Sancte Agnetis in Bononia de ordine fratrum predicatorum tempore magistri Iordanis, que etiam de manu beati Dominici et habitum recepit accepit et ab eo de ordine instructa fuit et in manu ipsius tribus uicibus professionem fecit et adhuc in eadem domo uiuit in corpore magno pollens sanctitatis vigore.

1. *Qualiter beatus Dominicus cuiusdam uidue filium suscitavit.*

Quedam matrona uidua ciuis Romana, de parrochia Sancti Saluatoris in Pesilis de Buualischis nomine Tutadompna habebat magnam deuotionem in beatum Dominicum. Hec habebat unicum filium paruulum grauiter infirmum. Quadam igitur die predicante beato Dominico in eadem urbe, apud ecclesiam Sancti Marci prefata matrona desiderio audiendi uerbum dei de ore ipsius accensa, relicto filio sic infirmo, iuit ad ecclesiam ubi beatus Dominicus uerbum dei predicabat. Finita predicatione cum redisset domum inuenit eum defunctum. Que nimio merore contrita, sed eundem merorem silentio premens, confisa de dei uirtute et meritis beati Dominici assumptis ancillis suis uenit ad eum ad ecclesiam Sancti Sixti, ubi tunc morabatur cum fratribus, adducens secum filium defunctum, et quia eadem domus ad receptionem sororum preparabatur occasione artificum etiam alie persone ingrediebantur.

Ingressa ergo inuenit beatum Dominicum stantem ad ostium capituli ac si ibidem aliquid expectaret, et videns eum posuit filium suum ad pedes eius et prostrata coram eo cepit eum rogare cum lacrimis ut redderet sibi filium suum sanum. Tunc beatus Dominicus vehementi eius dolori compassus secessit ab ea paululum et fecit brevem orationem, et post orationem surrexit et accedens ad puerum fecit signum crucis, deinde tenens manum eius eleuauit eum uiuentem et sanum et incolumem reddidit eum matri sue precipiens ei ut hoc nemini diceret.

Illa uero rediens domum cum filio cum magna letitia que sibi et filio suo contigerant indicauit ita quod ad aures summi pontificis peruenit. Qui uoluit hoc miraculum in publica predicatione omnibus diuulgare, sed beatus Dominicus uerus humilitatis amator et custos prohibuit fieri dicens quia si hoc faceret iret ultra mare ad sarracenos nec amplius in istis regionibus commaneret. Quod timens pontifex noluit hoc publicare.

Dominus autem, qui dicit in euangelio Qui se humiliat exaltabitur, qui consueuit seruos suos preter uotum et propositum eorum magnificare et exaltare, ita extunc deuotionem populi et magnatum ad deuotionem et reuerentiam beati Dominici excitauit ut ipsum quasi angelum dei ubique sequerentur et quilibet beatum se reputaret qui eum contingere posset aut aliquid de uestibus eius pro reliquiis habere. Unde capam eius et caputium ita incidebant quod uix attingebant ad genua eius. Fratribus uero dicentibus turbis ne inciderent uestimenta ipse beatus

pater, congaudens eorum deuotioni, fratribus dicebat Sinite illos facere et deuotionem suam adimplere.

Interfuerunt autem huic tam grandi miraculo frater Tancredus, frater Odo, frater Henricus, frater Gregorius, frater Albertus et alii plures qui hec omnia sorori Cecilie et aliis sororibus postea retulerunt.

2. *Qualiter nepotem domini Stephani cardinalis a mortuis suscitavit.*

Bone memorie papa Honorius commisit beato Dominico ut omnes sanctimoniales que per monasteria per diuersas urbis regiones morabantur in unum redigeret et apud Sanctum Sixtum eas faceret habitare. Beatus uero Dominicus rogauit eum ut ad tam grande negotium peragendum socios sibi idoneos concedere dignaretur. At ille dedit ei socios dominum Hugolinum hostiensem episcopum, qui postea fuit summus pontifex, et dominum Stephanum de Fossa Nova cardinalem tituli Sancti Apostoli et dominum Nicholaum cardinalem Tusculanum ut sibi in omnibus, que indigeret adessent.

Cum autem omnes sanctimoniales contradicerent et nollent pro posse suo domino pape et beato Dominico obedire, abbatissa Sancte Marie in Tempoli cum uniuersis monialibus suis excepta una obtulit se beato Dominico cum cunctis possessionibus et redditibus que ad monasterium pertinebant. Beatus uero Dominicus cum illis tribus cardinalibus sociis sibi datis ordinauit ut prima quarta feria quadragesime post impositionem cinerum conuenirent ad domum Sancti Sixti ut dicta abbatissa, presentibus cunctis monialibus, officio resignaret et omnia iura monasterii sibi et sociis suis traderet.

Igitur cum beatus Dominicus in medio capituli cum iam dictis cardinalibus consederet, et dicta abbatissa cum sanctimonialibus astaret, ecce uenit quidam uir qui extrahens sibi capillos magnis vocibus clamabat Heu heu. Requirentibus qui aderant quid haberet respondit Nepos domini Stephani de equo cecidit et mortuus est. Vocabatur idem iuuenis Neapoleon. Quo audito patruus eius angustiatus reclinauit se super beatum Dominicum, alii autem sustinuerunt eum et beatus Dominicus surrexit et aspersit eum aqua benedicta. Et relinquens illum iuit ubi erat defunctus nimis conquassatus et horribiliter dilaceratus, iussitque eum deportari in quandam domum extra et ibidem recludi. Et dixit beatus Dominicus fratri Tancredo et aliis fratribus qui secum erant ut prepararent sibi necessaria ad missam.

Iuerunt ergo beatus Dominicus et alii qui cum ipsis erant et abbatissa cum sanctimonialibus suis, nam magnam reuerentiam habebant ad ipsam cardinales et beatus Dominicus propter sanctitatem ipsius. Beatus uero Dominicus cum habundantia lacrimarum missam celebrauit, cumque ad eleuationem corporis domini peruenisset et eleuaret in altum secundum consuetudinem, cunctis qui aderant uidentibus et stupentibus, ipse beatus Dominicus a terra in altitudinem unius cubiti eleuatus est.

Missa celebrata rediit ad corpus defuncti et cardinales et omnes qui simul erant cum ipso et abbatissa cum sanctimonialibus suis. Tunc manu sua sanctissima locis suis composuit membra conquassata et dilacerata a capite usque ad pedes, deinde misit se in oratione iuxta feretrum. Hoc cum fecisset tertio et uultum dilaceratum et alia membra locis suis composuisset, surrexit et fecit signum crucis super eum, et stans ad caput defuncti, eleuatis manibus ad celum et eleuatus ipse a terra diuina uirtute plus quam per cubitum, magna uoce clamavit O adolescens Neapoleon, tibi dico in nomine domini nostri Ihesu Christi surge. Et statim, uidentibus cunctis qui ad tam grande spectaculum confluxerant, sanus et incolumis surrexit et dixit beato Dominico Pater da michi manducare. Tunc beatus Dominicus dedit ei cibum et potum, et sanum et ylarem nullum signum

lesionis habentem reddidit patruo suo. Iacuit autem mortuus in mense marcii a mane usque ad horam nonam.

Hoc tam magnum miraculum prout hic continetur narrauit soror Cecilia que presens fuit ad omnia supradicta et cuncta audiuit auribus suis et perspexit oculis uniuersa.

3. *De pane et uino fratribus per orationem eius divinitus subministratis et augmentatis.*

Cum fratres habitarent adhuc apud ecclesiam Sancti Syxti et essent numero centum quadam die precepit beatus Dominicus fratri Iohanni de Calabria et fratri Alberto romano ut irent per ciuitatem pro elemosinis. Qui cum a mane usque ad tertiam quesiuissent et nichil penitus inuenissent reuertebantur domum sine aliquo subsidio. Cum autem peruenissent iuxta ecclesiam Sancte Anastasie obuiauit illis quedam matrona que magnam deuotionem habebat ad ordinem et uidens quod nullam elemosinam haberent dedit eis unum panem dicens Nolo quod sic omnino uacui reuertamini.

Redeuntes igitur accepto pane, ecce quidam uir candidus et pulcher ibat cum illis obnixe rogans ut elemosinam sibi darent. Illi autem ceperunt excusare dicentes quia non habebant pro se non poterant sibi dare. Petenti autem instantius dixerunt ad inuicem Quid faciemus de uno pane ? Demus ei illum amore dei. Et dederunt ei panem. Statim autem his qui acceperat panem disparuit et eum amplius non uiderunt. Cumque reuertissent domum obuiauit eis pius pater qui iam reuelante spiritu sancto omnia nouerat que illis acciderant et ilari vultu dixit eis Filii iam nichil habetis ? At illi dixerunt: Non pater. Et indicauerunt ei que sibi acciderant, et de paupere cui dederant panem. Et ille dixit eis Angelus domini fuit, dominus autem pascet servos suos, eamus ad orandum. Et intrans ecclesiam ad orandum, cum post modicum fuisset egressus, dixit fratribus ut conuentum facerent uenire ad prandium. At illi responderunt ei Pater sancte quomodo uis ut faciamus eos uenire ad prandium,quia non habeamus quod apponamus eis ? Ipse uero prescius futurorum dixit eis Dominus pascet seruos suos. Cum uero fratres tardarent perficere que sibi fuerant imperata uocauit fratrem Rogerium cellerarium et precepit ei ut fratres conuocaret ad prandium quia dominus prouideret servis suis.

Tandem coopertis mensis et appositis ciphis facto signo ingressi sunt fratres in refectorium. Tunc benedixit sanctus pater mensas, et residentibus fratribus legere cepit frater Henricus romanus ad mensam, beatus uero Dominicus iunctis manibus cepit orare super mensam. Et ecce, secundum quod ipse per spiritum sanctum predixerat, diuina prouidentia, subito in medio refectorii duo iuuenes pulcherrimi qui onerati erant duabus toaliis candidissimis plenis panibus ante et retro, et incipientes ab inferioribus, unus in dextro choro et alius in sinistro, singulis fratribus unum panem integrum mire pulchritudinis apposuerunt. Cum autem ad beatum Dominicum peruenissent et ei sicut et ceteris fratribus panem integrum apposuissent inclinantes capita statim disparuerunt, et quo abissent uel unde venissent usque hodie ignoratur. Beatus uero Dominicus dixit fratribus Comedite fratres panem quem dominus misit uobis.

Deinde dixit fratribus seruientibus ut uinum propinarent, illi autem dixerunt Pater sancte nichil habemus. Beatus uero Dominicus plenus spiritu prophetico iterum dixit eis Ite ad uegetem et de uino quod dominus ibi misit fratribus ministrate. Iuerunt ergo ut sibi fuerat imperatum, et invenerunt uegetem optimo uino plenam usque ad summum, et haurientes attulerunt et dederunt fratribus. Et dixit eis beatus Dominicus Bibite fratres de uino quod dominus prouidit uobis.

Comederunt ergo et biberunt die illo et altero ad satietatem, et tertia die postquam comederant iussit cuncta que superfuerant dari pauperibus, et noluit quod eis aliquid in domo remaneret. Illis autem tribus diebus non misit pro elemosinis quia dominus panem et uinum de

celo prebuerat illis in habundantia. Postea pater sanctus fecit fratribus pulcherrimum sermonem, admonens illos ut de diuina prouidentia nec etiam in egestate dubitarent.

Hoc tam preclarum miraculum frater Tancredus prior fratrum et frater Odo romanus frater Laurentius anglicus, frater Gaudio et frater Iohannes romanus et plures alii sorori Cecilie et aliis sororibus de Sancto Syxto, que adhuc habitabant in monasterio Sancte Marie in Tempori prout supra dictum est, retulerunt, quibus etiam de dicto pane et vino dederunt et usque in diem qua soror Cecilia cum sociis ad monasterium Sancte Agnetis in Bononia perrexit pro reliquiis habuerunt.

Hic autem frater Albertus quem misit beatus Dominicus pro elemosinis fuit unus ex illis duobus fratribus quorum felicem obitum pater Rome preuidit. Alter fuit frater Gregorius, uir pulcherrimus et admodum gratiosus. Et primo quidem frater Gregorius sumptis deuote sacramentis migravit ad dominum, tertia uero die frater Albertus sumptis similiter sacramentis de hoc carcere mundi ad celi migrauit palatium.

4. *De demone qui apparuit ei scribenti in specie symie.*

Quadam uice, cum adhuc fratres habitarent apud Sanctum Syxtum, nocte quadam cum diu in oratione perstitisset circa mediam noctem egressus ecclesiam ad lumen candele in capite dormitorii sedebat et scribebat, et ecce quidam demon in specie symie coram eo apparuit et cepit huc illucque coram eo ambulare et quosdam uersus illusorios cum tortione uultus facere. Tunc beatus Dominicus inuit ei manu ut fixus staret, et accipiens candelam accensam dedit ei ut teneret eam coram se. At ille accepta candela stetit ac tenuit ante eum et dictos uersus cum irrisione uultus ante beatum Dominicum faciebat. Interea finitur candela et accensus est digitus illius symie. Illa cepit se quasi pre dolore torquere et lamentare ac si is qui in gehennam ignis eterni comburitur ignem corporalem timeret. Beatus uero Dominicus innuit ei adhuc ut firmiter staret. Quid plura ? Tamdiu stetit ac tenuit donec digitus eius indicialis totus concrematus est usque ad iuncturam manus. At ille cepit se fortius se torquere et lamentare. Tunc beatus Dominicus accepit ferulam quam secum portabat et percussit eum fortiter dicens Recede nequam. Insonuit autem percussio quasi ferisset utrem siccum uento repletum. Illa uero in parietem proximum se proiciens nusquam comparuit tantumque fetorem ibi reliquit ut que symia fuerit indiciis euidentibus indicaret. Hoc factum ipse beatus Dominicus audiente sorore Cecilia et uidente ab eo fieri gestus illius symie sororibus et fratribus qui cum eo erant indicauit.

5. *Qualiter beatus Dominicus quamdam mulierem a demone liberauit.*

Postquam sorores ceperant habitare apud ecclesiam Sancti Sixti ordinauit idem beatus pater predicationem sollempnem apud prefatam ecclesiam Sancti Sixti in secunda dominica quadragesime qua legitur euangelium Cananee. Conuenit autem multitudo magna utriusque sexus et etatis. Beatus uero Dominicus stabat ad fenestram ita quod sorores poterant eum uidere et audire, et ipse verbum dei fortiter predicabat. Et ecce quedam mulier plena demoniis cepit vehementer impedire predicationem eius magnis uocibus clamando Ribalde ribalde tuis deceptionibus quatuor michi tulisti que mee erant, mee erant et tu eas michi tulisti. Et sepe repetebat Ribalde, ribalde. Cumque populus murmuraret quia impediebat predicationem, beatus Dominicus dixit ei pluries Obmutesce obmutesce. Illa autem per demones respondit dicens Non nos eicies hinc, hec nostra est, nec inde egrediemur ; septem sumus qui eam ingressi sumus taliter et taliter ; et ceperunt singuli dicere diuersis uocibus qualiter in eam ingressi fuissent.

Crescente autem tumultu populi propter impedimentum quod faciebat beatus Dominicus eleuata manu faciens signum crucis dixit In nomine Ihesu Christi precipio uobis ut exeatis ab ea et eam ulterius non ledatis. Statim illa magno uomitu commota reiecit magnam quantitatem carbonum et postea sanguinem in tanta habundantia ut quasi mortua uideretur. Tunc beatus Dominicus iussit eam duci extra ecclesiam in quandam domum et curam ei agi tribus diebus. Que etiam transacto aliquanto tempore, postquam soror Cecilia et alie socie eius de mandato domini pape ad Sanctam Agnetem Bononiam deuenissent, cum iret sana et incolumis ad limina Sancti Iacobi, ipsas uisitavit et cum eis ualde letanter se habuit.

Hoc miraculum fecit beatus Dominicus in publica predicatione in ecclesia Sancti Sixti ad fenestram, presente sorore Cecilia et ceteris sororibus et uidentibus eum stare ad fenestram et quomodo precipiebat demonibus ut egrederentur cum magno timore audientibus.

6. *De uino augmentato, et de angelo qui ei ducatum prebuit in uia et de nouitio quem mirabiliter a temptatione liberauit.*

Erat uenerabili patri consuetudo continua ut totam diem impenderet lucris animarum uel sedulis predicationibus insistendo aut confessionibus audiendo seu ceteris operibus caritatis operam dando, sero autem ueniebat ad sorores et faciebat eis presentibus fratribus collationem uel sermonem, et docebat eas ordinem,quia nullum alium habuerunt qui eas instrueret de ordine.

Quadam uero die solito tardius uenit ita quod sorores credentes eum non esse uenturum iam ab oratione recesserant et intrauerant dormitorium, et ecce fratres subito pulsauerunt campanellam que erat signum ad conuocandas sorores quando beatus pater ueniebat ad eas. Quo audito sorores festine uenerunt ad ecclesiam et aperta fenestra inuenerunt eum iam ibi sedentem et expectantem illas. Et dixit illis beatus Dominicus Filie mee ego uenio a piscatione et dominus dedit michi unum magnum piscem. Dicebat autem de fratre Gaudio qui fuit filius unicus cuiusdam domini Alexandri magnifici uiri, ciuis romani, quem idem uenerabilis pater ad ordinem traxit. Postea fecit eis magnam collationem et multam consolationem exhibuit.

Finitis sermonibus dixit beatus Dominicus Bonum est filie mee ut modicum gustemus potum, uocavitque fratrem Rogerium cellerarium et dixit ei ut adduceret vinum et ciphum. Cumque attulliset frater ea que dixerat precepit ut impleret ciphum usque ad summum. Deinde benedixit et primo quidem ipse bibit, postea cuncti fratres qui presentes erant, inter clericos et laicos numero .xxv., qui omnes biberunt quantum uoluerunt, sed ciphus nil imminutus in eadem plenitudine permanebat.

Postquam autem omnes fratres biberunt, dixit beatus Dominicus Volo ut omnes filie mee bibant. Tunc uocavit sororem Nubiam et dixit ei Vade ad tornum, id est ad rotam, et tolle ciphum et da potum uniuersis sororibus. Abiit illa cum socia et detulit ciphum plenum usque ad summum, et cum ita esset plenum, nec una quidem gutta de eo effusa est. Biberunt ergo omnes et primo priorissa deinde omnes sorores alie quantum uoluerunt, dicente eis sepe <beato patre> Bibite satis filie mee. Erant autem tunc sorores numero .ciiii., que omnes de illo cipho uini biberunt quantum uoluerunt, sed ciphus nullam diminutionem in se habet sed ita permansit plenus ac si semper in eo uinum infusum fuisset. Postea fecit reportari extra, qui ita plenus est reportatus sicut fuerat intromissus.

His peractis dixit beatus Dominicus Dominus uult quod vadam ad Sanctam Sabinam, ubi erat conuentus fratrum. Prior autem fratrum frater Tancredus et frater Odo prior sororum et priorissa et sorores uolebant eum retinere dicentes Pater sancte hora preteriit, iam prope mediam

noctem est, non decet ut hinc amodo recedatis. Ille uero non acquieuit eis dicens quia dominus omnino uult ut proficiscar, ipse autem dominus mittet angelum suum nobiscum.

Assumens itaque fratrem Tancredum priorem fratrum et fratrem Odonem priorem sororum cepit cum eis proficisci. Cumque peruenissent ad portam ecclesie ut egrederentur ecce secundum quod predixerat beatus Dominicus quidam iuuenis pulcherrimus stabat iuxta portam habens baculum in manu sua quasi paratus ad ambulandum, et cepit precedere eos in uia, beatus Dominicus misit fratres socios inter se et illum iuuenem, ipse uero tertio loco post illos ambulabat. Et cum peruenissent ad ecclesiam, inuenerunt eam clausam et diligenter firmatam. Ille autem iuuenis traxit se ad unam partem porte et statim aperta est coram eis, et primo ingressus est iuuenis, deinde fratres, et post omnes beatus Dominicus introiuit, cumque omnes fuissent ingressi ille iuuenis egressus est et statim clausa est ianua ut prius inuenerant eam. Frater uero Tancredus interrogauit beatum Dominicum dicens Pater sancte,quis fuit ille iuuenis qui venit nobiscum ? At ille respondit Fili angelus domini fuit quem ad nostri custodiam dominus destinavit. Pulsato matutino uenerunt fratres ad chorum et uidentes beatum Dominicum et socios mirabantur quomodo clausis ianuis introissent.

Erat autem in eodem conuentu quidam iuuenis nouitius, ciuis romanus nomine frater lacobus, qui uehementer temptatus deliberauerat omnino finitis matutinis cum ecclesie ianue aperirentur exire de ordine. Quod cum beato Dominico diuinitus fuisset revelatum, preueniens eius propositum, finitis matutinis misit et uocauit eum ad se et blanditer eum allocutus rogauit et monuit ut de tam sancta societate non recederet deceptus fallaciis inimici sed fixus permaneret servitio dei. Ille autem, cum nolet penitus acquiescere monitis eius ac precibus, surrexit et exuens sibi habitum proiecit a se dicens quia omnino deliberasset exire ordinem.

Tunc piissimus pater compatiens eius uiolenti tentationi, dixit ei Fili expecta me modicum et postea facies quod uolueris. Igitur eo prestolante surrexit beatus Dominicus et prostrauit se in oratione. Quanti meriti esset apud deum beatus Dominicus et quam facile posset impetrare a deo quod uellet illico ostensum est. Necdum enim orationem finierat et ecce subito ille frater temptatus uehementi ymbre lacrimarum perfusus surrexit et prostrauit se ad pedes eius rogans eum suppliciter ut sibi parceret et redderet habitum quem uehementi temptatione deuictus a se reiecerat, promittens se de cetero numquam ordinem exiturum. Tunc uenerabilis pater benigne eum allocutus reinduit eum habitum ordinis admonens eum ut nullis umquam temptationibus cederet sed semper fixus permaneret in seruitio Christi. Qui meritis sui intercessoris adiutus postmodum in ordine diu laudabiliter uixit.

Mane facto rediit beatus Dominicus cum sociis ad sorores et eo presente fratre predicti sorori Cecilie et aliis sororibus omnia que sibi acciderant retulerunt, beatus uero Dominicus ita esse omnia sicut ut fratres dicebant affirmabat et addidit Filie mee inimicus dei rapere uoluit ouem dominicam sed dominus liberauit eam de manibus eius.

7. *Qualiter ei oranti beata uirgo apparuit et ordinis curam se habere indicauit.*

Quadam uice cum pernoctaret beatus Dominicus in oratione in ecclesia usque ad mediam noctem, egressus ecclesiam intrauit locum dormitionis et peractis hiis ad que uenerat posuit se in oratione in capite dormitorii, et respiciens ad aliam partem uidit tres dominas pulcherrimas uenientes, quarum ea que in medio erat matrona uenerabilis pulcrior ceteris uidebatur. Una ex illis duabus portabat uas quoddam nimis splendidum et pulcrum, alia uero aspersorium portabat et porrigebat illi domine que erat in medio earum, illa autem domina aspergebat fratres et signabat eos. Cum ergo sic aspergendo circuirent preteriit quendam fratrem et nec aspersit eum nec

signauit. Quod beatus Dominicus intente inspiciens notauit fratrem illum quis esset. Et surgens ab oratione, obuiauit illi matrone usque ad lampadem que dependebat in medio dormitorii et procidens ad pedes eius cepit eam rogare suppliciter ut sibi dignaretur indicare que esset, quamuis eam cognosceret.

Eo tempore illa pulchra et deuota antiphona, scilicet Salue regina, non cantando sed tantummodo genu flexo dicebatur legendo Rome in conuentu fratrum et sororum. Respondens itaque illa domina dixit beato Dominico Ego sum illa quam omni sero inuocatis, et cum dicetis Eya ergo aduocata nostra prosterno me coram filio meo pro conseruatione ordinis istius. Tunc beatus Dominicus inquisiuit que essent ille que eam comitabantur. Cui beata uirgo Una est Cecilia, altera Katerina. Iterum beatus Dominicus interrogauit de fratre illo quem preterierat quare illum sicut ceteros non aspersisset nec signasset. Illa respondit Quia inhoneste se habet. Post hec cum reliquos fratres per circuitum signasset et aspersisset disparuit.

Beatus uero Dominicus rediit ad orationem in loco ubi prius steterat, et subito raptus fuit in spiritu ante deum et uidit dominum et beatam uirginem que sedebat ad dexteram eius, et uidebatur ipsi beato Dominico quod domina nostra induta esset capa coloris saphiri. Cum ergo beatus Dominicus respiciens in circuitu uideret de cunctis ordinibus religiosorum ante dominum, de suo ordine nullum uideret, cepit amarissime flere, et stans a longe non audebat domino et eius matri appropinquare.

Tunc domina nostra innuit ei manu ut iret ad se. Ille uero non audebat accedere donec eum dominus uocauit. Tunc beatus Dominicus accedens ad eos prostrauit se coram eis amarissime plorans. Dominus autem dixit ei ut surgeret, cumque surrexisset, interrogauit eum dominus dicens Quare ita amarissime ploras ? Qui ait Quia de cunctis ordinibus hic intueor, de meo autem nichil prospicio. Et dixit ei dominus: Vis uidere ordinem tuum ? Respondit tremens Etiam domine. Dominus autem ponens manum super spatulam beate Virginis dixit Ordinem tuum matri mee commisi. Et iterum dixit ei Omnino uis eum uidere ? Ille respondit Etiam domine. Tunc beata Virgo aperuit capam qua uidebatur induta et expandit eam coram beato Dominico, que tante magnitudinis uisa est fuisse ut totam celestem patriam capere uideretur, et subtus eam uidit fratrum multitudinem copiosam. Quod cum uidisset beatus Dominicus prosternens se gratias egit deo et beate Marie uirgini sue matri, et uisio illa disparuit, statimque rediit ad se et confestim pulsatum est ad matutinas.

Quo finito convocauit fratres ad capitulum et fecit eis magnum et pulcrum sermonem adhortans eos ad amorem et reuerentiam beate virginis, et inter cetera retulit eis hanc uisionem. Finito capitulo uocauit fratrem quem beata uirgo non signauerat, et cepit eum blande inquirere ne forte haberet aliquod peccatum occultum quod non sibi fuisset confessus. Nam idem frater cum beato Dominico confessionem fecerat generalem. At ille respondit Pater sancte non inuenio in conscientia mea nisi hoc, quod hac nocte cum expergefactus fuissem inueni me extra tunicam nudum iacere.

Hanc uisionem ipsemet beatus Dominicus sorori Cecilie et aliis sororibus de Sancto Syxto indicauit tamquam de alio diceret, sed fratres qui cum eo erant innuebant sororibus ipsum esse. Huius occasione ordinauit dictus pater ut omnes fratres ubique cincti iacerent et cum caligis.

8. *De diabolo qui ei apparuit in specie lacerte et uolebat impedire predicationem eius.*

Quadam die dicta missa extra accessit ad fenestram beatus Dominicus et dixit sororibus ut omnes conuenirent ad canales ubi erant molendini ut eis ibi uerbum dei predicaret. Prescius autem futurorum dixit eis Filie mee si inimicus humani generis uoluerit uos aliqua forma deterrere

nichil eum timeatis quia nichil uobis nocere poterit. Iuerunt ergo sorores quo dixerat beatus Dominicus admirantes quare in loco inusitato uellet eis predicare, et quoniam eo tempore molendini reparabantur ingressus est ipse et plures alii fratres cum eo et uenerunt ad locum ubi sorores conuenerant, et residentibus illis iuxta canalem cepit beatus Dominicus fortiter illis predicare de fallaciis inimici et eius versuciis.

Hec illo loquente subito affuit sathan in specie cuiusdam lacerte nimis horribilis et deformis, que habebat duo capita et erat nimis nigra, et discurrebat super ripam canalis caudam et unum de capitibus citissime deponendo et eleuando, et impetum faciebat contra sorores ac si ipsas impetere niteretur. Beatus uero Dominicus, per spiritum sanctum cognoscens quis esset qui in effigie lacerte latebat, aspiciens eum toruis oculis et agitans caput dixit Inimice inimice. Et conuersus ad sorores dixit Nolite timere quia vobis nocere non poterit. Videns autem quod sorores nimio orrore perterrite alique ex eis surrexerant ut aufugerent dixit illi Precipio tibi inimice humani generis ut statim proicias te in hac aqua. At illa statim mersit se in aquam et nusquam comparuit.

Huic miraculo interfuerunt Cecilia et alie sorores de Sancto Syxto et plures fratres.

9. *Qualiter beatus Dominicus tres sorores a febribus liberauit.*

Quadam die beatus Dominicus uenit ad rotam et vocauit sororem Constantiam rotariam et inquisiuit ab ea qualiter se haberent soror Theodora, soror Thedranna et soror Nimphana. Respondit illa quia febrem paterentur et soror Theodora tunc accesionem pateretur. Dixit ei beatus Dominicus Vade et dic eis ex parte mea quia ego precipio eis ne amplius febricitent. Hoc autem fuit ualde mirabile quia nemo ei indicauerat illas sorores infirmari, sed ipse per spiritum sanctum hoc cognovit. Abiit soror expectante beato Dominico ad rotam et precepit illis ex parte ipsius ne amplius febricitarent, statimque liberate sunt ab omni infirmitate et surrexerunt et abierunt per domum uidentibus aliis sororibus et stupentibus de tanto prodigio. Reuersa soror indicauit beato Dominico quid acciderat, qui gratias agens deo recessit a rota.

10. *De demone qui eo predicante lampadem euertit nec tamen extinxit.*

Quodam tempore beatus Dominicus rediens de Yspania detulit sororibus quasi pro munusculo coclearia cipressina, pro qualibet sorore unum. Quadam ergo die, cum perstitisset more solito in operibus caritatis, sero uenit ad sorores deferens coclearia que detulerat, sedensque ad fenestram cum pluribus fratribus cepit predicare sororibus de insidiis inimici et quoniam sathanas non solum ut decipiat transfigurat se in angelum lucis uerum etiam ut impediat predicationem et alia bona opera uilissimarum rerum assumit sibi ymagines, ita quod quandoque in figura passeris se transformat.

Vix pater sanctus uerbum finierat et ecce quidam demon in similitudine passeris illic apparens cepit uolitare prope terram supra capita sororum ita ut eum manu tangere possent si uellent et predicationem eius impedire. Quod uidens beatus Dominicus uocauit quandam sororem nomine Maximillam et dixit ei Surge apprehende illum et adduc eum ad me. Illa igitur surgens extendit manum et sine aliqua difficultate apprehendit eum et per fenestram dedit eum beato Dominico. Tunc beatus Dominicus accipiens passerem cepit festine depilare dicens Inimice inimice. Cum autem subridentibus fratribus et sororibus ei omnes pennas abstulisset, ipso uoce lamentabili garriente, proiecit eum dicens Vade inimice humani generis, modo uola si potes ; strepitum quidem magnum et impedimentum facturus es sed dampnum inferre non poteris.

Ille uero per fenestram iterum ingressus, residentibus adhuc sororibus ad predicationem, ascendit ad uas ereum quod pendebat cum catenulis ante altare beate uirginis, in quo erat lampas accensa plena oleo. Magno impetu concutiens cathenulas ipsum euertit, lampas uero que in eo erat de uase quidem eo concutiente est egressa sed nec solum non est lesa aut extincta uerum etiam in aere stetit uersata habens os inferius et fundum superius. Ad cuius strepitum euersionis sorores leuantes capita uiderunt lampadem mirabiliter in aere stantem sine aliquo substentaculo, factumque est iuxta propheticum dictum beati Dominici. Nam licet ita reuoluta lampas persisteret nec una quidem gutta olei effusa est nec etiam furfur quod erat in pelui sub lampade ob custodiam ipsius dispersum sed ita omnia permanserunt illesa ac si semper in locum proprium immobiliter perstitissent. Quod uidens beatus Dominicus et qui cum eo erant gratias deo egerunt, precipitque beatus Dominicus sorori Sabine, quam idem pater sacristissam ordinauerat cum omnes officiales inter sorores constitueret, ut lampadem in locum proprium restitueret. Quod et fecit. Sicque factum est ut quod inimicus humani generis inuidia sua ad dampnum et impedimentum parauerat uerteretur ad dei gloriam. Ille autem passer, qui nocte illuc aduolauerat disparuit et quo ierit non est uisum

Quando autem beatus Dominicus sero sororibus predicabat fratres extra et sorores intus magna luminaria accendebant ita ut bene poterant uidere quicquid in ecclesia fiebat.

Hoc tam iocundum miraculum fecit beatus Dominicus in ecclesia Sancti Sixti ad fenestram presente sorore Cecilia et uidente et audiente omnia predicta, et alie sorores de Sancto Sixto.

11. *Qualiter deus per merita beati Dominici quendam nouitcum in ordine mirabiliter retinuit.*

Idem beatus pater receperat ad ordinem quemdam iuuenem pulcherrimum nomine fratrem Henricum qui erat ciuis romanus nobilissimus genere sed nobilior moribus. Cuius ingressu comperto propinqui illius deliberauerunt eum extrahere et ad seculum reducere. Quo cognito beatus Dominicus datis sibi sociis mittebat eum extra urbem ad alium conuentum.

Comperto propinqui illius quia fugeret secuti sunt eum uolentes eum extrahere. Igitur cum idem nouitius et socii eius peruenissent ad fluuium qui dicitur Pontem Quarti iuxta uiam numentanam, cum iam pertransissent flumen, ecce illi qui eos insequebantur appropinquabant et erant iam prope ripam ex alia parte fluminis. Tunc nouicius cernens persecutores suos adesse commendauit se deo et meritis beati Dominici patris sui, rogans dominum ut eum de manibus eorum per merita beati Dominici dignaretur eripere. Mira res,sed ab eo facta qui facit mirabilia solus. Statim enim ut hii qui eum persequebantur in equis sedentes affuerunt ad flumen ut eum pertransirent, in tantum excreuit aqua ut eam penitus transmeare non possent. Videntes ergo tam magnum prodigium redierunt retro stupefacti, relinquentes nouitium in ordine confirmatum. Fratres uero et nouicius qui erat cum eis, uiso quod sic stupefacti redissent ad sua, complacuit eis ut redirent ad beatum Dominicum, et cum ad prefatum flumen peruenissent ut eum pertransirent statim aqua in locum suum rediit liberum prebens transeuntibus iter.

Hoc miraculum idem nouicius cui hoc accidit et fratres qui cum eo erant sorori Cecilie et aliis sororibus de Sancto Sixto retulerunt.

12. *Quomodo beatus Dominicus quandam heremitam ab horribili morbo liberauit.*

Quedam heremita erat Rome nomine soror Bona magne sanctitatis et religionis. Hec habitabat in turre iuxta portam lateranensem, cui ministrabat alia mulier nomine Iacobina. Hanc beatus Dominicus pro sua sanctitate in magna reuerentia habebat et eam sepe uisitabat et confessionem eius audiebat et sepe eam communicabat. Habebat autem illa sancta heremita grauissimam infirmitatem ita ut de pectore et mamilis eius innumerabilis multitudo uermium scaturiret, si quando autem aliquis de illis cecidisset statim eum colligens in locum pristinum restituebat.

Quadam die, cum eam uisitasset ex more et communicasset, sedens ad fenestrulam eius et uerba consolationis et edificationis cum ea loquens, rogauit ut sibi ostenderet locum infirmitatis sue. At illa aperuit tunicam a parte pectoris et ostendit ei pectus et ubera uermibus repleta. Cuius infirmitatem benignus pater pie respiciens uehementer condoluit, et misertus eius dixit illi Rogo te ut pro magno munere des michi unum de illis uermibus. Illa autem noluit sibi concedere nisi sub hac conditione quod illud deberet reddere sibi. Cui cum promissiset ipso uidente tulit unum de uermibus de pectore suo et dedit illud per fenestram beato Dominico.

Cum uero beatus Dominicus extensa manu ipsum suscipiens super palmam manus teneret et inspiceret subito uersus est in pulcherrimum lapidem preciosum. Quod cum uidissent fratres qui erant cum eo dixerunt ei ne eum amplius illi redderet. Tunc illa cepit flere rogans eum ut sibi redderet suum lapidem preciosum. Beatus uero Dominicus posuit eum super fenestranculam et reddidit eum sibi. At illa accipiens illud inspiciente beato Dominico et sociis eius apposuit suo pectori in loco unde eum tulerat. Qui statim uersus est in uermem sicut prius fuerat. Recedente ab ea beato Dominico fecit ei absolutionem et consignans eam et benedicens abiit.

Cum uero recessisset, ceciderunt mamille a pectore eius cum uermibus et extincti sunt uermes et pectus eius consolidatum est et cepit emittere mamillas sicut puelle .xii. annorum. Transactis aliquibus diebus beatus Dominicus iterum uenit ad eam et inuenit eam pristine sanitati restitutam. Illa autem ostendens ei locum egritudinis et mamillas restitutas indicauit ei et sociis eius quomodo eam dominus per merita beati Dominici liberauit.

Hoc miraculum ipse beatus Dominicus et frater Tancredus, qui fuit unus ex sociis et uidit et audiuit omnia hec sicut scripta sunt, sorori Cecilie et aliis sororibus de Sancto Sixto retulerunt.

13. *De alia inclusa cui dominus per merita beati Dominici reddidit brachium quod amiserat*

Alia reclusa habitabat retro ecclesiam Sancte Anastasie que uocabatur soror Lucia, quam etiam soror Cecilia antequam in monasterio esset pluries uiderat. Habebat grauissimam infirmitatem in uno brachio que ita sedula corrosione totam carnem et pellem consumpserat ut totum os eius usque ad cubitum denudatum appareret. Cum ergo beatus Dominicus pergens ad Sanctum Sixtum frequenter inde transiret sepe eam visitabat.

Quadam uero die cum eam uisitasset ex more cum fratre Bertrando yspano et aliis pluribus fratribus fecit sibi ostendi brachium in quo habebat illam infirmitatem. Cui cum ostendisset consignauit eum et benedixit et abiit. Illa autem per merita beati Dominici recepit integram sanitatem.

Hoc ipse beatus Dominicus et frater Bertrandus, qui cum eo erat et uidit et audiuit omnia supradicta, sorori Cecilie et aliis de Sancto Sixto indicauerunt.

14. *Qualiter beatus Dominicus domum sororum Sancti Sixti instituit et illic ymaginem beate uirginis posuit.*

Cum beatus Dominicus secundum iussionem domini pape Honorii sanctimoniales que per diuersa monasteria urbis morabantur congregaret ut eas in ecclesia Sancti Sixti, in qua tunc fratres erant, faceret cohabitare, inter ceteras abbatissa Sancte Marie in Tempori, ubi erat illa uenerabilis ymago beate uirginis que nunc est in ecclesia Sancti Sixti, cum sorore Cecilia et cum cunctis aliis sanctimonialibus preter unam in manibus beati Dominici fecit professionem promittens se cum omnibus intraturam si ymago beate uirginis cum eis in ecclesia Sancti Sixti permaneret, si uero illa ymago reverteretur ad ecclesiam suam, sicut iam olim fecerat, ipsa et omnes alie ab ipsa professione penitus essent absolute. Beatus uero Dominicus predictam conditionem libenter acceptauit.

Facta uero professione beatus Dominicus dixit quod nolebat quod amplius claustrum egrederentur ad uisitandos propinquos. Igitur cum audissent propinqui earum quod gestum fuerat uenerunt ad monasterium et ceperunt abbatissam et sanctimoniales uehementer arguere quod tam nobile monasterium destruere uellent et se in manibus ignoti ribaldi illius ultro uellent committere. Unde factum est ut alique ex illis peniterent de professione quam fecerant. Quod beatus Dominicus agnoscens per spiritum quodam mane uenit ad eas et dicta missa factoque sermone dixit ad illas Filie mee iam penituistis et uultis retrahere pedem a uia domini, uolo ergo quod omnes que propria uoluntate uolunt intrare iterum in manibus meis profiteantur. Tunc abbatissa cum aliis iterum fecit professionem in manibus suis. Cumque iterum professe essent sub eadem conditione qua prius beatus Dominicus tulit omnes claues et totam dominationem monasterii deinceps plenarie obtinuit. Beatus uero Dominicus constituit fratres conuersos qui monasterium nocte et die custodiebant et sororibus inclusis uictum et necessaria ministrabant, nec permisit eas ultra cum propinquis nec cum aliis personis loqui.

Cum dominus papa dedisset ecclesiam Sancte Sabine fratribus et illi iuissent illuc ad habitandum et deportassent omnia utensilia et libros et alia, uoluit beatus Dominicus quod abbatissa cum aliis sororibus intrarent ad habitandum in ecclesia Sancti Sixti. Prima igitur dominica quadragesime ingresse sunt ad habitandum ibidem et prima omnium soror Cecilia, que habebat tunc .xvii. annos, in ipso introitu porte habitum recepit a beato Dominico et in manibus eius tunc tertia uice professionem fecit, post abbatissa et omnes sanctimoniales monasterii sui et tot alie inter religiosas et seculares, quod simul omnes fuerunt .xliiii.

Imaginem uero beate uirginis nocte sequenti propter metum romanorum, qui nolebant eam inde remoueri quia melius poterant eam ibi uidere, beatus Dominicus cum duobus cardinalibus, scilicet domino Nicholao et domino Stephano cuius nepotem suscitauerat, et multis aliis personis nudis pedibus omnibus incedentibus, multis luminaribus precedentibus et subsequentibus, humeris suis ad ecclesiam Sancti Sixti deportauit, et sororibus nudis pedibus in oratione constitutis et eam expectantibus, cum magna reuerentia in ecclesia sororum est collocata, ubi usque hodie cum eisdem sororibus permanet ad laudem domini lhesu Christi, cui honor et gloria in secula seculorum. Amen.

15. *De forma beati Dominici.*

Fuit autem forma beati Dominici secundum testimonium eiusdem sororis Cecilie huiusmodi. Statura mediocris, tenuis corpore, facies parum rubea et pulcra, capilli et barba modicum rubei, pulcher oculis, de fronte eius et interciliis quidam splendor radiabat qui omnes ad sui reuerentiam et dilectionem attrahebat. Semper ylaris et iocundus apparebat nisi cum ad compassionem pro qualibet afflictione proximi mouebatur. Manus longas et pulchras habebat, magnam uocem pulcram et resonantem habebat, linguam disertam. Nusquam fuit caluus sed totam coronam rasilem habebat integram paucis canis respersam.

Hec omnia que super cripta sunt de beato Dominico retulit soror Cecilia que cuncta ita esse asseruit, ut, si necesse esset ea iurare parata esset, sed quoniam tante sanctitatis tanteque religionis est ut eius sermoni simplici facile credendum sit, hec que ore suo proprio indicauit ad honorem et laudem domini nostri lhesu Christi et beati Dominici patris nostri et consolationem fratrum a sorore Angelica eiusdem conuentus Sancte Agnetis in scriptis redacta sunt. Parcite stilo quia artem gramatice penitus ignorat.

BENEDETTO DA MONTEFIASCONE :
LA FONDATION DE SAINT-SIXTE DE ROME.
NOTICE HISTORIQUE SERVANT D'INTRODUCTION
AU REGISTRE DES CHARTES DU MONASTÈRE.
(p. 542-550)

Vladimír KOUDELKA, « Le "Monasterium Tempuli" et la fondation dominicaine de S. Sisto », *AFP* 31 (1961), p. 69-72.

1. *De prima constructione monasterii Sancti Sixti*

Nota quod dominus Innocentius papa III monasterium Sancti Sixti cum devotione animi de bonis Ecclesiae aedificare cepit, ut mulieres Urbis et moniales aliorum monasteriorum Urbis per diversa vagantes possent ibi sub arcta clausura et diligenti custodia Domino famulari. Sed dum promotioni dicti loci ferventissimo insisteret animo, morte praeventus, monasterium imperfectum reliquit.

2. *De concessione facta B. Dominico de dicto loco*

Honorius autem papa III, immediate successor praefati Innocentii, ad instantiam B. Dominici fundatoris et institutoris ordinis fratrum Praedicatorum ipsum ordinem confirmavit. Eidem beato Dominico et suis fratribus dictum locum S. Sixti ad eorum usum concessit.

3. *De impetratione ecclesiae S. Sabinae*

Beatus Dominicus processu temporis audiens dictum monasterium ad usum monialium aedificatum fuisse, ductus teneritudine conscientiae noluit quod fratres sui ordinis ulterius ibi manerent, sed cum multa solicitudine multoque labore ecclesiam S. Sabinae a summo pontifice sibi et suo ordini impetravit.

4. *De positione monialium in S. Sixto*

Postmodum vero ipse B. Dominicus, ne locus Sancti Sixti ad Dei honorem aedificatus ad alios usus quam ordinatio aedificantis intenderat poneretur, et ne ipse cui praedictus locus dudum concessus fuerat aliquo remorsu conscientiae laederetur, coepit ex commissione sibi a summo pontifice facta per Urbem diversa sanctimonialium monasteria circuire eisque verbum Dei praedicare et ad introitum dicti monasterii admonere, sicque ibi multas voluntarias tandem sub debita clausura locavit.

5. *De translatione monialium ad S. Sixtum*

Beatus ergo Dominicus omnes moniales S. Mariae in Tempulo et magnam partem monialium S. Bibianae de licentia praefati Honorii papae et de voluntate ipsarum transtulit ad praedictum monasterium S. Sixti, ita quod uno die translatae sunt XL moniales tam de dictis monasteriis quam de diversis aliis monasteriis Urbis ad monasterium S. Sixti. Multas etiam alias dominas saeculares post haec B. Dominicus ad ordinem recepit et cum aliis in dicto monasterio reclusit.

6. *De habitu, velo et aliis observantiis*

Idemque beatus Dominicus eisdem monialibus sibi a papa commissis habitum sui ordinis quo utuntur induit et velum tradidit, faciemque cooperuit et ad ordinem recepit, professionem ipsarum secundum regulam beati Augustini et institutiones fratrum Praedicatorum admisit.

7. *De institutione priorissae, prioris et aliarum officialium*

Post haec B. Dominicus ad informationem dictarum monialium vocavit de monasterio de Pruliano, quod ipse aedificaverat, sororem Blancam cum septem aliis monialibus, quarum quatuor

post aliqua tempora ad supradictum monasterium redierunt ; praedicta vero soror Blanca cum aliis tribus usque in finem remansit in monasterio S. Sixti, ubi eam B. Dominicus priorissam instituit. Quae praefatas moniales de ordinis observantiis docuit, loqui per signum manuum indicavit. Prioremque ibidem instituit B. Dominicus fratrem Tancredum, curam et sollicitudinem interiorum et exteriorum ei committens, cui fratres Ioannem de Calabria et Albertum sacerdotes ad celebrandum divina in ipso monasterio sociavit. Fratrem Roggerium, conversum Hispanum, de terra sua oriundum, ad rotae custodiam deputavit et multos alios conversos strenuos et industrios ad promotionem temporalium, quos cum dicto priore posuerat, ordinaturi praedictum monasterium, quamdiu apud S. Sabinam dimoratus est frequenter visitans, et qualiter proficerent in spiritualibus et temporalibus sollicite perquirebat. Post transitum vero ipsius ob reverentiam eius, et quia ipse sollicitam et specialem curam de dicto monasterio habuerat et eis firmiter promiserat quod a cura et regimine sui ordinis nullatenus absolveretur, venerabiles patres fratres Iordanus et Raymundus, magistri dicti ordinis, alacrem, benignam et sollicitam curam de sororibus et toto monasterio sicut B. Dominicus ordinaverat in omnibus habuerunt. Omnia autem supradicta attestatae sunt sorores Artemia, Viviana, Massimilla, Angela de Scocta, Restituta et Romana Calavita, quae fuerunt a beato ad ordinem et professionem eo tempore in monasterio S. Sixti receptae et fere per XL annos post transitum eiusdem patris in eodem monasterio mente devotissima et ferventissimo obsequio perstiterunt, ibique cursum vitae suae feliciter consumarunt.

8. *Quod clavem monasterii S. Sixti tenebat papa*

Clavis exterior monasterii, prout traditum est ab antiquis monialibus, consuevit in Camera papae cum multa diligentia conservari. Verumtamen quia cum difficultate poterat fieri et ex hoc nonnulae incommoditates et inconvenientia sequebantur, et quia dicta clavis quandoque mittebatur ad praedictum monasterium per clericos saeculares, quandoque vero per fratres Minores qui interdum in Curia morabantur, et haec displicebant monialibus, idcirco papa ad instantiam ipsarum monialium dictam clavem et custodiam monasterii commisit magistro ordinis, ut de ea secundum suam prudentiam ordinaret. Magister autem, quia semper in Urbe esse non poterat, habito diligenti consilio fratrum et monialium antiquarum, visum est eis ad maiorem cautelam et meliorem custodiam, ut in S. Sabina dicta clavis diligentius servaretur. Tunc enim fratres in Urbe alium conventum non habebant. Magister ergo reccomendavit dictam clavem priori S. Sabinae qui pro tempore esset, vel eius vicario.

9. *De secunda clavi*

Processu vero temporis visum est fratribus ad maiorem monasterii honestatem facere secundam clavem exteriorem quam prior monasterii conservaret et sic factum est.

10. *De tertia clavi*

Tertiam autem clavem, scilicet interiorem conservat priorissa.

11. *De firmatura portae quando fratres intrant*

Quando fratres monasterium intrant, prior monasterii, vel ille cui ipse innuerit, debet portam monasterii firmare intrinsecus et clavem interiorem, dum sunt intus, secum tenere. Debet etiam praecedere omnes alios fratres per domum de antiqua consuetudine et approbatione maiorum.

12. *Concessio praebendae Angliae*

Honorius papa III, quia quaestio vertebatur de ecclesia de Bamburgo inter dominum Stephanum cardinalem et canonicos ecclesiae S. Ostebaldi de Nosted Eboracensis diocesis, renuntiante dicto cardinali ipsam ecclesiam in manum papae, concessit eam dictis canonicis, ita tamen quod dicti canonici eidem cardinali in vita sua darent de fructibus ipsius ecclesiae annuatim

libras centum sterlingorum, et monasterio S. Sixti de Urbe X marcas sterlingorum. Post mortem vero dicti cardinalis darent eidem monasterio quinquaginta marcas annuatim. Ad haec omnia praesentes in Romana curia existentes subprior et cellarius Sancti Ostebaldi libere consensserunt.

13. *De censu regni Siciliae*

Copia cuiusdam litterae apostolicae in qua continentur ea quae dare debet rex Robertus Romanae Ecclesiae pro censu de redditibus regni Siciliae pro praeterito tempore, quod non solvit pater suus. De quibus dominus Ioannes de Boccamaciis, olim episcopus Tusculanus, habere debuit partem suam. Quam quidem partem reliquit nepotibus suis, conventui Minervae et monasterio S. Sixti de Urbe aequaliter. Continentur et<iam> inferius ea quae soluta sunt de dicta quantitate usque ad annum Domini 1314.

14. *De donationibus et legatis XXII*

Sergius papa donavit casale quod dicitur de Casaferrata cum duobus pantanis monialibus monasterii S. Mariae in Tempulo, occasione miraculi quod apparuit de icona B. Mariae quam dictus papa ad instantiam canonicorum de Laterano portari fecerat de dicto monasterio ad Sancta Sanctorum, quam angeli eadem nocte cum magno lumine, videntibus monialibus quae propter hanc causam in oratione in ecclesia pernoctabant, reportaverunt et in loco pristino locaverunt.

Venerabilis pater dominus Ioannes de Boccamatiis, episcopus Tusculanus, donavit monasterio casale S. Clementis cum toto suo tenimento.

Item donavit idem dominus mille florenos in pecunia, de quarum parte facta fuit additio in dormitorio quod postea fuit combustum.

Has autem donationes fecit dictus dominus pro eo quod conventus promisit ei semper tenere sexdecim moniales praeter numerum consuetum, ita quod quando una moreretur, alia reciperetur loco ipsius. Non tamen imposuit quod gratis reciperentur.

Sciendum est quod conventus non cogitur tenere numerum consuetum, sed potest dictus numerus minui, sicut conventui placuerit.

« CHRONIQUE »
DE SAINTE-AGNÈS DE BOLOGNE
(p. 556-569)

La principale édition du texte, souvent reprise, est celle de Giovambattista MELLONI, *Atti, o memorie degli uomini illustri in santità nati, o morti in Bologna*, vol. I, Bologna : Per Lelio dalla Volpe Impressore dell'Instituto delle Scienze, 1773, 363-367.

Nous utilisons l'édition provisoire qui nous a été généreusement communiquée par le P. Simon Tugwell.

1. Anno igitur domini MCCXVIII percurrente missi sunt a Roma Bononiam per sanctum Dominicum fratres predicatores. Qui uenientes a fratre Rodulfo ecclesiam beati Nicolai petiuerunt. Erat namque predictus frater sacerdos illius ecclesie. Que ecclesia sita erat in loco qui dicebatur ad uineas. Locus uero ille erat domini Andalotis, patris uidelicet illustrissime femine domine Dyane. Predictus uero dominus Andalo nolebat locum prememoratum fratribus dare, sed ad petitionem domine Dyane fundatricis postea domus sancte Agnetis assensum dedit eisque locum predictum concessit. Qui fratres edificauerunt ibidem domum et claustrum. Et per gratiam Christi ceperunt multiplicari.

2. Interea magistro Raynaldo ueniente Bononiam et predicante uerbum dei cum magno feruore predicta domina Dyana, filia prememorati domini Andalotis, diuino spiritu attracta cepit pompas et uanitates seculi contemnere ac cum fratribus predicatoribus familiaritatem et colloquium habere frequentius.

3. Propterea, cum beatus Dominicus aduenisset Bononiam, ipsum tota animi affectione diligere cepit ac cum ipso de anime sue salute tractare. Tandem non multo post in manibus ipsius se misit ac professionem fecit presente magistro Reginaldo et aliis fratribus, uidelicet fratre Guala Brixiensi et prememorato fratre Rodulfo, ac dominabus que adhuc supersunt coram altare beati Nicolai. Ceperunt preterea multe nobiles domine et illustres matrone de ciuitate Bononie ipsius exemplo cum fratribus predicatoribus familiaritatem et colloquium habere de salute anime. Exinde expergefacta est deuotio multorum militum nobilium et consanguineorum dominarum, qui ceperunt fratres adiuuare et uenerari.

4. Interim prememorata domina Dyana, uoti sui non immemor, cum beato Dominico cepit tractare qualiter uotum suum posset ducere ad effectum. Quadam igitur die beatus Dominicus coadunans fratres suos ac requirens beneplacitum ipsorum, uidelicet de edificanda domo dominarum que ordinis diceretur et esset, cum fratres respondissent prout sibi uidebatur, ipse beatus dixit fratribus, Ego hodie nolo respondere uobis, uolo enim consulere dominum, et cras respondebo vobis. Et more solito ad orationis studium se conuertit. Alia uero die post orationem residens inter fratres in capitulo dixit, Oportet fratres omnino ut domus dominarum edificetur, etiam si domus hec nostra oporteret intermitti.

5. Interea beatus Dominicus recessurus a Bononia commisit hoc negotium quatuor fratribus, uidelicet magistro Paulo de Ungaria, fratri Guala, qui postmodum episcopus Brixiensis fuit, fratri Venture Veronensi, qui postmodum prior prouincialis extitit, ac fratri Rodulfo Fauensi supramemorato. Hi ergo quatuor uiuente beato Dominico inuenerunt quendam locum ubi deberet edificari domus dominarum ; sed episcopus Bononiensis noluit ut in predicto loco fabricaretur ecclesia, eo quod nimis prope ciuitatem esset locus.

6. Interea domina Dyana residebat in domo patris sui, corpore uidelicet non mente. Subtus uero a carne cilicio induebatur et una cathena ferrea cingebatur. Desuper uero purpura et serico atque lapidibus pretiosis tegebatur, auro quoque et argento. Preterea in cubiculo suo demorabatur a mane usque ad tertiam stans in oratione et silentio.

7. Cum autem propter timorem parentum non posset implere quod optabat et beato Dominico promiserat, uidelicet edificare domum dominarum que ordinis diceretur et esset, quadam die, in festo uidelicet beate Marie Magdalene, dixit se uelle inuisere monasterium quod dicitur Ronzanum. Perrexit igitur ad domum cum magna pompa et ingenti gloria, constipata multitudine dominarum. Cum autem peruenisset ad locum, intrauit intus in dormitorium sororum sola petiitque repente habitum et accepit.

8. Cum hoc multitudo dominarum que cum ea uenerant cognouisset, miserunt cito nuntium ad ciuitatem. Fit repente concursus ingens populorum, uirorum ac mulierum parentumque et amicorum. Qui uenientes ad monasterium extraxerunt eam cum magna ui, in tantum quod costam illius fregerunt. Et habuit signum fractionis usque ad diem mortis sue. Occasione etiam illius iniurie, quam ei tunc fecerunt, iacuit infirma fere per annum in domo patris sui.

9. Erat tunc temporis Bononie beatissimus pater Dominicus. Qui audito ingressu eius gauisus est nimium ; sed postea quam audiuit iniurias quas perpessa est condoluit ualde, dirigebatque ad eam litteras occulte tempore quo iacebat infirma in domo patris sui. Nam parentes illius non sinebant eam loqui cum aliqua persona, nisi presens esset aliquis ex consanguineis suis.

10. Inter hec beatus Dominicus ad eterna gaudia feliciter migrauit, et soror Dyana ita in domo patris sui permansit afflicta nimis de morte tanti patris. Sed omnipotens deus, qui eam ante mundi constitutionem elegerat, non dereliquit eam, sed misertus eius remouit ab ea paulisper impedimenta, cepitque conualescere de infirmitate sua graui.

11. Cum autem paululum conualuisset, nocte in festo omnium sanctorum fugam iniit, exiens de domo patris sui, ac monasterium prememoratum adiit. Desperati itaque parentes ipsius de illa dimiserunt eam. Permansit itaque in illo monasterio a festo omnium sanctorum usque ad ebdomadam infra octauam ascensionis. In cuius medio felicis recordationis magister Iordanis, qui tunc temporis erat prouincialis Lombardie, una cum fratribus supramemoratis quibus hoc negotium beatus Dominicus commiserat, fideliter adiuuabant eam, dantes operam ut opus diu optatum posset perficere. Et quia, sicut superius dictum est, episcopus noluit ut fabricaretur ecclesia in supramemorato loco, eo quod nimis prope ciuitatem esset locus, predicti fratres una cum consanguineis domine quesierunt alium locum, uidelicet uallem sancti Petri ; sic enim appellabatur locus ille, sed postea dictus est mons sancte Agnetis. Habita itaque licentia episcopali fecerunt edificare ibidem domunculam paruam.

12. Edificata domuncula iuerunt pro illa prememoratus pater magister Iordanis cum aliis fratribus eiusdem ordinis, fratre Guala uidelicet, fratre Ventura Veronensi, fratre Rodulfo Fauentino, fratre Bernardo teotonico et aliis fratribus, introduxeruntque illam in domunculam cum aliis dominabus quatuor de Bononia anno domini millesimo CC° XXIII° infra octauam dominice ascensionis. In festo autem apostolorum Petri et Pauli susceperunt a predicto patre magistro Iordane habitum ordinis. Igitur ad predicationem fratris Bernardi teotonici et amonitionem paulo post due nobiles domine de Ferraria eorum collegio sociate sunt.

13. Sed et magister Iordanis bone memorie accersiri uolens quatuor sorores de sancto Sisto per licentiam summi pontificis, ut eas docerent ordinem et modum religionis, destinauit ad curiam duos ex quatuor illis fratribus, quibus beatus Dominicus negotium commiserat, uidelicet

fratrem Gualam Brixiensem et fratrem Rodulfum Fauentinum. Hi ergo duo summum pontificem adeuntes et causam itineris ei exponentes eum nullis precibus inflectere ad exauditionis gratiam ualuerunt. Tandem uero ad preces domini Ugolini Ostiensis episcopi inclinatus assensit. Hic namque dominus Ugolinus Ostiensis episcopus, existens in Lombardia legatus, audita fama domine Dyane supradicte, uisitare eam studuerat existentem adhuc in domo patris. Summus igitur pontifex Honorius ad monasterium dominarum sancti Sixti accedens, presente supradicto domino Ugolino et fratre Clario prouinciali Tuscie ac priori sororum sancti Sixti et conuentuali fratrum, inter cetera que sororibus locutus est hoc intulit, ualde sibi durum uideri aliquas e monasterio extrahere ; uerumtamen attendens ualde incongruum et indecens talium personarum preces ad exauditionis gratiam non admittere, asseruit se uelle quatuor ex ipsis ad monasterium sancte Agnetis destinare. Quapropter eis in uirtute spiritus sancti et obedientie iniunxit ut oculos diuine maiestatis attendentes quatuor ex se eligerent magis ydoneas ad opus perficiendum. Sicque quatuor sorores que professe erant in manibus beati Dominici et ab eo habitum susceperant ad monasterium sancte Agnetis deuenerunt, fueruntque in earum collegio usque ad diem mortis sue, magno sanctitatis uigore pollentes. Quarum sororum una extitit soror Cecilia, que adhuc superest, que etiam interfuit quando beatus Dominicus consanguineum domini Stephani cardinalis defunctum apud sanctum Sixtum resuscitauit.

14. Preterea fratres predicantes per Lombardiam et marchiam conuertebant dominas ac earum collegio sociare curabant, ita quod in breui tempore de nobilioribus Lombardie et marchie earum collegio sociate sunt.

15. Magistro autem Iordane in officio magistrali existente prememoratus frater Guala ex uoluntate magistri summum pontificem Honorium adiit, litterasque preceptorias impetrauit, ut magister ordinis domus sancte Agnetis teneretur curam gerere sicut alicuius domus fratrum ordinis. Sicque felicis memorie magister Iordanis litteris sibi presentatis in generali capitulo quod tunc celebratum fuit Bononie ex uoluntate omnium diffinitorum recepit eandem domum. Demum idem magister recepit in manibus suis sororem Dyanam una cum toto conuentu ad professionem. Sed et priores prouinciales pro tempore existentes ipsas sequentes sorores in nomine magistri ordinis ad professionem acceperunt.

16. Quantum uero uenerabilis pater magister Iordanis hoc collegium dilexerit quantumue eis in omni necessitate et angustia propitius fuerit testantur epistole ab ipso transmisse sorori Dyane et ceteris eiusdem loci sororibus. Concessit preterea uenerabilis pater ac deputauit eisdem fratres qui missarum solennia quotidie in earumdem domo celebrarent, utpote domus ordinis. Nam a principio deputauerat conuersos qui in eadem residerent domo ac procurarent temporalia ipsarum, sed tempore procedente sororibus uisum est melius ut in domo earum residere minime tenerentur conuersi uel clerici, et idcirco felix pater ordinauit hoc quod superius dictum est, uidelicet ut quotidie ipsis celebrarent diuina, licet in domo earum residere non tenerentur.

17. Tempore autem procedente ceperunt quidam fratres questionem facere de predicta domo ac predictis sororibus molestiam inferre. Unde predictus pater instanter capitulo generali apud Parisium una cum diffinitoribus habuit consilium cum magistris Parisiensibus. Qui simul tale dederunt responsum, uidelicet quod eandem domum non poterant a sua cura sequestrare absque mortali peccato. Extunc ipse beatus pater ualde duriter reprehendebat illos qui aliquam querimoniam siue questionem mouebant de predicta domo, et exortabatur eos ac monebat ualde presens et absens ut illam domum diligerent ac consolarentur, utpote domum ordinis.

18. Viam denique uniuerse carnis domino Honorio ingresso et domino Gregorio in pontificali gloria sublimato, supradicta soror Dyana fundatrix domus sancte Agnetis operam dedit impetrari sibi adhuc litteras preceptorias a summo pontifice, ut magister ordinis domus sancte

Agnetis tene<re>tur <curam gerere>, sicut alicuius domus fratrum ordinis. Dominus autem uoto eius annuit. Nam quod optauit a summo pontifice obtinuit. Sicque domus ab his duobus pontificibus magistro ordinis est commissa ante mortem ipsius.

19. Annis igitur tresdecim in ordine transcursis, deo digna ac uenerabilis femina soror Dyana migrauit feliciter ad dominum. Ad cuius exequias totus conuentus fratrum predicatorum Bononiensium una cum priore aduenit ipsiusque uenerandum corpus digno cum honore iuxta altare beate Agnetis in capsa lignea reconditum tumulauit. Quantus autem luctus hominum, quanta precipue lamenta sororum et fratrum in eius morte fuerit silentio supprimimus, ne nimis in longum pergat oratio.

20. Fuit autem hec felix femina prudentissima ualde et eloquentissima, decora facie et uenusto aspectu, omnium oculis gratiosa et amabilis uidebatur, honestate predita, diuinis obsequiis dedita, orationibus intenta, deuotioni ita mancipata quod uberes ad lacrimas sorores suas sepius prouocabat, amatrix fratrum et ordinis precipua, humilitate cordis yma, uiliori habitu tegebatur pre aliis. Rigorem religionis in se et in aliis mirabiliter zelabat. Istis et his similibus donis adornata fuit hec deo digna soror monasteriumque quod extruxit uerbis pariter et exemplis mirifice decorauit.

21. Post mortem autem eius felicis recordationis magister Iordanis uiam uniuerse carnis ingreditur eodem anno, et magister Raymundus ordinis magister institutus est. Qui magister Bononiam ueniens sororesque uisitans oblatis sibi priuilegiis diligenter inspectis auditoque a sociis fratribus qui erant cum eo, fratre uidelicet Ventura et fratre Rodulfo, necnon et priore conuentus fratrum Bononiensium, qualiter predecessor eius domum recepisset, residens in capitulo coram omnibus sororibus et fratribus prememoratis dixit, Ex quo uos predecessor meus recepit, et ego uos recipio. Sicque antequam a Bononia recederet omnes ad professionem recepit, ac domum per se ipsum uisitauit.

22. His temporibus fratre Ottone teotonico in prouinciali officio Lombardie instituto, uolens scire an ex debito domui sancte Agnetis teneretur, quosdam de antiquioribus fratribus requisiuit. Qui omnes et singuli asseruerunt se illi capitulo interfuisse, quando bone memorie magister Iordanis, ex uoluntate omnium, sororum domum recepit. Sicque ille memorie aliorum uolens commendare ex hoc quoddam confecit priuilegium, in quo tria appendit sigilla, suum uidelicet et prememorati fratris Venture quondam prouincialis Lombardie, et fratris Bonacursi tunc priori Parmensi.

23. Elapsis ergo annis circiter XVII post mortem felicis recordationis sororis Dyane, de uoluntate et consensu bone memorie magistri Iohannis, quarti uidelicet magistri ordinis fratrum predicatorum, et fratris Philippi Vercellensis quondam prouincialis fratrum predicatorum Lombardie, et fratrum aliorum discretorum, eedem sorores propter penuriam aquarum et alias incomoditates descenderunt de monte ubi primitus ecclesia earundem sita erat, una cum honesta fratrum predicatorum societate, ac infra circulam ciuitatis Bononie monasterium construxerunt.

24. Interea presidente in pontificali cathedra domino Innocentio quarto sorores domino dante obtinuerunt ab apostolica sede litteras preceptorias, in quibus incorporata ordini domus committitur magistro ordinis et prouinciali Lombardie. Circa uero finem uite felicis recordationis magistri Iohannis, quarti uidelicet magistri ordinis, quidam fratres murmurare ceperunt super eo et conqueri quod dominus Innocentius papa pluribus monasteriis dominarum nouiter constructis priuilegia concessit, ut sub ordinis correctione haberentur. Quapropter quidam summum pontificem adierunt super hac re querimoniam facturi. Tandem autem ab eo litteras obtinuerunt, ut prouincialis et fratres minime tenerentur supradictis domibus. At fratres non bene auertentes monasterium sancte Agnetis cum supradictis monasteriis nuper constructis equiparauerunt,

subtrahentes omnia diuina que bone memorie magister Iordanis et eius successores concesserant. Tandem uero sorores ad sedem apostolicam recurrentes super his omnibus querimoniam fecerunt.

25. Interim autem exigente causa prouincialis Lombardie, uidelicet frater Gualfredus Pergamensis, summum pontificem adiit. At summus pontifex intellecta prius sororum querimonia durissime quidem eum reprehendit, asserens sue intentionis et uoluntatis non esse, littere ab eo ut percepte super domibus sororum nuper constructis monasterium sancte Agnetis uelle includere. Unde prememoratus prouincialis Bononiam rediens et in capitulo sororum residens, presente reuerendo magistro Iohanne Vercellensi tunc fratrum predicatorum Bononiensium conuentuali et fratre Leonardo Cremonensi, inter cetera que proposuit hec que supra retulimus a domino apostolico sibi dicta asseruit. Sicque antequam a Bononia recederet, domum uisitauit sicut ante facere consueuerant magistri et prouinciales pro tempore existentes. Non tamen restituit missarum celebrationem, quam bone memorie magister Iordanis et eius successores concesserunt.

INSTITUTIONS DE SAINT-SIXTE DE ROME
(p. 575-589)

Nous utilisons l'édition provisoire qui nous a été généreusement communiquée par le P. Simon Tugwell, établie à partir d'un manuscrit conservé aux Archives Vaticanes : ASV, Reg. lat. 45 ff. 123v-125r.

Sicut in primordio nascentis ecclesie multitudinis credentium erat cor unum et anima una erantque illis omnia comunia, sic uos unius moris et uite in domo domini esse decet. Ideoque conuenit ut uos que sub eadem regula et unius professionis uoto uiuitis inueniamini semper in norma uiuendi et canonice religionis obseruantiis uniformes. Que sunt tales :

(1) Quelibet cum recipitur in sororem promittat obedientiam, loci stabilitatem et ordinis, uiuere sine proprio ac etiam continenter, domum illam in qua professionem fecerit nullatenus egressura nisi ad conuentum alium eiusdem ordinis ex causa necessaria transferatur. Norma uero uiuendi talis est :

(2a) A festo resurrectionis dominice usque ad festum sancte crucis in septembri reficiantur bis in die sorores, exceptis sextis feriis, diebus rogationum et uigilia pentecostes et ieiuniis quatuor temporum, uigiliis sanctorum Iohannis baptiste, Petri et Pauli, Iacobi, Laurentii, assumptionis beate Marie ac sancti Bartholomei.

(2b) A festo autem sancte crucis in septembri usque ad pascha semel reficiantur in die, dominicis diebus exceptis, nisi debiles et infirme uel cum aliqua ex causa fuerit aliter dispensatum.

(3c) Singulis diebus, si fieri potest, habeant duo cocta pulmenta. Poterit autem aliquando priorissa superaddere prout opus esse iudicauerit et facultas permiserit domus sue.

(3d) In toto autem aduentu, quadragesima et ieiuniis quatuor temporum, uigiliis ascensionis et pentecostes, apostolorum et aliorum sanctorum in quorum uigiliis ieiunia sunt indicta, et omnibus sextis feriis, quadragesimali cibo utantur sorores, nec tunc que seruiunt mixtum sumant.

(3e) In refectorio semper ad mensam legatur et sorores deuote cum silentio audiant lectionem.

(4a) Sane circa infirmas caueat illa que preest ne sit negligens uel austera. Sic enim sunt procurande infirme ut citius releuentur.

(4b) Infirmis autem debilibus et senibus tantum in infirmatorio indulgeatur cibus carnium prout regula beati Benedicti permittit.

(4c) Si qua uero talem infirmitatem habuerit que modicum ipsam debilitet ac comedendi appetitum non turbet, super culcitram propter hoc non iaceat, nec consuetudinaria frangat ieiunia, nec refectorii cibos mutet. Legat et operetur secundum quod ei a sua iniunctum fuerit priorissa.

(5) Post uesperas omnes simul ad collationem ueniant ubi legatur lectio prout in cisterciensi ordine fieri consueuit.

(6a) Puellas citra undecimum annum recipere non solemus. Si que tamen propter uitandum graue scandalum uel spirituale commodum infra hos annos recepte fuerint, nutriantur seorsum et diligenter bonis moribus usque ad annum quartumdecimum informentur.

(6b) Porro infirme ualitudinarie uel puelle non debent abstinentia uel ieiuniis aggrauari.

(7a) Sorores autem silentium teneant in locis omnibus preterquam in locutorio et capitulo in hora capituli, nec etiam in locutorio loquantur absque licentia speciali.

(7b) In operatorio uero loqui silenter poterunt de hiis que spectant ad opera et ad fenestram de licentia priorisse.

(7c) Sane priorissa pro necessitate uel utilitate licentiam dare poterit aliquando in aliis locis loquendi, et ipsa etiam loqui poterit cum uiderit expedire.

(8a) Vestes autem sint albe quibus utemini, et non sint nimis subtiles uel etiam delicate, ne sit notabilis uester habitus, que non debetis uestibus placere sed moribus et nitore mentium, cum esse debeat omnis gloria filie regum ab intus.

(8b) Sufficiat autem moniali habere duas tunicas et duas camiseas grossas usque ad genu, cum pellicio competenti. Tunica non descendat ultra calcaneum ne per humum defluat indecenter. Duos habere mantellos soror poterit, si domus eius hoc ualuerit tollerare, alterum tamen cum pellibus, et scapulare ac caltiamenta necessaria, et etiam duo uela.

(9) Super stramina et laneis soror iacebit, in una ueste lanea, et camisea si uoluerit, semper cincta

(10) Tonsure monialium et fratrum etiam conuersorum octo uicibus in anno fiant, scilicet in pascha, pentecostes, festiuitatibus beatorum apostolorum Petri et Pauli, sancte Marie Magdalene, in natiuitate beate uirginis, festiuitate omnium sanctorum, in natiuitate domini et in purificatione uirginis gloriose.

(11) Culpe leuiores sunt iste:

(11a) Si qua sororem suam scandalizauerit, tam diu ante pedes eius prostrata iaceat quousque placata ipsam erigat, nisi forsan ita commota fuerit quod diu rogata placari non possit, que tamen postmodum propter duritiam cordis sui penam debitam non euadat.

(11b) Si qua non habens aliquod certum officium cui deseruire cogatur, si mox ut signum datur se relictis omnibus neglexerit preparare ut dicat secundum regulam ordinate ac composite horas suas uel decenter impleat designatum sibi legendi officium aut cantandi;

(11c)si responsorium uel antiphonam inceptura chorum turbauerit legendo incomposite uel cantando, et offendens non statim se coram omnibus humiliauerit;

(11d) si ad operam hora qua tenetur negligenter ire distulerit;

(11e) si ibi aliquid tumultus uel inquietudinis improuida fecerit;

(11f) si ad mensam cum ceteris hora statuta non uenerit;

(11g) si ad omnem tonsuram presens non fuerit;

(11h) si aliquam in dormitorio inquietudinem fecerit;

(11i) si potum effuderit ;

(11j) si dixerit uel fecerit aliquid unde scandalizentur sorores;

(11k) si forsan in aliquo gestu reprehensibilis fuerit uel in aliquo forsan notabilis apparuerit;

(11l) si potum uel cibum absque benedictione sumpserit ;

(11m) si operantes inquietauerit uel ipsa desidiose opus suum fecerit;

(11n) si, cum habuerit loquendi licentiam, dissolute ridens cachinnis uel ludicris dictis uel factis alias ad ridendum studiose concitare intenderit;

(11o) si ad Gloriam primi psalmi non affuerit et statim ad gradus altaris non satisfecerit.

(11p) Pro singulis harum culparum iniungatur pro pena petenti ueniam unus psalmus.

(12) Media uero culpa est talis:

(12a) Si qua in choro aperte riserit uel alias ridere fecerit;

(12b) si ad capitulum uel ad officium non uenerit;

(12c) si cum iuramento, ut in loquendo solet fieri, aliquid negauerit uel affirmauerit;

(12d) si turpem sermonem dixerit cum loqui licuerit;

(12e) si statutum silentium fregerit;

(12f) si qua earum que sunt officiis deputate in aliquo circa officium negligens reperta fuerit et bis monita se non emendauerit;

(12g) si indumenta uel alia sorori data uel concessa sine ipsius sororis uel priorisse licentia receperit.

(12h) Clamata in capitulo pro aliqua predictarum culparum petat ueniam et unam recipiat disciplinam modestam cum tot psalmis quot ei placuerit que capitulum tunc tenebit.

(13) Grauis culpa est talis:

(13a) Si qua per contumaciam uel manifestam rebellionem inobediens prelate sue fuerit, uel cum prelato suo priorissa uel subpriorissa lites habuerit;

(13b) si cum sorore inhoneste contenderit;

(13c) si cum aliqua persona extranea sine licentia uel contra statuta ordinis locuta fuerit;

(13d) si procedens ante homines oculos studiose in eos fixerit et hoc in usu habuerit;

(13e) si de industria mendacium dixisse fuerit deprehensa;

(13f) si rumpere silentium in consuetudinem duxerit;

(13g) si discordiam inter fratres uel sorores presumpserit seminare;

(13h) si forsan in illam a qua in capitulo aliquando est clamata uel in quamlibet aliam minas uel maledicta seu uerba irreligiosa malitiose protulisse fuerit deprehensa;

(13i) si alicui sorori preteritam culpam pro qua satisfecerat improperare ausa fuerit aut pandere secreta capituli;

(13j) si de fratribus, sororibus uel maioribus suis aliqua minus bona dixerit que testimonio sororum suarum probare nequiuerit;

(13k) si sola cum solo nisi cum confessore locuta fuerit.

(13l) Pro huiusmodi culpis et hiis similibus ueniam petenti sed non clamate discipline tres dentur in capitulo et trium dierum, interpolate tamen, panis et aque ieiunium imponatur;

(13m) clamate uero una disciplina et una dies ieiunii addi debet.

(13n) Si qua uero pro uictu uel uestitu uel pro qualibet re alia murmurare presumpserit et non potius elegerit prius suas necessitates uel defectus preposito exponere, pluries si opus fuerit, seu etiam priorisse, predictam penam sustineat et quadraginta dies ab illo genere cibi uel potus uel alterius rei pro qua murmurauerit abstinere cogatur.

(14) Grauior culpa talis est:

(14a) Si qua studiose percusserit aliquam uel crimen mortale commiserit, ut furtum, sacrilegium uel aliud huiusmodi, aut rem collatam sibi uel conuentui celauerit studiose, si publica fuerit culpa eius, clamata in capitulo sponte surgat humiliter petens ueniam et confitens culpam suam. Postmodum super nudo condignam factis recipiat disciplinam.

De permanendo in pena grauioris culpe debita precepta recipiat, uidelicet:

(14b)ut sit omnium nouissima in conuentu sororum ad tempus ut que fieri membrum diaboli culpam perpetrando non erubuit aliquandiu in conspectu sororum omnium confundatur et doleat dignos fructus penitentie faciendo;

(14c) in refectorio uero ad communem mensam cum ceteris non sedebit, sed in medio refectorio super nudam mensam uescetur, prouidebitur autem ei seorsum panis grossior et potus aque, nisi priorissa ei aliquid per misericordiam largiatur, nec reliquie sui prandii admisceantur cum aliis, ut cognoscat se ita separatam in terris a sororum consortio quod priuabitur perpetuo a sanctorum collegio nisi per dignam penitentiam denuo facta fuerit membrum Christi;

(14d) ad canonicas tamen horas ueniat, ante hostium ecclesie maneat, transeuntibus sororibus prostrata iaceat quousque intrauerint uniuerse.

(14e) Nulla se coniungere illi audeat uel aliquid sibi mandare.

(14f) Ipsa tamen priorissa, ne in desperationem labi ualeat, mittat ad eam seniores ac prudentiores sorores que moneant eam ad penitentiam et prouocent ad lamentum, per

compassionem eam foueant et ad satisfactionem hortentur, per suam intercessionem adiuuent, quam pro ipsa iugiter effundere non obmittant.

(14g) Porro si uiderint in ea signa humilitatis et penitentie, suffragetur ei totus conuentus, nec renuat priorissa cum illa facere misericordiam cum uiderit expedire.

(14h) Cum autem reconcilianda fuerit, omnium pedibus aduoluatur misericordiam petitura, primitus priorisse, deinde utriusque lateris sedentium hinc inde sororum.

(14i) Talis uero quandiu in hac pena fuerit non comunicet, nisi forsan in mortis articulo, nec ad pacis osculum ueniat, cum sequestrata sit a conuentu sororum.

(14j) Sane si fuerit priorissa uel officialis aliqua, perpetuo ammittat officium, nec deinceps ad aliquod assumatur nisi per generale capitulum cum ea forsitan fuerit dispensatum.

(14k) Si uero huiusmodi peccatum occultum fuerit, secreta penitentia et discreta secundum tempus et personam satisfacere deo studeat prout ei fuerit imperatum.

(14l) Si que per conspirationem uel coniurationem contra prelatos suos uel prelatas se presumpserint erigere manifeste.

(14m) si qua forsan de fratribus uel sororibus uel suis maioribus coram extraneis maledixerit studiose, uel super aliqua re unde scandalum possit oriri non secundum statuta ordinis parentibus suis uel aliis malitiose conquesta fuerit,

(14n) supradicto modo peniteat, et decetero in omni uita sua extremum locum sui ordinis teneat, nec ei amministratio aliqua iniungatur, nisi a preposito per generale capitulum cum ea fuerit forsitan dispensatum.

(14o) Si qua tamen aduersus prelatum suum uel prelatam, non malitiose quidem sed in ueritate, aliquid habuerit quod tolerari non debeat uel deceat, prius personam huiusmodi cum omni humilitate ac caritate de sua correctione studeat ammonere;

(14p) quod si frequenter ammonita se corrigere neglexerit uel contempserit, ad eam monendam et corrigendam priorem domus aduocet, uel circatoribus cum ad eandem ecclesiam uisitandum uenerint hoc manifestare procuret, uel significare studeat maiori preposito aut capitulo generali.

(15a) Grauissima culpa est *incorrigibilitas que nec culpas timet admittere ac penam refugit sustinere. Talis quidem persona incarceretur et affligatur et ponatur in pena grauioribus culpis debita usque ad satisfactionem condignam.

(15b) Super penis tamen alleuiandis uel etiam aggrauandis prepositus liberam habeat potestatem.

(15c) Moniales si semel egrediuntur animi leuitate nunquam postea nisi de speciali misericordia prepositi ordinis admittantur.

(16a) Tres autem de maturioribus et religiosioribus sororibus fenestre parlatorii preponantur, quibus audientibus, uel ad minus duabus ex ipsis, loquatur illa cui de prioris uel priorisse licentia loqui aliquando indultum fuerit cum uisum fuerit expedire, teste nichilominus semper fenestrario et presente, qui attente super uerbis et nutibus loquentium inuigilare studeat, et si quid minus honestum seu discretum audierit aut religioni contrarium statim silentium imponat loquentibus, et quantotius priorisse aut priori significare procuret.

(16b) Delinquenti autem congrua penitentia imponatur et eadem allocutione iuxta quantitatem delicti, secundum quod priorisse uisum fuerit, suspendatur.

(16c) Priorissa tamen et tres cellararie cum priore ac cellarariis exterioribus de necessitatibus et utilitatibus sue domus supradictis testibus presentibus loqui poterunt ad fenestram.

(17a) Nullus fratrum intret clausuram monialium nisi cum cardinali, episcopo uel legato sedis apostolice, seu in casibus in regula ista concessis, et tunc intus cum aliqua non loquatur nisi hoc fecerit de licentia maioris prepositi uel prouintialis prioris.

(17b) Prouincialis autem prior tantum semel in anno tempore uisitationis intrare poterit nisi pro aliqua necessitate aliter prouideatur a preposito generali.

(17c) Si aliqua tamen ad fenestram confiteri, comunicare uel unctionem recipere infirmitate grauata nequiuerit, sacerdos et maturi ministri sacris induti uestibus intrare poterunt ad illud officium peragendum, nichil aliud locuturi.

(17d) Quicunque uero aliqua necessitate intrauerit non minus quam duos boni testimonii secum habeat, quos sequantur tres religiosiores moniales eos semper coram uidentes donec monialium egrediuntur clausuram.

(17e) Cum fenestrario uero de licentia priorisse loqui poterunt de domus necessitatibus moniales.

(17f) Porro fenestrarie non consueuerunt petere licentiam loquendi cum fenestrario cum opus fuerit, sine priorisse tamen licentia cum extraneis non loquantur.

(17g) Periculum latronum et ignis intrantes et loquentes a culpa et pena prorsus absoluere consueuit.

(17h) Orti autem procuratrices pauca uerba, si necessitas exigit, cum illo qui ortum excolit loqui poterunt, si talis fuerit ortulanus de quo uel leuis mala suspitio minime possit oriri.

(17i) Si qua uero aliter quam dictum est locuta fuerit cum aliquo nisi cardinali, episcopo uel legato, uel forsan cuiquam alii querenti de licentia respondendo, in pena graui culpe debita permaneat donec a preposito fuerit absoluta.

(18a) Prior et exteriores cellararii exteriores possessiones absque licentia prepositi, aurum uero uel argentum, uestes aut aliquid huiusmodi dare uel uendere non audebunt nisi de priorisse ac cellarariarum consilio et assensu.

(18b) Similiter etiam interiores possessiones infra sue domus ambitum constitute sine consensu capituli uel prepositi generalis commutari uel minorari non possunt.

(18c) Sane tam interiores quam exteriores officiales rationem faciant receptorum et expensarum coram suo priore aut preposito generali bis in anno uel amplius si forsitan requiratur.

(18d) Porro coram priorissa et maturioribus monialibus ad minus tribus computationes totiens faciant quotiens uisum fuerit expedire.

(19a) Si alique sorores cum litteris testimonialibus prepositi maioris uel prioris prouintialis ad aliquem conuentum eiusdem ordinis uenerint, benigne recipiantur et eis locus in refectorio et dormitorio ut ceteris sororibus assignetur.

(19b) Nullus autem clericus uel laicus frater uel soror audeat recipere uel expellere fratrem uel sororem sine mandato prepositi generalis uel illius cui commiserit uices suas. Ipse uero prepositus potestatem habeat ammouendi clericos et laicos seculares ac procuratores sororum quando uiderit expedire.

(20a) Ceterum quia otiositas inimica est anime necnon mater et nutrix est uitiorum, nulla in claustro maneat otiosa, sed semper si poterit aliquid operis faciat, quia non defacili a temptatione capitur qui exercitio bono uacat.

(20b) A domino enim dictum est homini quod in labore uultus sui uesci debeat pane suo, et apostolus dicit, Qui operari noluerit non manducet, et propheta, Labores manuum tuarum manducabis, beatus es et bene tibi erit.

(20c) Ideo, exceptis illis horis quibus orationi, lectioni uel *prouisioni diuini officii seu cantus aut eruditioni litterarum debent intendere, operibus manuum omnes attente insistant prout uisum fuerit priorisse.

(21d) Ebdomadarie prouideant que legenda fuerint uel cantanda.

(21e) Diebus uero festiuis omnes uacent lectioni, diuinis officiis et orationi, mechanicis operibus pretermissis.

(21f) Post completorium et nocturnos horam unam habebunt sorores qua orationi, contemplationi ac deuotioni *possunt uacare, sic tamen ne aliqua tardius intrans dormitorium ceteras inquietet.

(21g) Diebus autem profestis horis canonicis nichilominus omnes deuote maneant et intente. Primam uero, tertiam, sextam et nonam profestis diebus in operatorio dicere poterunt cum uisum fuerit expedire.

(22a) Sane caueant omnes et singule diligenter ne presumant ullo modo rancore uel odio persequi seu calumpniis uel querelis aut accusationibus iniustis aliquatenus perturbare monialem fidelem que reprehenderit uel restiterit hiis que operantur religioni contraria et institutionibus ordinis, uel quia priorisse, priori uel preposito transgressiones indicauerit ut regulariter corrigantur.

(22b) Quod si que facere forte presumpserint sub graui pena in ultimo gradu ad tempus peniteant, ut cetere sibi caueant et similia facere non presumant.

(23a) In singulis huius ordinis domibus ordinentur si haberi poterunt quatuor uiri religiosi deum timentes qui exteriora procurent,

(23b) eodem modo quatuor moniales interiorum procuratrices que ad prioris et priorisse consilium omnia procurabunt.

(23c) Ipsi autem aurum, argentum, pannos, frumentum uel aliquid huiusmodi sine prioris uel priorisse licentia dare nequaquam presumant.

(24a) Priorissa eligatur ab aliquibus senioribus et prudentioribus de conuentu sororum ad hoc a conuentu electis, et confirmetur per prepositum generalem, per quem etiam poterit ammoueri cum uisum fuerit expedire.

(24b) Officiales autem cetere per priorissam de seniorum sororum et prudentiorum consilio debent institui et mutari, saluo in omnibus generalis prepositi prouidentia et mandato.

(24c) Similiter prior a suis fratribus eligatur, confirmetur autem uel, si opus fuerit, designetur et ordinetur a preposito generali.

(25a) Fratres regulam beati Augustini obseruent.

(25b) In qualibet autem domo, si fieri poterit, sint sex fratres ad minus religiosi quidem et regulam beati Augustini professi, ex quibus tres ad minus sacerdotes existant.

JOURDAIN DE SAXE
PETIT LIVRE SUR LE COMMENCEMENT DE L'ORDRE
(p. 605-672)

Libellus de principiis Ordinis Prædicatorum, éd. Heribert Christian Scheeben, *Monumenta Ordinis Prædicatorum* 16, Rome : Apud Institutum Historicum, 1935, p. 1-88.

Nous utilisons l'édition provisoire que nous a généreusent communiquée le P. Simon Tugwell, qui adopte une nouvelle numérotation des paragraphes. Les numéros de paragraphe de l'édition Scheeben sont néanmoins maintenus entre parenthèses.

Prologus

1. Filiis gratie et coheredibus glorie fratribus uniuersis frater Iordanis eorumdem seruus inutilis salutem et in sancta subsequi professione letitiam.

(2) Flagitantibus plerisque fratrum et scire cupientibus qualiter hic ordo predicatorum, per quem horum temporum nouissimorum periculis dispensatio diuina prouidit, sumpserit institutionis exordium, quales etiam extiterint qualiterue numero multiplicati fuerint et confortati per gratiam primitiui ordinis nostri fratres, iam dudum inuestigatum est et compertum ab eisdem fratribus qui nouellis interfuere primordiis quique uiderunt et audierunt uenerabilem seruum Christi magistrum Dominicum, primum religionis huius institutorem, magistrum et fratrem, qui in hac carne uiuens inter peccatores cum deo et angelis pia mente conuersabatur, preceptorum custos, consiliorum emulus et ex omni quod sciuit et potuit eterno suo creatori deseruiens, et lucens in huius mundi tetra caligine per uitam innocuam et conuersationis sanctissime celibatum.

(3) Igitur uisum est michi omnia hec per ordinem assecuto qui, licet omnino de primis non fuerim, cum primis tamen conuersatus sum et ipsum magistrum Dominicum non solum extra ordinem sed existens in ordine satis uidi familiariterque cognoui, qui ei confessus sum et ad ipsius uoluntatem suscepi dyaconatus officium, qui etiam quadriennio post primam ordinis institutionem habitum hunc assumpsi, uisum est inquam michi ea que uidi personaliter et audiu, ac primitiuorum fratrum relatione cognoui de principiis ordinis, de uita et miraculis beati uiri patris nostri Dominici, de aliis quoque quibusdam fratribus, prout se memorie mee talium ingessit occasio, sub scripto redigere, ne filii qui nascentur et exsurgent ordinis huius ignorent primordia et tunc frusta scire desiderent, cum inueniri non possit ex nimio processu temporis qui de eisdem principiis certum aliquid enarrare sufficiat. Igitur dilectissimi in Christo fratres et filii hec, que subsequentur, ad consolationem atque edificationem uestram qualitercumque collecta sunt, deuote suscipite et prime caritatis fratrum nostrorum emulatione feruete.

Narratio de Didaco episcopo Oxomensi

2 (4). In Yspaniarum partibus uir erat uite uenerabilis, Didacus nomine, ecclesie Oxomensis episcopus, quem sacrarum litterarum notitia et secundum seculum natales ingenui, magis autem morum insignis decorabat honestas. Huius amor sic deo totus inheserat ut, seipsum abiciens et sola que Ihesu Christi sunt querens, ad id summopere animum intentionemque conuerteret qualiter animarum multarum fenerator effectus talentum sibi creditum cum usura multiplici suo domino reportaret. Satagebat igitur, ubicumque perscrutari posset, uiros honestate uite moribusque laudabiles sibi modis quibus ualebat attrahere et in ecclesia cui preerat beneficiando locare. Illos uero subiectorum suorum, quibus desidiosa foret ad sanctitatem uoluntas prona magis ad seculum, ut laudabilium morum atque religiosioris uite formam

assumerent suadebat uerbis, inuitabat exemplis. Hinc accidit ut daret operam, suis id persuadens canonicis crebris admonitionibus et exhortatione peruigili, quatenus sub regula beati Augustini ad obseruantiam religionis canonice consentirent, tantaque hoc ipsum egit sollicitudine ut eorum animos, licet quosdam ex ipsis contradictores habuerit, ad suum desiderium inclinaret.

<...>

3 (5). Huius in temporibus fuit quidam adolescens nomine Dominicus eadem diocesi oriundus, uilla que dicitur Calaroga, quem ab annis puerilibus parentum suorum, specialiter autem cuiusdam archipresbiteri auunculi sui, diligentia nutriebat. Hunc primitus in usu ecclesiastico erudiri fecerunt, ut quem sibi deus uas electionis futurum preuiderat in ipsa adhuc puerili etate, uelut testa recens, imbiberet a quo nec postmodum immutaretur sanctitatis odore.

4 (6). Postmodum autem missus Palentiam ut ibi liberalibus informaretur scientiis, quarum studium ea tempestate uigebat ibidem, postquam eas ut sibi uidebatur satis edidicit, relictis hiis studiis, tamquam in quibus temporis huius angustias minus fructuose uereretur expendere, ad theologie studium conuolauit cepitque diuinis inhiare uehementer eloquiis, utpote dulcioribus super mel ori suo. (7) Itaque in hiis sacris studiis annos transegit quatuor, per quos hauriendis sacrarum scripturarum riuulis tam incessanter tamque auide inhiabat ut pre discendi infatigabilitate noctes pene insopmnes perageret et ueritatem que auribus ingerebatur profundo mentis repositam sinu tenaci memoria retineret. Ea nempe que facilitate capiebat ingenii piis irrigabat affectibus, et ex hiis salutis opera germinabat, beatus in hoc sane iuxta ueritatis sententiam dicentis in euangelio, Beati qui audiunt uerbum dei et custodiunt illud. Etenim cum gemina sit uerbi diuini custodia, una qua quod aure suscipimus memoria retinemus, altera uero qua et ipsum quod audierimus mancipamus effectui et exhibemus in opere, quod custodie genus commendabilius fore nemo quidem ambigat, quemadmodum granum frumenti melius conseruatur terre mandatum quam in archa repositum, in neutro felix hic dei famulus deficiebat, cuius memoria uelut quoddam dei promptuarium ex hoc in illud eructabat uberius forisque mores et opera quid sacro reconditum lateret in pectore manifestissime clamitabant. Ob hoc ergo quod mandata domini tam feruido complectebatur affectu, excipiens uocem sponsi tam pio bone uoluntatis applausu, gratiam ei deus scientiarum adauxit ut non solum ad lactis potum redderetur ydoneus, sed et questionum difficilium humili cordis intelligentia penetraret archanum et solidioris cibi scrutinium sufficienti admodum facilitate glutiret.

5 (8). Iste fuit ab ipsis cunabulis indolis ualde bone, et iam magnum aliquid insignis preconizabat infantia, quod futurum maturiori prestolaretur etate. Non se cum ludentibus miscuit neque cum hiis qui in leuitate ambulant participem se prebuit, sed instar placidi Iacob uagos Esau cauebat excursus, sinum matris ecclesie ac domestica sancte quietis tabernacula non relinquens. Iuuenem simul ac senem aspiceres, quoniam et paucitas dierum loquebatur infantiam et senem iam ipsa conuersationis maturitas et morum constantia predicabat. Respuebat seculi lasciuientis illecebras, ambulans in uia immaculata uirginitatis sue decus illibatum usque in finem incorruptionis amatori domino conseruauit.

Quid matri sue in eius pueritia apparuit

6 (9). Iam autem in illa sua iuuenili etate futurorum prescius deus aliquatenus est dignatus ostendere quod insigne aliquid prouenturum ex puero speraretur. Denique matri sue in uisione monstratus est uelut habens lunam in fronte, quo profecto prefigurabatur dari eum aliquando in lucem gentium, illuminare hiis qui in tenebris et in umbra mortis sederent, ut rei postmodum probauit euentus.

Quid ipse famis tempore fecerit erga pauperes

7 (10). Eodem tempore cum Palentie studens persisteret, oborta est fames ualida fere per uniuersam Yspaniam. Tunc ipse pauperum necessitate permotus et estuans in se compassionis affectu uno decreuit opere dominicis simul obsecundare consiliis et resarcire pro posse morientium egenorum inopiam. Vendens itaque libros quos sibi oppido necessarios possidebat et elemosinam quandam instituens dispersit, dedit pauperibus. Cuius pietatis exemplo sic aliorum theologorum ac magistrorum animos prouocauit ut ex iuuenis liberalitate suam parcam segnitiem extimantes elemosinis extunc largioribus habundarent.

Qualiter uocatus fuit ad ecclesiam Oxomensem

8 (11). Huiuscemodi ascensiones dum in corde suo uir dei disponeret et de uirtute progrediens in uirtutem et se ipso melior effectus cottidie cunctorum oculis, inter quos quasi stella matutina in medio nebule per uite innocentiam rutilabat, mirabilis uideretur, ad audientiam episcopi Oxomensis ipsius fama peruenit. Qui diligenter percunctata de ipso ueritate accersitum in sua fecit ecclesia canonicum regularem.

(12) Ille confestim inter suos concanonicos uelut singulare iubar emicuit, humilitate cordis imus, sanctitate precipuus, factus omnibus odor uite in uitam et quasi thus redolens in diebus estatis. Mirantur tam celerem et inuisum religionis apicem. Suppriorem eum constituunt, quatenus in eminentiori specula constitutus omnium splenderet obtutibus, omnes inuitaret exemplis. Ipse autem uelut oliua pullulans et cypressus in altitudinem se extollens, die noctuque terebat ecclesiam, orationi sine intermissione uacabat, et redimens sibi contemplationis otia uix extra septa monasterii comparebat. Flendi pro peccatoribus, pro miseris, pro afflictis singularem gratiam tribuerat ei deus, quorum calamitates in intimo gestans compassionis sacrario estuantem interius per exitus oculorum foras ebulliebat affectum.

(13) Pernoctandi in orationibus mos erat ei creberrimus et clauso ostio orare patrem suum, interdum et inter orationes a gemitu cordis sui rugitus et uoces emittere, nec continere se poterat quin erumpens euidenter eminus audiretur. Fuit autem ei frequens et specialis quedam ad deum petitio, ut ei largiri dignaretur ueram caritatem curande et procurande saluti hominum efficacem, arbitrans sese tunc primum fore ueraciter membrum Christi cum se totum pro uiribus lucrifaciendis animabus impenderet, sicut saluator omnium dominus Ihesus totum se nostram obtulit in salutem.

Librum quendam qui Collationes Patrum inscribitur tractantem de uitiis et omni spiritalis perfectionis materia, hunc inquam legens et diligens salutis in eo rimari semitas easdemque tota animi uirtute studuit imitari. Hic liber ad arduam conscientie puritatem, ad multam contemplationis lucem, ad magnum eum perfectionis apicem gratia suffragante prouexit.

Qualiter episcopus Oxomensis ad Marchias profectus est

9 (14). Dum uero in hunc modum decore Rachelis foueretur amplexibus, Lya non sustinens cepit ipsum impetere quatenus ad ipsius ingressum prole fecundata multiplici sue lippitudinis sopiret obprobriun. Accidit itaque tunc temporis Aldefonsum regem Castelle inter filium suum Ferdinandum et quandam nobilem de Marchiis desiderare connubium. Quam ob causam adiit prefatum episcopum Oxomensem postulans fieri eum huius procuratorem negotii. Precibus regiis acquieuit episcopus moxque adiuncta sibi iuxta sue sanctitatis exigentiam honesta societate secum etiam uirum dei Dominicum prememoratum ecclesie sue suppriorem adduxit, atque iter arripiens Tholosam usque peruenit. (15) Cuius terre incolas cum deprehendisset iam

dudum fuisse hereticos cepit super illusis tam innumeris miserabiliter animabus multa cordis compassione turbari. Ipsa uero nocte qua in prefata ciuitate hospitati sunt supprior ille cum hospite domus heretico multa disputatione et persuasione fortiter et feruenter agens, dum non posset hereticus resistere sapientie et spiritui qui loquebatur, ad fidem ipsum spiritu dei mediante reduxit.

10 (16). Postmodum recedentes inde et ad locum destinatum ubi puella erat multorum tandem laborum dispendio uenientes, exposita causa sui itineris habitoque consensu, confestim ad regem festinauere reuerti, cui rem prospere actam et puelle consensum nuntiauit episcopus. Rex igitur iterato duxit eum cum maioris apparatus honorificentia remittendum quatenus cum omni honore puellam adduceret suo filio copulandam. Qui laboriosum iter rursus aggrediens, cum ad Marchias peruenisset, puellam interim defunctam inuenit, deo salubrius sui causam itineris disponente, quatenus per eiusdem occasionem uie multo magis excellentium nuptiarum procuraretur exordium inter deum et animas per uniuersam ecclesiam ad eterne salutis copulam de diuersis peccatorum erroribus multifarie reuocandas, sicut consequentium probauit euentus.

Qualiter ad papam iuerit et quid cum eo tractauerit

11 (17). Igitur episcopus remisso ad regem nuntio ipse cum clericis suis nacta oportunitate adire curiam festinauit. Veniens autem ad dominum Innocentium summum pontificem instanter petiit, si fieri posset, gratiam cessionis, suam multipliciter allegans insufficientiam et immensam supra uires officii dignitatem. Reuelauit quoque summo pontifici sui cordis esse propositum conuersioni Cumanorum pro uiribus operam adhibere, si cessionem eius dignaretur admittere. Non acquieuit papa postulantis instantie, sed nec saltem ei quamuis petenti uoluit indulgere uel in remissionem peccatorum iniungere ut manens episcopus fines Cumanorum ad predicandum intraret, occulto sane dei nutu, qui ad alterius salutis uberem frugem tanti uiri labores prouiderat.

Qualiter apud Cistercium assumpsit habitum

12 (18). Reuertens itaque in uia Cistercium uisitauit, ubi multorum seruorum dei conuersationem intuitus et altitudine religionis illectus assumpto ibidem habitu monachali et aliquibus monachis, quorum instructione formam conuersationis addisceret, secum adductis, reuerti in Yspaniam properabat, ignorans adhuc qualem in uia procurante deo sue festinantie foret obicem habiturus.

De consilio quod dedit hiis qui a papa missi fuerant

13 (19). Eo etenim tempore dominus Innocentius papa duocdecim abbates ordinis Cisterciensis cum uno legato contra hereticos Albigenses ad predicandam fidem direxerat, qui celebrato cum archiepiscopis et episcopis aliisque illius terre prelatis concilio deliberabant quisnam aptior esset modus ad id pro quo missi fuerant fructuosius exequendum.

(20) Interim, dum sic consiliarentur ad inuicem, accidit prememoratum Oxomensem episcopum per Montem Pesulanum iter agere, ubi concilium agebatur. Venientem igitur cum honore suscipiunt, querunt consilium, scientes hominem sanctum maturum et iustum et fidei zelatorem. Ille ut erat uir circumspectionis et gnarus uiarum dei, de ritu et moribus hereticorum cepit inquirere, atque aduertens modum quo alios ad perfidie sue partem persuasionibus et predicationibus ac simulate sanctitatis exemplis allicere consueuerunt, uidensque ex aduerso grandem eorum qui missi fuerant et copiosum in expensis, equis et uestibus apparatum, Non sic ait fratres, non sic uobis arbitror procedendum ; impossibile mihi uidetur homines istos solis ad fidem reduci uerbis, qui potius innituntur exemplis. En heretici, dum speciem preferunt pietatis,

dum euangelice parsimonie et austeritatis mentiuntur exempla, persuadent simplicibus uias suas. Quamobrem si contraria monstraueritis edificabitis parum, destruetis forsitan, et nullatenus acquiescent. Clauum clauo retundite. Fictam sanctitatem uera religione fugate, quia fastus pseudoapostolorum euidenti uult humilitate conuinci. Sic Paulus cogitur fieri insipiens suas ueras enumerando uirtutes, austeritates et pericula proferendo, ut eorum tumorem refelleret qui se de uite merito iactitabant. Dicunt ei, Quod ergo das consilium pater bone ? Quibus ille, Quod me uideritis facere faciatis. Mox itaque insiliente in eum spiritu domini uocauit suos eosque Oxomam cum equitaturis et suppellecti et diuerso quem secum adduxerat apparatu remisit, paucis clericis in sua societate retentis, dixitque suum propositum in eo esse ut in illa terra moram faceret causa fidei propagande. (21) Detinuit etiam secum predictum Dominicum suppriorem, quem magni estimabat, magno complectens eum caritatis affectu. Hic est frater Dominicus, primus predicatorum ordinis institutor et frater, qui ex eo deinceps tempore cepit non supprior sed frater Dominicus appellari. Et uere Dominicus, custoditus a domino innocens a peccato ; uere Dominicus, omni uirtute domini custodiens uoluntatem.

(22) Audito igitur abbates qui missi fuerant huiuscemodi consilio et animati exemplo acquieuerunt et ipsi simile aggredi. Remittentes singuli ad loca sua que secum adduxerant retentis secum dumtaxat libris ad horas, ad studium atque ad disputationem cum opportunum foret necessariis, et habentes predictum episcopum super se maiorem et quasi caput totius negotii pedes sine expensis in uoluntaria paupertate fidem annuntiare ceperunt. Quod ubi uiderunt heretici ceperunt et ipsi ex aduerso fortius predicare.

14 (23). Factum est autem ut apud Appamias et apud Lauaurum, apud Montem quoque Regalem et Fanum Iouis frequenter disputationes fierent sub iudicibus deputatis, ad quas conueniebant statutis diebus magnates et milites, mulieres et populi fidei scrutiniis interesse uolentes. (24) Contigit autem apud Fanum Iouis celebrem quandam disputationem institui, ad quam conuocati sunt tam fidelium quam infidelium plurima multitudo. Plerique igitur fidelium suos interim conscripsere libellos, rationes atque auctoritates confirmatiuas fidei continentes, inter quos omnibus inspectis beati uiri Dominici libellus plus ceteris commendatus est et comuniter approbatus quatenus tribus arbitris de consensu partium ad sententie diffinitionem electis cum libello hereticorum, quem et ipsi pro se conscripserant, presentari deberet et cuius partis libellum rationabiliorem arbitri iudicarent eius fides prestantior haberetur. (25) Cumque multa uerborum disceptatione ad alteram partem arbitri conuenire non possent, tandem incidit eis consilium ut libellos utrosque flammis inicerent, et si quem illorum non comburi contingeret, ille ueram fidem procul dubio contineret. Accensus est igitur ignis magnus, utrumque librorum iniciunt. Liber hereticorum confestim exuritur, alter uero, quem conscripserat uir dei Dominicus, non solum permansit illesus sed et de flammis palam omnibus in longinquum exsiliit. Iterumque reiectus et tertio totiensque resiliens monstrauit aperte et fidei ueritatem et eius qui libellum conscripserat sanctitatem.

(26) At uero tam insigne morum decus fulgebat in uiro dei Didaco episcopo ut ipsorum quoque infidelium sibi uendicaret affectum et cordibus omnium inter quos conuersabatur influeret. Unde de ipso pronuntiabant heretici impossibile fore talem hominem non esse predestinatum ad uitam, atque ob hoc in partes illas fortasse transmissum ut uere fidei inter ipsos apprehenderet disciplinam.

De institutione monasterii apud Prulianum

15 (27). Ad susceptionem autem quarundam feminarum nobilium, quas parentes earum ratione paupertatis erudiendas et nutriendas tradebant hereticis, quoddam instituit monasterium situm inter Fanum Iouis et Montem Regalem, et nomen loci eiusdem Prulianum, ubi usque in hodiernum diem ancille Christi grata exhibent suo creatori seruitia, magno sanctitatis uigore et preclara innocentie puritate, uitam agentes salutarem sibi, exemplarem hominibus, iocundam angelis, gratam deo.

De reuersione episcopi Oxomensis in Yspaniam et obitu eiusdem

16 (28). In huiusmodi predicationis exercitio permansit Didacus episcopus annis duobus. Quibus expletis ueritus ne forsan negligentie posset argui circa suam domesticam ecclesiam Oxomensem si diutius moram protraheret in Yspaniam redire decreuit, proponens, uisitata ecclesia sua aliquam inde pecuniam ad consumationem prefati monasterii feminarum secum assumere et reuerti, et tunc demum cum assensu domini pape in illis partibus aliquos ordinare uiros ad predicandum ydoneos, quorum esset officii hereticorum errores semper elidere et tuende ueritati fidei non deesse. (29) Eis autem qui remanserant fratrem Dominicum in spiritualium cura tamquam spiritu dei uere plenum preposuit, in temporalibus uero Guillelmum Clareti Appamiensem ita dumtaxat ut ad fratrem Dominicum referret omnium que ageret rationem. (30) Vale dicens ergo fratribus, cum uenisset Oxomam pedes transiens per Castellam, post paucos dies infirmitate corripitur et ad finem usque perductus uitam presentem in magna sanctitate compleuit, bonorum laborum gloriosum fructum accipiens et in habundantia sepulchrum ingrediens in requie opulenta. Fertur autem ipsum quoque post obitum miraculis claruisse. Nec mirum si in operandis uirtutibus potens apud omnipotentem deum existeret, qui inter homines in hoc infirmo et flebili positus incolatu tantis pollebat gratiarum insigniis, tanto radiabat decore uirtutum.

De reuersione eorum qui a papa missi fuerant ad partes Albigenses

17 (31). Igitur intellecto uiri dei transitu hii qui in partibus Tholosanis remanserant singuli ad propria redierunt ; frater uero Dominicus solus ibidem in predicationis iugitate permansit. Quem licet interdum aliqui pro tempore sequerentur non tamen ei quasi per obedientiam tenebantur. Ex hiis autem suis sequacibus erant memoratus Guillelmus Clareti et frater Dominicus quidam Yspanus, qui postmodum in Yspania prior extitit de Manino.

De predicatione crucis contra Albigenses

18 (32). Post mortem episcopi Oxomensis cepit crux aduersus Albigenses in Francia predicari. Si quidem indignatus papa Innocentius quod indomabilis hereticorum rebellio nulla ueritatis posset pietate molliri nec transuerberari gladio spiritus quod est uerbum dei materialis saltem gladii decreuit aggrediendos potentia ; (33) quam secularis districtionis animaduersionem Didacus episcopus adhuc uiuens quasi prophetalis spiritus inprecatione futuram predixerat. Nam dum aliquando erroneam hereticorum rebellionem coram multis nobilibus euidenter et publice confutasset illique irridentes suos subuersores sacrilega excusatione defenderent, indignatus manus ad celum tetendit et ait, Domine mitte manum tuam et tange eos. Quod uerbum qui audierunt prolatum in spiritu postmodum aduerterunt, dum eis hunc saltem uexatio tribueret intellectum.

De iniuriis hereticorum ei illatis

19 (34). Eo tempore quo ibi cruce signati fuerunt mansit frater Dominicus ibidem usque ad obitum comitis Montis Fortis uerbi diuini sedulus predicator. Quantas in illis partibus pertulit ab iniquis iniurias, spreuit insidias. Denique dum aliquando ei minarentur interitum, imperterritus respondebat, Non ego martirii dignus sum gloria, nondum merui mortem istam. Postmodum autem locum preteriens in quo positas sibi forte suspicabatur insidias cantans et alacer incedebat. Quod cum insinuatum fuisset hereticis, mirantes tam inconcussam eius constantiam dixerunt ei, Numquid non horres mortem ? Quid acturus fueras si comprehendissemus te ? At ille, Rogassem uos inquit ne repentinis me subito perimeretis uulneribus, sed successiua mutilatione membrorum protraheretis martirium, dehinc autem ostensis ante meos oculos detruncatis membrorum particulis et erutis postmodum oculis truncum reliquum uel relinqueretis in hunc modum suo sanguine uolutantem uel extingueretis omnino, quo maiorem coronam martirii protractione mererer. Stupuerunt ad huius uerba ueritatis inimici et iam ultra ei non posuerunt insidias nec captabant in animam iusti, tamquam cui mortis illatione obsequerentur potius quam nocerent. Ipse uero totis uiribus et zelo feruentissimo satagebat animas quas posset lucrifacere Christo. Et inerat cordi eius mira et pene incredibilis salutis omnium emulatio.

Qualiter seipsum uendere uoluit ut subueniret cuidam

20 (35). Nec certe deerat ei caritas qua maiorem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Siquidem dum piis exhortationibus quendam infidelem ad fidele matris ecclesie gremium inuitaret et ille responderet necessitudinem temporalium sibi prouocatiuam esse societatis infidelium, pro eo quod eidem ab hereticis necessarie ministrabantur impense, quas aliunde habere non poterat, ex intimo mox ei compassus affectu se ipsum uenumdare decreuit et pretio sui redimere anime periclitantis inopiam. Quod et fecisset, nisi dominus qui diues est in omnes aliunde prouidisset quo illius hominis resarciretur egestas.

21 (36) Itaque uirtute et opinione proficiebat seruus dei Dominicus et inuidebant heretici. Quanto iste bonus erat, tanto nequior illorum oculus sua lippitudine radium lucis eius ferre non poterat. Irridebant autem eum et adherentes ei uarie subsannabant, de malo thesauro cordis sui proferentes mala. Sed subsannantibus infidelibus fidelium ei congratulabatur deuotio et a catholicis omnibus multo uenerabatur affectu, ita ut sanctitatis eius suauitas et uenustas morum magnatum quoque corda percelleret, et ab archiepiscopis et episcopis aliisque prelatis illarum partium multo dignus haberetur honore. (37) Comes etiam Montis Fortis, qui speciali ipsum deuotione fouebat, cum assensu suorum castrum insigne quod dicitur Cassanuel dedit ei et suis sequacibus quicumque ei in officio inchoate salutis assisterent. Habebat insuper ipse frater Dominicus ecclesiam Fani Iouis et quedam alia, de quibus omnibus sibi et suis poterat necessaria prouidere. Necdum ordo predicatorum fuerat institutus, sed solum de ordinis institutione fuerat tractatum, quamuis ipse pro uiribus officio predicationis insisteret, nec illa postmodum edita constitutio seruabatur ut nec recipere possessiones nec iam receptas retinere liceret.

Igitur a tempore obitus episcopi Oxomensis usque ad Lateranense concilium anni fluxerunt fere decem, quo tempore quasi solus permansit ibidem.

De duobus fratribus, qui primo se obtulerunt fratri Dominico

22 (38). Ingruente autem tempore quo ad Lateranense concilium Romam adire ceperunt episcopi, obtulerunt se fratri Dominico duo probi uiri et ydonei de Tholosa, quorum unus fuit frater Petrus de Selam, postmodum prior Lemouicensis, alter uero frater Thomas, uir admodum gratiosus et sermone facundus. Horum primus frater Petrus sublimes et nobiles domos quas

Tholose circa castrum Narbonense possederat tradidit fratri Dominico et eius sociis. A quo tempore ceperunt primum apud Tholosam in eisdem domibus commorari atque extunc omnes qui cum ipso erant ceperunt magis ac magis ad humilitatem descendere et religiosorum se moribus conformare.

De redditibus unde uictum primo acceperunt et necessaria

23 (39). At uero episcopus Tholosanus felicis memorie Fulcho nomine, qui tenerrime diligebat dilectum deo et hominibus fratrem Dominicum, uidens eorundem fratrum religionem et gratiam atque in predicatione feruorem, exsultans ad noue lucis exortum, de consensu totius sui capituli contulit eis sue diocesis sextam partem omnium decimarum, cuius emolumenti subsidio suis ad libros atque ad sustentationem necessariis prouiderent.

Qualiter magister Dominicus cum episcopo Tholosano ad dominum papam accessit

24 (40). Adiunctus est autem eidem episcopo frater Dominicus ut simul adirent concilium et pari uoto dominum papam Innocentium precarentur confirmari fratri Dominico et sociis eius ordinem qui predicatorum diceretur et esset, confirmaret nichilominus predictos reditus tam a comite quam ab episcopo fratribus assignatos. (41) Auditis igitur eis super hac postulatione Romane sedis antistes hortatus est fratrem Dominicum reuerti ad fratres suos et habita cum eis plena deliberatione cum unanimi omnium eorum consensu regulam aliquam iam approbatam eligere, ac demum hiis exactis rediret ad papam confirmationem super omnibus accepturus.

25 (42). Itaque celebrato concilio reuertentes uerbo domini pape fratribus publicato mox beati Augustini predicatoris egregii ipsi futuri predicatores regulam elegerunt, quasdam sibi super hec in uictu et ieiuniis, in lectis et laneis artiores consuetudines assumentes. Proposuerunt etiam et instituerunt possessiones non habere ne predicationis impediretur officium sollicitudine terrenorum, sed tantum redditus recipere, unde possent sibi in uictui necessariis prouidere. (43) Episcopus etiam eis ecclesias assignauit, unam intra terminos ciuitatis, aliam in Appamiensi uilla, tertiam inter Soredam et Podium Laurentii, scilicet ecclesiam sancte Marie de Lescura, in quarum qualibet conuentus et prioratus esse debebat.

De prima ecclesia collata fratribus in Tholosa

26 (44). Anno domini .m.cc.xvi. estatis tempore data est fratribus prima ecclesia in ciuitate Tholosa, que in honore beati Romani fundata est. In reliquis autem duabus ecclesiis nullum unquam fratrum contigit habitare. At uero in predicta ecclesia sancti Romani protinus edificatum est claustrum, cellas habens ad studendum et dormiendum desuper satis aptas. Erant autem tunc fratres numero circiter .xvi.

De obitu pape Innocentii et ordinatione pape Honorii et de confirmatione ordinis

27 (45). Interim dominus Innocentius papa sublatus est de medio et successor pro eo Honorius constitutus est. Quem mox adiit frater Dominicus et iuxta propositum ordinationemque conceptam confirmationem ordinis et omnium que obtinere uoluisset plene per omnia impetrauit.

De obitu comitis Montis Fortis quem magister Dominicus preuiderat

28 (46). Anno domini .m.cc.xvii. disposuerunt Tholosani insurgere contra comitem Montis Fortis, quod et uirum dei Dominicum per spiritum aliquatenus antea cognouisse conicimus. Monstrata est ei arbor in uisione protractione grandis uenustate grata in cuius ramis multus auium

numerus habitabat. Precipitata est arbor et requiescentes in ea uolucres diffugerunt. Intellexit igitur homo spiritu dei plenus comiti Montis Fortis. magno uidelicet et sublimi principi et multorum pupillorum tutori, proximum imminere mortis excidium. (47) Et inuocato spiritu sancto conuocatisque fratribus dixit hoc esse sui cordis propositum ut omnes eos licet paucos per mundum transmitteret nec iam ibi diutius insimul habitarent. Admirati sunt omnes tam subite dispersionis prolatam ab eo sententiam, sed quoniam animabat eos euidens in ipso sanctitatis auctoritas, acquieuere facilius ad bonum hec omnia finem prouentura sperantes. (48) Visum est autem ei bonum ut aliquem sibi fratrem in abbatem eligerent, cuius auctoritate ceteri regerentur ut maioris et capitis, cuius tamen correctionem ipse sibi retinuit. Et electus est frater Matheus canonice in abbatem. Ipse in hoc ordine primus atque nouissimus abbas appellatus est, quia postmodum placuit fratribus ut ob humilitatis insinuationem his qui preesset non abbas sed magister ordinis diceretur.

De fratribus missis in Yspaniam

29 (49). Destinati sunt igitur quatuor fratres in partes Yspanie, frater Petrus Madritensis et frater Guomicius, frater Michael de Uzero et frater Dominicus, qui nouissimi duo postmodum missi Bononiam de Roma per magistrum Dominicum, ad quem de Yspania redierant moram fecerunt ibidem neque enim sicut desiderauerant fructificare in Yspania potuerunt reliquis duobus tamen abunde proficientibus et disseminantibus uerbum dei. Fuit autem hic memoratus Dominicus humilitatis eximie homo paruus quidem scientia sed uirtute magnificus. De quo breuiter aliquid commemorare non erit inutile.

De fratre quodam Dominico qualiter mulieris temptationem deuicit

30 (50). Dispositum fuit aliquando consciis quibusdam forsitan emulis ut mulier quedam effrons et meretrix, instrumentum Sathane, castitatis obex, facula uitiorum, sub simulatione confessionis ueniret ad eum. Que talibus ipsum alloquitur, Angustor nimis, supra modum exestuo, uehementer aduror, et nunc heu non me nouit, sed etsi nouisset non me forsitan dignaretur ille quem diligo, cuius amor cor meum tam irremediabiliter penetrauit. Da queso consilium, adhibeto remedium pereunti, potes enim. Dum huiusmodi uirulentis et exquisitis sermonibus ad illecebrandum innocentem niteretur meretri, et a sua per salutiferam fratris persuasionem flecti non posset instantia, scrutatur ille personam causamque periculi. Prodit illa suum incendium ipsum esse. Vade inquit nunc et ad tempus reuertere ; parabo locum ubi congruenter conuenire possimus. Intrans itaque in cubiculum duos ignes preparat hinc et inde uicinos tamen ad inuicem et ueniente meretricula se ipsum prosternit in medio illamque hortatur ut ueniat. En inquit locus congruus tanto facinori. Veni si placet ut commisceamur ad inuicem. At illa uehementer exhorruit uidens hominem circumflagrantibus ignibus imperterritum irruisse et exclamans compuncta recessit. Ipse uero surrexit intactus nullo sibi prorsus estu uel materialis incendii uel illecebrose libidinis dominante.

De fratribus primo missis Parisius

31 (51). Missi sunt quoque Parisius frater Matheus electus abbas cum fratre Bertrando, qui postmodum fuit prior prouincialis Prouincie, uir existens sanctitatis magne et rigoris circa se ipsum inexorabilis, quoniam sue carnis erat mortificator acerrimus, et magistri Dominici sibi formam et exemplar in multis imbiberat, cui etiam aliquando comes itineris sui fuit. Hii inquam sunt destinati Parisius cum litteris summi pontificis ut ordinem publicarent, et cum eis alii duo fratres ad studium, frater Iohannes uidelicet de Nauarra et frater Laurentius Anglicus, cui

antequam Parisius ingrederentur multa ex hiis que circa fratres postmodum acciderunt Parisius, uidelicet de habitatione et situ domorum, de receptione multorum fratrum, a domino reuelata sunt, prout ipse predixit et rei postmodum probauit euentus. Seorsum autem ab hiis frater Mames uterinus frater magistri Dominici et frater Michael Yspanus, habentes secum conuersum Normannum cui nomen Oderius. (52) Hii omnes Parisius sunt transmissi, sed nouissimi tres agentes celerius citius peruenerunt, ingressi Parisius pridie ydus septembris, quos post trium septimanarum spatium subsecuti sunt alii supradicti. Conduxerunt autem sibi domum iuxta hospitale beate uirginis ante fores Parisiensis episcopi.

De domo sancti Iacobi collata fratribus Parisius

32 (53). Anno domini .m.cc.xviii. data est fratribus domus sancti Iacobi quamuis nondum absolute a magistro Iohanne decano sancti Quintini et ab uniuersitate Parisiensi ad instantiam precum domini pape Honorii. Quam intrauerunt ad habitandum .viii. ydus augusti.

De fratribus qui primo Aurelianis missi sunt

33 (54). In ipso etiam anno missi sunt Aurelianis quidam iuuenes fratres et simplices, qui et ipsi tamquam parua quedam semina futuri postmodum uberioris germinis principium extiterunt.

De fratribus primo missis Bononiam

34 (55). Anno domini .m.cc.xviii.circa principium missi sunt a Roma per magistrum Dominicum fratres Bononiam, uidelicet frater Iohannes de Nauarra et quidam frater Bertrandus, postmodum uero frater Christianus cum fratre conuerso. Qui moram facientes Bononie magnam perpessi sunt ibidem paupertatis angustiam.

De miraculosa receptione magistri Reginaldi apud Romam per magistrum Dominicum

35 (56). Eodem anno cum magister Dominicus esset Rome, magister Reginaldus decanus sancti Aniani Aurelianensis mare transiturus illuc usque peruenit. Erat autem uir opinione magnus, doctus scientia, celebris dignitate, qui de iure canonico rexerat Parisius annis quinque. Hic igitur cum uenisset Romam graui infirmitate corripitur. Ad quem magister Dominicus aliquotiens ut eum uisitaret aduenit et exhortans eum ad paupertatem Christi et ordinis sui consortium liberum et plenum ab eo suscipiende religionis huius consensum elicuit, ita ut se uoto astringeret. (57) Releuatus est igitur ab infirmitatis sue graui et quasi desperato periculo sed non sine diuini uirtute miraculi. Nam uisibiliter inter estus febrium suarum ad eum ueniens regina celi, misericordie mater, uirgo Maria et eius oculos, aures, nares, os, umbilicum, manus pedesque quadam salutari quam secum detulerat inunctione perungens, huiuscemodi uerba subiunxit, Ungo pedes tuos oleo sancto ad preparationem euangelii pacis. Nichilominus etiam ei omnem huius ordinis habitum demonstrauit. Confestim ergo sanatus est et sic repente toto corpore reparatus ut medici qui de eius conualescentia quasi desperauerant, uisis eius sanitatis indiciis, mirarentur. Hoc insigne miraculum multis usque hodie manentibus magister Dominicus postmodum publicauit, et cum aliquando pluribus in collatione recitaret Parisius ego ipse presens interfui.

Qualiter magister Reginaldus mare transierit
et reuertens Bononiam ibidem predicando multos ad ordinem susceperit

36 (58). Igitur magister Reginaldus sanitate recepta, licet iam professione ordini teneretur, ad complendum desiderium suum mare pertransiit. Et inde reuertens uenit Bononiam .xii. kalendas ianuarii. Cepit autem mox predicationi totus insistere et ignitum erat eloquium eius uehementer sermoque ipsius quasi facula ardens corda cunctorum audientium inflammabat, ut uix esset tam saxeus qui se absconderet a calore eius. Tota tunc feruebat Bononia quia nouus insurrexisse uidebatur Helias. In diebus illis multos Bononienses recepit ad ordinem et numerus discipulorum cepit excrescere et plures additi sunt ad eos.

De uia magistri Dominici in Yspaniam et reditu ipsius

37 (59). Anno eodem perrexit in Yspaniam magister Dominicus ibique duabus domibus instauratis, una apud Madrid, que nunc est monialium, altera uero apud Segobiam, que prima fuit domus fratrum Yspanie, reuertens inde uenit Parisius anno domini .mccxix., ubi fratrum fere triginta congregationem inuenit. (60) Paululum autem demoratus ibidem diuertit Bononiam et apud sanctum Nicholaum magnum inuenit fratrum collegium, quos sub disciplina Christi fratris Reginaldi cura et diligentia nutriebat. Venientem itaque omnes excepere cum gaudio, reuerentiam deferentes ut patri, et mansionem faciens apud eos informabat teneram adhuc nouelle plantationis infantiam spiritualibus monitis et exemplis.

Quod magistrum Reginaldum transmisit Parisius

38 (61). Transmisit autem inde Parisius fratrem Reginaldum non sine graui desolatione filiorum illorum quos per uerbum euangelii recenter Christo genuerat, qui flebant a consuete matris piis uberibus sese tam festinanter auelli. (62) Sed hec omnia diuinis nutibus agebantur. Eratque uelut quoddam mirabile de seruo dei magistro Dominico ut in mittendis huc illucque fratribus per diuersas ecclesie dei partes, quemadmodum supra memoratum est, sic omnia faceret confidenter et absque hesitationis ambiguo, licet non sic faciendum aliis uideretur interdum, ac si iam de futuris euentibus certus existeret aut per reuelationem spiritus fuisset edoctus. Et hoc inficiari quis audeat ? Paucos primum fratres secum habuerat et eosdem ut plures illitteratos et simplices, illosque mittens sparsim per ecclesias diuidebat, ut filiis huius seculi secundum suam prudentiam iudicantibus potius id quod fuerat inchoatum diruere quam magna struere uideretur. Quos autem mittebat orationum prosequebatur suffragiis, et uirtus domini erat ad multiplicandum eos.

De aduentu magistri Reginaldi Parisius et obitu eius

39 (63). Venit itaque sancte memorie frater Reginaldus Parisius et indefesso mentis feruore Christum Ihesum et hunc crucifixum uerbo predicabat et opere. Sed cito de terra sustulit eum deus et consumatus in breui expleuit tempora multa. Denique pauco post tempore correptus infirmitate et ad mortem carnis usque perductus obdormiuit in domino pergens in gloriosas diuitias domus dei, qui dum hic uiueret paupertatis ac uilitatis strenuum se exhibuerat amatorem. Sepultus est autem in ecclesia beate Marie in Campis, eo quod nondum fratres sepulturam haberent.

De responsione magistri Reginaldi qualiter ordo sibi placuerit

40 (64). Sed iam subit animum quod dum adhuc uiueret frater Matheus, qui ipsum in seculo gloriosum delicatumque cognouerat, aliquotiens ueluti admirans requisiuit ab eo, Estne uobis magister seuerum hunc habitum assumpsisse ? At ille uultu submisso respondit, Nichil in hoc ordine mereri me reputo, quia nimis in eo michi semper complacuit.

De uisione quadam post obitum eius

41 (65). Ipsa nocte qua spiritus uiri sancti euolauit ad dominum uisum est michi nondum quidem secundum habitum fratri sed in ipsius manibus iam professo fratres in quadam naui per medium aque uehi. Submersa est autem nauis qua uehebantur, ipsi uero de aqua incolumes exierunt. Hanc nauem ipsum fratrem Reginaldum fuisse existimo, quem utique fratres tunc temporis suum baiulum estimabant.

De alia uisione

42 (66). Visum est et alii cuidam ante mortem ipsius ueluti si uideret fontem quendam limpidum obturari, pro quo duo fontes alii protinus eruperunt. Que uisio an aliquid sibi uerum uoluerit ego, proprie sterilitatis conscius interpretari non audeo. Unum scio, neminem apud Parisius preter duos ipsum ad professionem ordinis suscepisse, quorum quidem ego primus, alter uero frater Henricus, postmodum prior Coloniensis, michi singulari affectu pre cunctis ut puto mortalibus in Christo carissimus, tamquam uere uas honoris et gratie, quo gratiosiorem creaturam me in hac uita uidisse non recolo. Qui quoniam celeri maturitate festinauit iam ingredi in requiem domini, quantarum uirtutum homo fueri, commemorare non erit inutile.

De fratre Henrico qualiter aut ubi fuerit educatus

43 (67). Hic igitur frater Henricus bonis siquidem secundum seculum ortus natalibus, cum esset in ecclesia Traiecti inferioris canonicus, ibidem ab annis puerilibus a uiro quodam sancto ac plurimum religioso ecclesie illius canonico sub disciplina et timore domini diligenter educatus est. Nam cum idem uir bonus et iustus carnem suam crucifigendo seculi huius nequam calcaret illecebras et multis habundaret pietatis operibus, tenerum adhuc adolescentis animum ad omne uirtutis opus imbuerat, faciens eum pedes lauare pauperum, frequentare ecclesiam, horrere uitia, spernere luxum, diligere castimoniam, et iste, cum optime esset indolis adolescens, in omnibus sese exhibuit ad disciplinam docilem, facilem ad uirtutes. Sicque dum cresceret etate, crescebat simul et moribus usque adeo ut si cum ipso conuersareris uelut angelum estimares et quasi innatam ei crederes honestatem. (68) Itaque processu temporis uenit Parisius et statim ad studium theologie se contulit, habens magnum ingenii naturalis acumen et ordinatissimam rationem. Adiunctus est autem michi hospitio et commanentes in suauem ac ualidam conuenimus cordium unitatem.

44 (69). Interea fratre Reginaldo felicis recordationis ueniente Parisius et strenue predicante, ego diuina preuentus gratia concepi et uoui intra memetipsum ordinem istum assumere, arbitrans securam me reperisse salutis semitam, qualem et ante fratrum cognitionem in animo meo sepe deliberando conceperam. Firmato igitur cordis mei proposito laborare cepi tota sollicitudine, qualiter socium et amicum anime mee pari mecum uoto pertraherem, uidens eum naturali simul et gratuita dispositione ad ministerium predicationis perutilem. Renuebat ipse et ego magis instare non desii. (70) Itaque procuraui ut ad fratrem Reginaldum confessionem facturus et exhortationem accepturus accederet ; a quo rediens ad me codicem Ysaie uelut coniecturandi causa aperuit et in eum locum primum coniecti sunt oculi eius ubi dicitur,

Dominus dedit michi linguam eruditam ut sciam sustentare eum qui lapsus est uerbo. Erigit me mane, erigit mihi aurem ut audiam quasi magistrum. Dominus deus aperuit michi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii. Que uerba prophete dum interpretarer ei ueluti ipsius intentioni tam proprie respondentia et quasi de celo sonantia, erat enim lingue facundissime, hortabar eum sub iugo obedientie suam redigere iuuentutem. Aduertimus post paululum illud quod sequitur, Stemus simul, tamquam si admoneremur in hoc preclaro societatis genere alter alterum nequaquam deserere. (71) Huius occasione uerbi postmodum dum essem Bononie, ipse de Colonia michi scripsit, Ubi nunc est Stemus simul ? Vos Bononie et ego Colonie. Dixi itaque ei, Quidnam queso ad meritum ditius, quid gloriosius ad coronam, quam si paupertatis illius participes quam in se ipso Christus exhibuit et sui sequaces apostoli tenuerunt totum hoc seculum eius amore spreuerimus ? Acquieuit igitur rationis iudicio, sed uoluntas pigra recalcitrans suadebat contrarium.

Qualiter mota fuerit uoluntas fratris Henrici

45 (72). Eadem igitur nocte, cum ad matutinas ecclesie beate uirginis perrexisset, perdurauit ibidem usque ad diluculum orans et deprecans matrem domini quatenus eius uoluntas ad hoc propositum flecteretur. Et cum nichil ut sibi uidebatur orando proficeret, sentiens adhuc cordis duritiem, super seipso compati cepit et parare recessum, dicens intra se, Nunc o uirgo beata quod me non digneris experior, non est michi pars in pauperum Christi collegio Siquidem urgebat cor ipsius perfectionis illius appetitus quam inesse sciebat uoluntarie paupertati, quoniam aliquando monstratum ei erat a domino quam secura coram uultu districti iudicis paupertas assisteret.

De uisione quadam ipsius interpositio

46 (73). Nempe dum quadam uice in uisione se coram tribunali Christi putaret assistere, immensam illic iudicandorum et cum Christo iudicantium uidit adesse multitudinem. Ipse autem inter alios iudicandus dum sibi de nullo crimine conscius securus et innocens putaret euadere, quidam a latere iudicis extensa uersus eum manu talibus eum alloquitur, Tu qui astas, dic quid aliquando pro domino reliquisti ? Exterruit eum tam districtum interrogationis examen, quoniam quid ad interrogata responderet non habuit. Sicque uisio illa disparuit. Hinc ergo admonitus magis optabat euangelice paupertatis fastigium, nisi uoluntatis segnities impediret.

(74) Itaque, sicut memoratum est, dum iam pene de ecclesia seipsum redarguens et mestus abscederet, subuertit fundamenta cordis eius ille qui humilia respicit, et obortis mox lacrimis ac resoluto spiritu se totum coram domino cepit effundere et contrita est omnis illa durities in spiritu uehementi, ut suaue iugum Christi quod paulo ante grauissimum extimarat iam computrefactum a facie olei leue per omnia fieret et iocundum. Surgens igitur in illius feruoris impetu et ad magistrum Reginaldum properanter accedens uotum emisit, moxque ad me rediens, dum in angelico ipsius uultu lacrimarum considerarem uestigia et unde ueniret perquirerem, respondit, Votum uoui domino et soluam. Distulimus tamen usque ad quadragesime tempus tirocinium nostrum, lucrati interim unum e sociis, fratrem Leonem, qui fratri Henrico postmodum successit in officio prioratus.

De ingressu fratris Iordanis et fratris Henrici et fratris Leonis

47 (75). Veniente itaque die quo cinerum impositione sue fideles admonentur originis et reuersionis in cinerem, disposuimus et nos congruo ad penitendum exordio quod domino uoueramus implere, ignorantibus tamen adhuc sociis eiusdem nobiscum hospitii. Unde cum frater Henricus egrederetur hospitio et unus sociorum requireret, Domine Henrice quo itis ?,

Vado inquit, in Bethaniam. Quod uerbum ille non tunc quidem sed facti postmodum explicatione quid sibi uoluerit intellexit, cum ipsum Bethaniam, quod est interpretatum domus obedientie, uideret ingressum. Conuenientes igitur nos tres ad sanctum Iacobum, fratribus iam decantantibus Immutemur habitu, nos in medium eorum improuise quidem sed opportune aduenimus et confestim ueterem hominem exuentes ibidem nouum induimus, ut quod illi uoce psallebant in nobis opere compleretur.

<...>

48 (77). Hic est frater Henricus, cui multam atque mirabilem in uerbo suo ad clerum Parisiensem dominus largitus est gratiam, cuius sermo uiuus et efficax audientium corda uiolentissime penetrabat. Non est uisus ante ipsum nostre recordationis temporibus apud Parisius in audientia omnis cleri tam iuuenis, tam facundus, tam gratiosus per omnia predicator. (78) Et quidem in hoc uas electionis multa contulerat deus gratiarum insignia. Erat nempe obedientia promptus, patientia firmus, mansuetudine placidus, hilaritate gratus, caritate diffusus, nec deerat ei morum honestas, cordis sinceritas, et in carne uirginalis integritas, quippe qui in omni uita sua mulierem impudica cordis intentione nec uidit nec contigit. Inerat ei sermonis modestia, lingue facundia, acumen ingenii, gratia faciei, persone uenustas, scribendi habilitas, dictandi peritia, uocis angelice melodia. Numquam tristem, numquam turbulentum aspiceres ; semper equanimis, semper ylaris. Licentiauerat eum ab austeritate rigoris iustitia totumque eum sibi uendicauerat misericordia. Tanta facilitate cordibus omnium influebat, tam se cunctis exhibuit socialem ut, si cum eo conuersareris ad modicum, dilectum te ab ipso pre omnibus estimares. Et necesse fuit quem perfuderat deus gratia ut ab omnibus amaretur. Et cum in predictis omnibus sic omnes excelleret ut singulariter bonus in quacumque gratia uideretur, de hiis tamen nesciebat extolli, a Christo enim didicerat esse mitis et humilis corde.

<...>

49 (76). Post ingressum fratris Henrici uir ille sanctus qui eum nutrierat cum duobus aliis eiusdem ecclesie spiritualibus et bonis uiris, qui tres eum grandi affectu dilexerant, grauissime sunt turbati, ignorantes nouam adhuc eisque inauditam religionem et quasi perditum tante spei iuuenem estimantes. Igitur in hoc pene conuenerant ut aliqui uel aliquis eorum uadens Parisius ipsum ab hac indiscretione ut uidebatur auerteret atque retraheret. Tunc unus ex eis, Non sic ait precipitanter agamus, sed noctem hanc pari uoto in orationibus peragamus postulantes ut suum nobis super hac re beneplacitum dominus aperire dignetur. Venit nox et orantibus eis uocem de sublimi sonantem unus eorum audiuit, A domino factum est istud et non poterit immutari. Itaque hac reuelatione diuina facti certissimi iam non amplius turbabantur, sed scribentes ei Parisius ut perseueraret fiducialiter hortabantur, insinuantes ei reuelationis huius modum et ordinem ; quas literas pietate plenas, suaues et melleas, ego legi.

De missione eius Coloniam

50 (79). Missus autem pro priore Coloniam quam copiosum ibidem et uberem manipulum animarum in uirginibus, in uiduis in ueris penitentibus, per assiduam predicationem lucrifecerit Christo, quamque diligenter ignem quem dominus uenit mittere in terram in cordibus multorum accenderit et accensum nutrierit, tota adhuc clamat Colonia. Nomen Ihesu admonere consueuerat omni reuerentia cultuque dignissimum, nomen inquam quod est super omne nomen, in tantum ut usque hodie cum in ecclesia aut predicatione sacrandum hoc nomen sonuerit multorum cordium ad alicuius exhibitionem reuerentie confestim expergefiat deuotio.

De ipsius obitu

51 (80). Tandem completo felicis uite cursu, presentibus fratribus atque orantibus, sancto fine quieuit in domino. Sed ante egressum anime cum extreme inunctionis eidem exhiberentur officia, ipse uelut unus ex fratribus letanias et suffragia uiuaciter perorabat ; et completo illo officio deuotis uerbis fratres admonens uberes eos prouocauit ad lacrimas. Quanti autem in eius morte fletus, quot uiduarum et uirginum singultus et gemitus, quot fratrum et amicorum suspiria, quis enumeret ? (81) Multa quidem de ipso mens suggerit sed, ne forte nimis in longum pergat oratio, unum saltem ex hiis que post mortem eius plura per ueritatem confessionis et a personis sanctis et fidelibus intellexi commemorare sufficiat.

De manifestatione ipsius facta cuidam religioso

52 (82). Fuit in ciuitate Colonia uenerabilis quedam matrona que, dum ipsum fratrem Henricum adhuc uiuentem mira deuotione diligeret, aliquando precabatur eum ut sponderet se post mortem eidem apparere uelle, si tamen ipse primitus moreretur. Acquieuit ille precibus postulantis, si tamen diuine foret placitum uoluntati. Defuncto igitur eo prestolabatur illa et grauiter estuabat uidere promissum. Et tunc quoque quadam pulsari consueuerat temptationis molestia ut circa fidem inquietudines graues ab aduersario pateretur, an scilicet post hanc uitam redigerentur ad nichilum an uiuerent anime defunctorum. Sed expectanti diutius et desideranti nichil apparuit. Itaque grauius inualescebat temptatio et dicebat illa in corde suo, Si quid de futura uita quod nobis annuntiatur ueritatis haberet, his quem tanto uenerabar affectu me iam sane certificasse debuerat.

(83) Dum sic affligeretur et in corde tabesceret, ecce cuidam uiro religioso frater Henricus apparuit et ait ei, Vade ad matronam illam, proprio eam uocans nomine, quod uidelicet nomen usque tunc uir ille nescierat, quia mutatum ab infantilibus annis ex quadam delicatione uocabulum uero nomini in baptismate dato preiudicauerat, quod tunc primum uir ille fratre Henrico sibi declarante et exponente cognouit. Vade inquit ad eam et cum ipsam pro me salutaueris, dices ei : Hec et hec opera facere consueuisti ; non sic amodo facies, sed talem et talem modum obseruabis in eis. Erant autem eadem opera sic occulta ut preter eam nullus hominum ea nosset. Dum hec itaque loqueretur, aduertit uir ille bonus gemmam in pectore ipsiun claram nimis et fulgidam, et quemdam murum ante faciem eius lapidibus pretiosis intextum, quem multo contemplabatur intuitu, dixitque ei : Quid sibi uult domine mi gemma hec in pectore uestro tam fulgida et hic murus pretiosus ? At ille, Hec gemma munditie mei cordis indicium est, quam habebam in seculo, et dum eam respicio multa consolatione perfundor ; hic quoque murus pars illa est in edificio domini quam adhuc uiuens consilio, predicatione et confessione construxi. Interea superuenit regina celi, mater misericordie, uirgo Maria, et ea propinquante dixit frater Henricus ad hominem, Hec est domina mea, saluatoris mater, que me in suum famulatum elegit. Pensa quantum michi sit refrigerium in ipsius consortio. Hec cum dixisset confestim associatus ei simul cum ipsa discessit. (84) Venit itaque uir ille bonus et eidem matrone reuelauit cuncta per ordinem, prodens ei quedam suorum operum maxime secretorum manifestata sibi inter signa quorum relatione ueritas probaretur. Illa uero multa consolatione recepta a sue tentationis estu releuata est.

<...>

53 (85). Sed fortius consolabatur eam quiddam quod per seipsam postmodum meruit experiri. Denique dum aliquando reclinata super archam quandam in thalamo domus sue litteras a fratre Henrico sibi quandoque transmissas cum pia delectatione relegeret, occurrit in eisdem

litteris uerbum quoddam cuius secundum latinam interpretationem hec erat sententia : Super dulce Ihesu pectus recumbite et anime uestre sitim extinguite. Cuius uerbi commemoratione succensa ueluti si illud ex ore uiuentis adhuc et presentis exciperet, rapta est spiritu uiditque se ab una parte iuxta pectus Ihesu Christi assistere et fratrem Henricum ab altera ; in quo raptu tam profundum tamque mirificum experta est diuine consolationis gustum ut, inebriata prorsus tam immenso salutaris influxionis irriguo, presentes ancillas domus et uociferantes ad ipsam quatenus ad mariti prestolantis mensam festina ueniret minime persensisset, quousque tandem ab huiusmodi melliflua spiritus debriatione reuersa sensibus reddita est. Hiis de fratre Henrico commemoratis iam residua prosequamur.

De primo capitulo Bononie celebrato

54 (86). Anno domini .m.cc.xx. primum capitulum generale huius ordinis Bononie celebratum est, cui ipse ego interfui, missus de Parisius cum tribus fratribus eo quod magister Dominicus mandasset per litteras suas quatuor fratres de eadem domo Parisiensi ad Bononiense capitulum sibi mitti. Sed cum mitterer necdum adhuc in ordine duos menses peregeram. (87) In eodem capitulo de comuni fratrum consensu statutum est generale capitulum uno anno Bononie altero uero Parisius celebrari, ita tamen ut proxime futuro anno apud Bononiam ageretur. Tunc etiam ordinatum est ne possessiones uel redditus de cetero tenerent fratres nostri, sed et hiis renuntiarent quos habuerant in partibus Tholosanis. Alia quoque plura ibi constituta sunt, que usque hodie obseruantur.

De iniunctione prioratus Lombardie fratri Iordani
et missione fratrum in Angliam

55 (88). Anno domini .m.cc.xxi. in Bononiensi capitulo generali uisum est eis michi officium prioratus super prouinciam Lombardie primum imponere, cum anni spatium peregissem in ordine, nondum fixis quantum oportuit in altum radicibus, ut regendis aliis ante preficerer quam meam imperfectionem regere didicissem. In ipso capitulo quoque conuentus fratrum in Angliam cum fratre Giliberto priore transmissus est. Huic ergo capitulo minime interfui.

De fratre Euerardo qui fuit archidiaconus Lingoniensis

56 (89). Intrauerat autem tunc temporis apud Parisius frater Euerardus archidiaconus Lingoniensis, uir multarum uirtutum, opere strenuus, consilio prouidus, qui, cum esset auctoritatis eximie, quanto latius fuerat notus in seculo tanto plures assumpte paupertatis edificauit exemplo. (90) Hic mecum ituro in Lombardiam, quem tenero diligere uidebatur affectu, iter arripuit desiderans uidere magistrum Dominicum et per omnes partes Gallie et Burgundie per quas transitus nobis erat, in quibus ipse fuerat aliquando notissimus, Christum egenum et pauperem in corpore suo circumferens, tandem infirmitate corripitur et apud Losannam, ubi quandoque fuerat electus episcopus, sed acceptare renuerat, uitam hanc erumpnosam et flebilem festino quidem sed omnino felici fine compleuit.

(91) Paululum uero antequam moreretur, cum iam certum ipsius obitum physicorum pronuntiaret sententia, sed hoc ipsum celaretur ab eo, dixit michi, Si moriturus sum medicorum iudicio, quare michi non dicitur ? Celetur ab eis mors quibus mortis est amara memoria. Ego morte non terreor. Nichil ei timendum qui, si terrestris domus huius misere camis subruitur, domum non manu factam eternam in celis felici commutatione consolatus expectat. Defunctus est igitur commendans ibidem terre corpusculum, spiritum creatori. Felicis autem defunctionis eius hoc michi laudabile fuit indicium, quod in exitu spiritus eius, cum me ad dolorem cordis et

turbationem spiritus crederem excitari, quadam e contra deuotione atque iocunda sum ylaritate perfusus, ut iam minime flendum eum qui migrasset ad gaudia testimonio conscientie commonerer.

De obitu magistri Dominici

57 (92). Interim apud Bononiam magister Dominicus propinquante sue peregrinationis termino cepit grauiter egrotare, et in ipso sue egritudinis lectulo duodecim de fratribus discretioribus aduocans cepit ad feruorem et promotionem ordinis ac perseuerantiam sanctitatis hortari, admonens feminarum maxime iuuencularum suspecta uitare consortia, quoniam hoc genus illecebrosum est nimis et efficax illaqueandis animabus nondum ad purum excoctis. En inquit usque ad hanc horam in carnis incorruptione misericordia me diuina seruauit, non tamen hanc me imperfectionem euasisse confiteor, quin magis cor meum afficiant iuuencularum colloquia quam uetularum affatus ». (93) Ante mortem quoque suam dixit fratribus confidenter quod defunctum eum utiliorem forent habituri quam uiuum, sciebat nimirum cuinam credidisset sui laboris et uberis uite depositum, non diffidens sibi coronam de reliquo repositam esse iustitie, qua percepta tanto fieret ad impetrandum potentior quanto in potentias domini iam securior introisset. (94) Itaque inualescente magis infirmitatum angustia, denique febribus simul laborabat et fluxu. Tandem pia illa anima carne soluta est, pergens ad dominum qui eam dederat, et lugubrem incolatum celestis habitationis perenni consolatione commutans.

De uisione que in hora obitus eius fratri Guale apparuit

58 (95). Eadem autem die eademque hora defunctionis ipsius frater Guala, prior brixiensis, postmodum autem ciuitatis eiusdem episcopus, in loco campanilis fratrum in Brixia reclinatus obdormierat leui sompno, uiditque aperturam quandam in celo prefulgidam, per quam in terram scala candida descendebat, cuius summitatem Ihesus Christus una parte tenebat et gloriosa mater eius altera. Positus est igitur in imo scale frater quidam cuius non agnoscebat uultum quem cuculla tectum habebat, ut moris est nostros mortuos sepelliri. Et hic super cathedram erat sedens. Scalam autem sursum trahebat Christus dominus et mater eius, quousque ad summum usque peruenit qui in imo scale fuerat collocatus. Isque demum cum receptus fuisset in celum, clausa est illa apertura celi prefulgida nec quicquam ultra comparuit. Frater igitur qui hec uiderat paulo post cum uenisset Bononiam comperit eadem die atque ipsa diei hora defunctum fuisse seruum Christi Dominicum, sicut ipso nobis narrante didicimus.

De sepultura magistri Dominici et operationibus miraculorum

59 (96). Sed adhuc paulisper ad beati uiri uenerabiles redeamus exequias. Diebus igitur defunctionis sue contigit ordinante deo uenerabilem patrem Hostiensem episcopum, sedis apostolice tunc temporis in Lombardia legatum, nunc uero Romane sedis summum pontificem papam Gregorium, uenisse Bononiam, ratione cuius multi magni uiri et ecclesiarum prelati presentes tunc aderant, qui cognito magistri Dominici ab hac uita discessu presens aduenit, quippe qui ualde familiariter eum nouerat et multo dilexerat amoris affectu, sciens uirum iustum et sanctum, eiusque sepulture per semetipsum expleuit officium, multis ibidem presentibus, in quorum cordibus felix beati uiri transitus et manifesta cunctis sanctitas, quam hic uiuens habuerat, stola quoque immortalitatis eterne, quam eum percepisse iam astantium conscientie testabantur, despectum seculi loquebantur, dum in eisdem exequiis considerandum occurreret quam sit securum superne illius habitationis et eterne requiei locum uite presentis despectione mereri et uilitate conuersationis huius mortem sibi conquirere pretiosam.

60 (97). Itaque expergefacta est deuotio uulgi, reuerentia populorum, et accurrentes multi, qui diuersis infirmitatum quarumcumque premebantur molestiis, ibique permanentes diebus ac noctibus fatebantur omnino percepisse se remedia sanitatum et curationum suarum testimonia deferebant suspendentes ad tumulum beati uiri cereas oculorum, manuum, pedum ceterorumue membrorum effigies, prout uaria fuerat eorum infirmitas et corporum siue rerum multifarie reddita ualitudo. (98) Sed inter hec uix erat e fratribus qui huic diuine gratie condigna gratiarum occurreret actione. Siquidem uisum est plerisque non debere receptari miracula, ne sub uelamento pietatis speciem questus incurrerent. Sicque dum propriam opinionem inconsiderata sanctitate zelarent, comunem ecclesie neglexere profectum et gloriam sepeliere diinam. (99) Constat tamen eum etiam in hac uita positum certis fulsisse uirtutibus, coruscasse miraculis, et ex hiis plura quidem audiuimus, sed ob diuersitatem narrantium scripto mandata non sunt, ne forte dum res gesta ordine describeretur incerto incertum generaret legentibus intellectum. Libet tamen quedam eorum prout certius nobis innotuerunt aduertere.

De uiuificatione cuiusdam iuuenis Rome

61 (100). Cum esset aliquando Rome quidam domini Stephani cardinalis de Fossa noua consanguineus adolescens, dum insideret equo et incaute lasciuiens cursu ferretur precipiti, lapsus grauissime deferebatur cum lacrimis, quem uix semiuiuum uel forte iam indubitanter exanimem inter mortuos extimabant. Cumque circa illum meror incresceret, affuit ibidem magister Dominicus et cum ipso frater Tancredus, uir bonus et feruidus, prior aliquando Romanus, cuius relatione hec didici. Qui dixit ad eum, Quare dissimulas ? Cur non interpellas dominum ? Ubi nunc compassio tua ad proximos ? Ubi ad deum fiducia cordis tui ? Commotus igitur exhortatione fratris et uictus estuantis compassionis affectu, asportatum clam iuuenem in conclaui uirtute precum suarum refocillauit ad uitam et palam cunctis eduxit incolumem.

Qualiter pluuiam signo crucis repulit

62 (101). Retulit quoque michi frater Bertrandus, de quo transmisso Parisius superius facta est mentio, quod cum aliquando una cum ipso iter ageret et grauis super eos intemperies aeris oriretur iamque pluuiarum inundatio multa terram infunderet, facto signo crucis magister Dominicus sic ante se depulit omnem eiusdem inundationis elluuiem ut gradientibus eis, dum semper coram se uiderent ad trium cubitorum spatium stillicidia dense stillantia super terram, nec una quidem gutta uel fimbriam uestimentorum eorum contingeret.

(102) De curationibus etiam infirmitatum plura nobis innotuerunt, que ad presens scripto mandata non sunt, eius sanctitatis insignia.

De moribus magistri Dominici

63 (103). Ceterum, quod ipsis fulgentius est magnificentiusque miraculis, tanta morum honestate pollebat, tanto diuini feruoris impetu ferebatur, ut ipsum esse uas honoris et gratie, uas ornatum omni lapide pretioso, haud dubie probaretur. Inerat ei firma ualde mentis equalitas, nisi cum ad compassionem et misericordiam turbaretur. Et quia cor gaudens exhilarat faciem, placidam interioris hominis compositionem manifesta deforis benignitate ac uultus ylaritate prodebat. Tantam autem seruabat in hiis que secundum deum rationabiliter fieri concepisset, cordis constantiam, ut uix aut numquam semel enuntiatum cum digna deliberatione sermonem acquiesceret immutare. Et cum multa in eius facie, sicut commemoratum est, de bone conscientie testimonio semper eluceret ylaritas, lux tamen uultus eius non cadebat in terram. (104) Denique per hanc omnium sibi facile uendicabat amorem, omnium sine difficultate mox ut eum aspicerent

illabebatur affectibus. Ubicumque uersaretur siue in uia cum sociis aut in domo cum hospite reliquaque familia, aut inter magnates et principes et prelatos, semper edificatoriis affluebat sermonibus, habundabat exemplis, quibus ad amorem Christi seculiue contemptum audientium animi flecterentur. Ubique uirum euangelicum uerbo se exhibebat et opere. Tempore diurno cum fratribus sociisue nemo communior, nemo iucundior ; (105) nocturnis horis nemo uigiliis et obsecrationibus per omnem modum instantior. Ad uesperum demorabatur ei fletus et ad matutinam letitia. Diem impartiebatur proximis, noctem deo, sciens quoniam in die mandauit dominus misericordiam suam et nocte canticum eius. Flebat autem uberrime atque creberrime et fuerunt ei lacrime sue panes die ac nocte. Die quidem tunc magis, cum missarum crebra et quotidiana celebraret sollempnia, nocte uero cum super omnes infatigabilibus excubaret uigiliis.

De uigiliis eius

64 (106). Erat ei pernoctandi in ecclesiis creberrima consuetudo usque adeo ut uix aut raro certum ad quiescendum lectulum uideretur habere. Orabat igitur noctibus et perseuerabat uigilans quantum a fragilitate corporis extorquere potuisset. Et cum tandem lassitudine succedente et lentescente spiritu sompni interpellaret necessitas, siue ante altare siue alio quocumque in loco aut certe super lapidem instar patriarche Iacob capite reclinato paululum requiescens rursus euigilabat ad spiritum orationisque feruorem.

(107) Omnes homines largo excipiebat caritatis sinu et, cum omnes diligeret, ab omnibus amabatur. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus sibi proprium uendicabat, affluens pietate et se totum in proximorum curam atque miserorum compassionem effundens. Hoc etiam cunctis eum faciebat gratissimum, quod simplici gradiens uia nullum umquam in uerbo uel opere duplicitatis aut fictionis pretendebat uestigium. (108) Verus erat paupertatis amator, uilibus utens indumentis, et in cibo simul ac potu modum temperatissimum obseruabat, delicata uitans et libenter simplici pulmento contentus, habens firmum sue carnis imperium, et utens uino sic temperate limphato ut necessitati satisfaciens corporali numquam subtilem eius ac tenuem spiritum hebetaret.

Laus uiri dei beati Dominici

65 (109). Quis huius hominis usquequaque uirtutem imitari sufficiat ? Mirari possumus et ipsius exemplo pensare nostri temporis inertiam. Posse uero quod ille potuit non humane uirtutis, sed singularis est gratie, nisi quem forte miserans dei bonitas in simile dignata fuerit prerogare sanctitatis fastigium. Sed ad hec quis ydoneus? Imitemur tamen fratres ut possumus paterna uestigia, simul et agamus gratias redemptori qui talem in uia hac qua ambulamus ducem exhibuit seruis suis, per eum nos in huius conuersationis lucem regenerans, et deprecemur misericordiarum patrem ut, illo nos regente spiritu quo filii dei aguntur, per terminos quos posuerunt patres nostri ad eandem metam perpetue felicitatis et sempiterne beatitudinis, ad quam ille sine fine felix introiuit, nos quoque indeflexo tramite pertingere mereamur. Amen.

De uexatione cuiusdam fratris Bernardi per demonem

66 (110). Iam exactis hiis que de temporibus magistri Dominici commemoranda fuerunt, consequenter et de quibusdam gestis postmodum aduertendum. Itaque defuncto apud Losannam, ut dictum est, fratre Euerardo, ego procedens Lombardiam intraui iniunctum michi per illam prouinciam ministerium peracturus. Erat autem tunc temporis quidam frater Bemardus Bononie qui obsessus acerrimo cruciabatur demonio in tantum ut die noctuque furiis exagitaretur

horrendis et supra modum omne fratrum exturbaret collegium. Quam tribulationem haud dubium operande patientie seruorum suorum causa misericordia diuina prouiderat.

67 (111). Sed referam quo ordine fratri huic tale flagellum euenerit. Post ingressum enim suum ad nos crebro suorum peccatorum doloribus stimulatus desiderabat a domino aliquod sibi genus purgationis infligi. Suggerebatur igitur cordi eius frequentius an uellet affligi obsessione per demonem, et horrebat animus nec poterat consentire. Tandem post multas deliberationes dum quadam uice suis offensis esset grauius indignatus assensit animo ut corpus eius operande purgationis causa demoni traderetur, ut ipse michi perhibuit. Et sic confestim factum est ut idem quod corde conceperat permittente deo perficeretur in opere.

68 (112). Multa miranda per os eiusdem demon euomuit. Interdum quoque, licet obsessus ille non foret in theologia peritus et sanctarum uelut inscius scripturarum, adeo tamen per os eius profundas de scripturis sanctis eliciebat sententias ut huiusmodi etiam per Augustinum edita laudabilia merito censerentur. Gloriabatur autem quam plurimum, sed suggerente superbia, si quis aurem suis sermonibus inclinaret. (113) Interdum hanc, ut recolo, michi conditionem exhibuit, ut a predicatione desisterem et ipse a fratrum omnium tentatione cessaret. Cui ego, Absit ut fedus cum morte ineam aut pactum faciam cum inferno. Tuis tentationibus te nolente fratres proficient et ad uitam gratie conualescent, quia tentatio est uita hominis super terram. (114) Nitebatur autem sub quadam fraudulenta palliatione uerborum crebo aliquod in cordibus nostris sue nequitie seminare uestigium. Quod ego dum aduerterem dixi ei, Ut quid nobis totiens ingeminas dolos tuos ? Non ignoramus cogitationes tuas At ille, Et ego cognoui figmentum tuum. Quod semel oblatum tibi respuis et contempnis tandem mea supplantatus improbitate facile et gratanter admittes. Audiant hec milites Christi, quibus non est colluctatio aduersus carnem et sanguinem sed aduersus principes et potestates tenebrarum harum, contra spiritualia nequitie in celestibus ut discant ex ipsorum hostium sedulitate continua suum e contra continuare feruorem et uitare spiritus in se torpentis ignauiam. (115) Interdum quoque, quod amplius est, tam efficacibus utebatur uelut in modum predicationis sermonibus, ut ipso pronuntiationis modo ac pietate simul et profunditate uerborum uberes elicuerit lacrimas de cordibus auditorum. Mirum in modum etiam ipsum fratris obsessi corpus suauissimis aliquando super omnem humanam confectionem perfudit odoribus, idemque tentationis genus michi in memetipso nequiter intulit, simulans se torqueri grauiter eisdem odoramentis uelut ab angelo celitus procuratis, cum ipse foret omnino per quem ad suscitandam temerariam sanctitatis presumptionem huiusmodi tendebantur insidie.

De temptatione odoris procurati per demonem

69 (116). Denique dum quadam uice fratrem illum nobis presentibus grauiter afflixisset cepit simulare turbationem graui uoce et dicere, Ecce odor, ecce odor, ecce odor. Et post pusillum effusa super ipsum fratrem odoris illius suauitate horrorem et despectum se pati uultu simul ac uoce simulatorie demonstrauit dixitque michi, Scisne quid modo abhorrui ? Ecce angelus huius fratris suauissimis eum odoribus consolaturus aduenit, et in hac eius consolatione graue mihi tormentum incussit. Sed ecce profero tibi de thesauris meis alterius modi odoramenta, quibus ego uisitare consueui. Moxque ut uerbum protulit sulphureis aerem respersit fetoribus, intendens eorumdem successione precedentis illius suauitatis palliare fallaciam.

70 (117). Igitur cum et michi fecisset similia, ego multa perplexus ambiguitate diffidebam quidem de meritis, sed tamen hesitabam incertus ; quocumque pergerem mira circumfusus fragrantia uix ipsas manus audebam extrahere, ueritus eam de qua nondum conscius eram michi prodere suauitatem. Si gestarem calicem, ut interdum fieri solet pro hostia corporis dominici

deferenda, tanta de ipso calice michi uidebatur prodire miri odoris suauitas ut totus possem pre immensitate tante dulcedinis immutari. (118) Sed non passus est spiritus ueritatis maligni spiritus in longum durare fallacias. Nempe dum quadam die diuina celebraturus in quodam loco psalmum istum, Iudica domine nocentes me, pro pulsandis temptationibus efficacem cum aliqua attentione spiritus perorarem et iam istum ruminarem uersiculum, Omnia ossa mea dicent, domine quis similis tui ?, repente tanta super me effusa est odoriferi dulcoris immensitas ut reuera uiderentur omnes medulle meorum ossium irrigari. Stupefactus ergo et tali plus solito raritate perculsus oraui ad dominum ut, si dyabolicis hoc ageretur insidiis, sua gratia reuelaret nec iam calumpniari sineret pauperem a potente, cui aliunde certus non erat adiutor. Mox ut oraui ad dominum, in ipsius laudem refero, tantam recepi spiritus illustrationem intrinsecus et tam indubitatum per infusam ueritatem plene securitatis indicium, ut iam omnino nichil ambigerem cuncta hec fraudulenti hostis extitisse figmenta. (119) Iamque ex tunc reuelato iniquitatis archano, cum fratrem illum certum de dyabolica temptatione fecissem, ab utroque nostrum cessauit illius odoris immissio, atque ex tunc mala loqui cepit et turpia, qui prius sermones multos deuotione plenos nobis narrare consueuerat. Cui cum dicerem, Ubi nunc sunt pulchri sermones tui ?, respondit michi, Manifestum est nunc mee fraudis consilium, manifestam iam uolo exercere nequitiam.

De institutione antiphone Salue Regina post completorium

71 (120). Huius predicti fratris Bernardi tam fera uexatio prima fuit occasio qua permoti antiphonam Salue Regina post completorium decantandam instituimus apud Bononiam, que de domo eadem per omnem postmodum Lombardie cepit frequentari prouinciam, et sic demum in uniuersum ordinem hec pia et salutaris inualuit consuetudo. Quantis hec sancta laus uenerande matris Christi lacrimas deuotionis excussit. Quot audientium pariter atque psallentium liquefecit affectum, emolliuit duritiem et pium eorum cordibus inuexit ardorem ? An non credimus matrem redemptoris nostri talibus delectari laudibus, mulceri preconiis. Retulit michi uir quidam religiosus et fide dignus frequenter se uidisse in spiritu dum fratres canerent Eya ergo aduocata nostra ipsam matrem domini ante filii sui prosterni presentiam et pro totius ordinis conseruatione precari. Quod idcirco commemoratum sit ut legentium fratrum deuotio magis iam deinceps in laudem uirginis animetur.

JOURDAIN DE SAXE
LETTRE ENCYCLIQUE
(p. 676-681)

KAEPPELI Thomas, « B. Iordani de Saxoni litterae encyclicae (1233) », *AFP* 22 (1952), p. 182-185.

Filiis in Christo Ihesu karissimis fratribus universis in provincia Lombardie constitutis, frater Jordanus, eorumdem servus inutilis, salutem et spiritus fervorem.

Invitat caritas et suadet utilitas ut, qui presentialiter vobis, ut vellem, me exhibere non valeo, saltem scripto qualitercumque vos visitem, cum oportunitas ministratur. Siquidem in loco peregrinationis nostre, quamdiu pravum est cor hominis, proclivum ad vicia, desidiosum et languidum ad virtutes, exhortationibus indigemus, ut frater adiuvetur a fratre et ardorem spiritus, quem proprie negligentie tepor cotidianus absorbet, diligentia caritatis superne inflammet. Hinc est, filii mei dilectissimi, quod omni virtute vos precor et moneo, contestans per eum qui suo reverendo sanguine vos redemit et pia morte reparavit ad vitam, ut vestre professionis vestrique propositi non sitis immemores, sed semitarum memineritis antiquarum, per quas antecessores nostri festinaverunt in requiem in spiritu vehementi et iam regnant cum domino beata requie perhenniter consolati, letantes nunc pro diebus quibus humiliavit eos deus omnes, quibus viderunt mala. Qui, dum hic viverent, fuerunt emulatores spirituum, despectores sui, contemptores mundi, desideratores regni, fortes ad patientiam, voluntarii ad paupertatem, fervidi per amores.

E quibus unum fuisse arbitramur venerabilem et sancte memorie patrem nostrum Dominicum, qui, dum nobiscum in came viveret, spiritu ambulabat, desideria carnis non solum non perficiens, sed extinguens ; victu, vestitu et moribus veram in se exhibens paupertatem. In oratione continuus, in compassione precipuus, in lacrimarum effusione pro filiis [*vel* : profusus], id est animarum zelo fervidus ; ad aspera non remissus, ad adversa securus. Quantus apud nos in terris extitit, clamabant opera, virtutes et miracula testabantur. Quantus et nunc maneat apud deum, hiis diebus novissimis, quibus sacrum corpus eius a loco pristine sepulture ad locum venerabilem transtulimus, manifestum est signis, probatum virtutibus, prout alias vobis, ut confido, plenius innotescet.

Pro huiuscemodi laudandus redemptor noster, dei filius, Ihesus Christus, qui talem sibi famulum est dignatus eligere eundemque nobis patrem preficere, cuius nos institutio regularis informet et exemplum fulgide sanctitatis inflammet. O quanti estimatur apud ponderatorem spirituum vera cordis humilitas cum voluntaria paupertate. O quam pulcra est apud deum casta generatio cum claritate. Hiis pollebat virtutibus servus dei Dominicus, humilis in seipso, parcus sibi, emulans omnes dei emulatione, virgo et integer ex utero matris sue.

Non sic qui seipsos glorificant, qui, private laudis avidi, quo plus gratie perceperunt ad proximos, tanto sublimiora senciunt ad seipsos. Non sic et hii, qui commoda sibi querunt, paupertatem gerentes professione, non opere ; qui, cum contempsisse omnia debuerint, circa parva quedam etiam et indigna enerviter occupantur et nihil sibi deesse ex omnibus, que improba voluntas exigit, paciuntur. Sed nec hii nihilominus observant paterne regulam caritatis, qui inter nos existentes, gratiam predicationis sive consilii acceptam a domino abscondunt sub modio et talentum domini ligant sudario. Arguendi plane et utinam non maledicendi, qui abscondunt frumenta in populis nec dederunt in tempore tritici mensuram familiae Ihesu Christi. Ad hec accedit quedam iam notabilis negligentia plurimorum, dum prelati plerique non curantes de

studio, fratres ingeniosos et habiles tam frequenter remittunt sive in officiis quibuscumque constituunt, ut studere non possint. Et ipsi quoque lectores lectionis officium alicubi tam raro ac segniter exequuntur, ut non mirum sit, si cum tepore legentes tepidius audiantur. Quod si qui lectorum in officio lectionis fortassis diligenter extiterint, restat adhuc tercium ex parte fratrum periculum, quod videlicet auditores tam incuratos se prebent ad studia, tam raros ad cellam, tam desides ad repetitiones, tam insipidos ad exercicia questionum, aliquanti propter suas indiscretas devotiones liberius exercendas, aliquanti etiam propter ociositatis perniciosum et miserabilem appetitum, ut non solum sese negligant ac suis lectoribus inducant fastidium, sed et salutis oportunitatem multis subtrahant animabus, quas ad vitam eternam edificasse potuerant, si non negligenter, sed debite studuissent, propter quod multi sunt inter nos imbecilles et quasi dormiunt multi prelatorum vel doctorum, vel etiam propria negligentia pereuntes [*vel* : pereunt].

Inter hec autem felix ille, qui modum observat, medium non relinquit, qui sic a pusillanimitate spiritus simul et tempestate declinat, ut, cum multos edificet, a sui ipsius utilissima consideratione ac pervigili crebroque iudicio non recedat ; quem humani favoris aura non ventilat, sed ad omne quod agit, urget caritas et spiritus dei cogit ; qui nihil eorum in terram sinit cadere, que operatur aut loquitur, nec currit in incertum, pure atque simpliciter intendens in omnibus vel dei gloriam vel proximi edificationem propriamve salutem.

Hoc est, fratres, verbum, quod non capiunt universi. O quotiens affectionum nostrarum fedus incertusque discursus incedit per devia nec in veritate dirigitur nec finem debitum contemplatur. Multa loquimur, multa et operamur, plurima sustinemus, <per> que, si in nostris cordibus exuberaret caritas, ad verum finem, qui deus est, dirigens et ordinans universa, efficeremur utique multo uberiores in meritis longeque amplius divites in virtute. Nunc vero, dum vana frequentius cogitamus vaniusque afficimur nec intentiones cordium nostrorum ad plenum excoquimus, non mirum, si tarde perficimus, si lente nimis exurgimus ad perfectum.

Nec tamen dixerim quin nullos per dei misericordiam in vobis videam, super quibus gaudeo et gratias ago deo, qui pulcritudinis studium habentes, colunt conscientiam, perfectionem exquirunt et in predicatione laborant, in studio fervent, in orationibus atque meditationibus exardescunt, providentes dominum in conspectu suo semper tamquam suarum remuneratorem et iudicem animarum.

Vos qui tales estis, exultate, karissimi, et querite ut habundetis magis. Vos vero, qui nondum estis, date operam, adhibete solerciam, ut in eo crescatis in salutem, qui vos ad perficiendum, non ad tepescendum vocare dignatus est in gratiam, in qua statis, salvator noster bonus et pius, dei filius Ihesus Christus, cui est honor et imperium nunc et in eterna sæcula sæculorum. Amen.

MANDAT DE GRÉGOIRE IX POUR L'OUVERTURE DU PROCÈS DE CANONISATION (p. 685-687)

Gregors IX. Mandat zur Bestellung der Dreierkommission zur Untersuchung des Lebens un der Wunder des Dominikus, ed. A. Walz, *MOPH* 16, Roma: Ad S. Sabinæ, 1935, p. 115- 117.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis archidiacono Bononiensi, priori sancte Marie de Reno et fratri Palmerio canonico ecclesie de Campaniola ordinis sancti Augustini Bononien. et Reginen. diocesium, salutem et apostolicam benedictionem.

Visibilium et invisibilium conditor cunctipotens et eternus et si grata multorum perpetuitate bonorum populum reficiat quem plasmavit, illum tamen gratorum successiva recreat creatione novorum eo, quod illa humane conditionis affectibus et sue salutis effectibus sit votiva, prout probat inspectio florum amena recentium et exhibet perceptio fructuum gratuita novellorum. Igitur ad eternas delicias fidelibus exponendas, ad dandum gentibus fidei, spei et caritatis augmentum, ad dirigendos in viam pacis et claritatis eterne pedes in tenebris et mortis umbra sedentium solis et lune mirificus operator in celesti solio nova producit lumina lucis inextinguibilis emissiva, per que cordibus devotorum querentium luminis ineffabilis lucidissimas mansiones, immensitas exultationis infunditur et alias infinita beneficiorum genera conferuntur. Porro letantur plures huius presentia temporis solam stellam in die prospicere, qui decurse noctis tempore innumeras se recolunt inspexisse. Gaudebant et magi fulgorem syderum, que ab initio Dei sapientia fecerat intueri, sed spectantes stellam novam in Oriente, Regis nati nuntiam, gaudio inexplicabili sunt perfusi. Exultat nimirum et sancta mater ecclesia, cum in eius fulgido firmamento diversis sanctorum splendoribus illustrato fulget de novo sydus perspicuum singularis et precellentis luminis ostensivum, per quod ignorantium dominum tenebre propelluntur, per quod hereticorum perversum dogma confunditur et fidelium beata credulitas adaugetur. Sane gaudentes pridem accepimus, quod recolende memorie frater Dominicus, plantator Predicatorum ordinis et magister, divina misericordia faciente, aggregatus existat collegio supernorum, gloriam concesse beatitudinis signis exprimens gloriosis, nam circa sepulchrum eius et locis aliis per invocationem sui nominis et devotionis sincere suffragia multa miracula circa multos mirabilis in altis Dominus multipliciter operatur. Verum, etsi per virtutum insignia, quibus olim memoratus frater extitit multiformiter insignitus seu per famosa miracula, quibus eius sancta rutilare dicitur sepultura, celestis sponse vocibus de sanctorum esse numero debeat affimari, tamen quia mentibus ambiguis subito rei veritas non clarescit et repentinis non solet miraculorum relat<or>ibus quorundam spiritus exultare, eo, quod omne rutilum nomen auri non impetrat nec ebur quodlibet niveum imitatur, nos, quos providentia preambula decet festinos in certis et lentos in dubiis inveniri, discretioni vestre, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, mandamus, quatinus provide attendentes, quod lux vera sanctorum dominus Ihesus Christus signis publicis et prodigiis evidentibus trepidantia discipulorum pectora roboravit, mentes eorum nubilas de resurrectionis ammiranda gloria expresse certitudinis clarificans fulcimentis vitam et conversationem predicti fratris, quibus Deo et hominibus noscitur placuisse necnon miracula, que auctore Deo de sui corporis sanctitate procedunt, habita pre oculis sola divine reverentia maiestatis, per testes idoneos studeatis inquirere cauta diligentia et sollicitudine vigilanti, que in scriptis redacta sub sigillis vestris fideliter conservetis, illa nobis, postquam

mandatum apostolicum receperitis, per fideles et solempnes nuntios transmissuri. Quod si non omnes, etc.

Datum Laterani, III idus iulii, pontificatus nostri anno septimo.

PROCÈS DE CANONISATION
(p. 698-763)

Acta canonizationis S. Dominici, ed. Angelus WALZ, *MOPH* 16, Romæ : Ad S. Sabinæ, 1935, p. 91-194 *dépositions de Bologne*, p. 123- 167 ; *mandat des commissaires de Bologne aux délégués de Toulouse*, 169-712 ; *dépositions de Toulouse*, p. 176-187)

KOUDELKA Vladimír, « Les dépositions des témoins au procès de canonisation de saint Dominique », *AFP* 42 (1972), p. 64-67.

Nous utilisons pour les dépositions du Languedoc l'édition provisoire que nous a généreusement transmise le P. Simon Tugwell. Nous y avons maintenu la numération de l'édition Walz entre parenthèses

[DÉPOSITIONS RECUEILLIES À BOLOGNE]

Hec sunt testimonia recepta super vita, conversatione et transitu beati Dominici, fundatoris ordinis Predicatorum.

1. Testes recepti super vita, conversatione et transitu fratris Dominici plantatoris et fundatoris ordinis fratrum predicatorum et primi magistri, auctoritate domini Gregorii pape noni, per magistrum Tancredum, archidiaconum Bononiensem, et Thomam, priorem sancte Marie de Rheno, et fratrem Palmerium ecclesie de Campagnola Bononiensis et Regine diocesum. Et sunt introducti a fratre Philippo Vercellensi eiusdem ordinis canonico, constituto procuratore a fratre Ventura priore conventus et ecclesie sancti Nicolai ordinis fratrum predicatorum de Bononia et a capitulo eiusdem ecclesie, congregato more solito ad sonum campane in ipso capitulo. Et super miraculis, que Deus operatus est per merita fratris Dominici ante obitum eius et post. Et iuraverunt coram dictis inquisitoribus sub anno domini MCCXXXIII indictione VI[a].

[Testimonium fratris Venturae Veronensis].

2. Die VI° intrante augusto, frater Ventura Veronensis, presbiter et prior conventus ordinis fratrum predicatorum de Bononia.

Primus testis iuratus dixit, quod tredecim anni sunt et plus quod ipse testis intravit ordinem fratrum predicatorum ad inductionem et monitionem beati fratris Dominici, ordinis Predicatorum fundatoris et primi magistri, et in manu eius fecit professionem et ab eo habitum recepit. Et tunc temporis ipse beatus frater Dominicus habebat plenam potestatem et dispositionem et ordinationem et correctionem totius ordinis fratrum Predicatorum post dominum papam. Et eodem anno fuit celebratum primum generale capitulum ordinis, ipso teste presente apud Bononiam. Et tunc placuit ipsi fratri beato Dominico, quod diffinitores constituerentur in capitulo, qui haberent plenam potestatem super totum ordinem et super ipso magistro et ipsis diffinitoribus, scilicet diffiniendi, ordinandi, statuendi et puniendi, salva reverentia magistrali. Et stetit cum ipso fratre Dominico in civitate Bononia, et etiam eundo cum ipso extra civitatem Bononiam per provinciam Lombardie et multa familiaritate iungebatur ipsi magistro Dominico in eundo, redeundo, stando, comedendo, bibendo, iacendo, orando.

3. Item dixit, quod eundo per viam fere omnibus qui irent secum per viam, volebat proponere verbum Dei per se vel per alios. Et hoc scit, quia sepe vidit predicta. Et semper

volebat disputare de Deo vel conferre vel legere, dum in via erat, vel orare. Et etiam eundo fere singulis diebus celebrabat missam, si ecclesiam inveniebat. Et quando missam cantabat, multas lacrimas effundebat, sicut ipse testis vidit. Et quando veniebat ad hospitium, si erat ibi ecclesia, semper ibat ad orandum in ecclesia. Et fere semper cum esset extra conventum, cum audiebat primam pulsationem matutini monasteriorum, surgebat et excitabat fratres et celebrabat cum multa devotione totum divinum officium diurnum et nocturnum horis competentibus, ita quod nichil dimittebat. Et post completorium erat et faciebat esse socios suos in silentio, eundo in itinere ac si essent in conventu. Et inde mane dum ibat, faciebat fratres servare silentium omni die fere usque ad tertiam. Et dum erat in itinere iacebat in palea vestitus et calciatus sicut ambulabat in die, tamen credit, quod extrahebat sotulares.

4. Item dixit, quod eundo per viam observabat ieiunium continuum a festo exaltationis sancte crucis usque ad festum resurrectionis et etiam in estate omnia ieiunia ab ecclesia constituta et omnes sextas ferias. Et in itinere ea, que dabantur sibi ad comedendum, patienter comedebat, excepto quod non comedebat carnes nec aliqua cibaria condita cum carnibus vel sagimine scienter. Et si quando male procuraretur in via in cibo vel potu, inde videbatur gaudere. Et hoc scit, quia eundo cum eo videbat predicta. Et cum erat in itinere, quando veniebat ad locum, ubi haberent conventum fratres, convocatis fratribus faciebat eis sermonem et proponebat eis verbum Dei et multam consolationem.

5. Item dixit, quod quando frater beatus Dominicus erat in conventu, ubi moram deberet facere, conformabat se conventui in cibo et mensa et observabat regulam integre et plenissime et pro posse laborabat ut fratres sui observarent. Et omnia predicta scit, quia vidit eum omnia predicta facientem. Et nunquam recordatur, quod viderit vel audierit eum contraria facientem vel dicentem. Nec audivit unquam vel vidit, quod diceret verbum occiosum nec quod detraheret alicui. Item dixit, quod idem frater beatus Dominicus erat sapiens, discretus, patiens, benignus et multum misericors multumque familiaris et iustus, ita quod toto tempore vite sue non credit se vidisse aliquem hominem consideratis omnibus, qui magis polleret virtutibus, licet noverit et viderit multos bonos et religiosos in diversis partibus mundi. Et dixit, quod audivit eius confessionem in infirmitate, de qua migravit ad dominum, generaliter de omnibus actibus suis presentibus multis sacerdotibus et audientibus. Et credit eum numquam mortaliter peccasse, et credit eum semper virginem fuisse et hoc per confessionem generalem predictam, quam ab eo audivit. Et postea dixit ipsi testi in secreto : *Frater ego peccavi quia publice dixi de virginitate mea coram fratribus meis quod non debuissem dixisse.*

6. Item dixit, quod quando erat in itinere, visitabat loca religiosa cuiuscumque ordinis essent et predicabat eis et hortabatur ad bonum et sepissime vidit. Item dixit, quod si quis fratrum sui ordinis vel alieni tentationem vel turbationem haberet et iret ad eum loquuturus super hoc, valde bene hortabatur eos, ita quod fere omnes bene consolati recedebant ab eo. Et hoc sepissime vidit per provinciam Lombardie, scilicet apud Mediolanum et Columbam et alibi in multis locis. Item dixit, quod fere omni die nisi magna necessitate impeditus faciebat predicationem fratribus et collationem et multum plorabat et provocabat alios ad plorandum. Item dixit, quod zelator erat regule et rigide puniebat culpas fratrum, tamen in tanta dulcedine et benignitate verborum iniungebat penas, quod fratres patienter sustinebant. Item dixit, quod assiduus erat in officio. Item dixit, quod pro maiori parte noctis erat in oratione et sepissime pernoctabat in oratione et multum plorabat in oratione. Interrogatus, quomodo scit hoc, respondit quia sepissime invenit eum in ecclesia orantem et plorantem et aliquando victum a somno dormientem. Et propter multas vigilias precedentes sepissime dormitabat in mensa.

7. Item dixit, quod circa finem mensis iulii, sicut de tempore credit, fuit reversus de curia domini Ugonis tunc temporis Hostiensis episcopi et apostolice sedis legati, qui erat Venetiis, sicut ipse firmiter credit de loco. Et rediit ipse frater beatus Dominicus valde lassus, quia magnus calor erat. Et licet sic fatigatus esset, loquutus fuit cum ipso teste, qui tunc erat novus prior, et fratre Rodulfo usque ad magnam partem noctis de facto ordinis. Et dum iste vellet dormire, rogavit dictum fratrem beatum Dominicum, quod iret ad dormiendum et non surgeret in nocte ad matutinum, sed ipse non acquievit precibus istius, sed intravit in ecclesiam et pernoctavit in oratione. Et nichilominus interfuit ad matutinum, sicut audivit a fratribus et ab eodem fratre Dominico. Et post matutinum audivit a fratribus, quod ei dolebat caput. Et ex tunc cepit languere manifeste de illa egritudine, de qua migravit ad dominum. Item dixit, quod dum iacebat in ipsa egritudine, noluit iacere in lecto, sed in saccone, et faciebat vocari ad se fratres novicios et dulcissimis verbis et alacri studio consolabatur eos et hortabatur ad bonum. Et ita patienter sustinebat illam egritudinem et etiam alias, quod videbatur semper esse hilaris et iocundus.

8. Item dixit, quod dum graviter infirmaretur, fecerunt eum portare ad sanctam Mariam in monte, qui erat sanior locus. Et cum crederet se mori, vocavit istum priorem et fratres. Et iverunt illuc fere viginti fratres cum dicto priore. Et cum essent circa eum, ipse sic iacendo cepit predicare eis et fecit eis valde bonum sermonem et compunctivum, [et nunquam audivit magis edificativum sermonem ab ore eius], et sicut credit tunc inunxerunt eum. Et audivit tunc a quibusdam, quod monachus, qui erat tunc rector in dicta ecclesia, dixit, quod si moreretur ibi, non permitteret eum asportari, sed faceret eum sepeliri ad dictam ecclesiam. Sed cum ipse testis retulisset illa predicto fratri beato Dominico, ipse frater beatus Dominicus respondit : *Absit, quod ego sepeliar, nisi sub pedibus fratrum meorum. Portate me extra, ut ego moriar in vinea* [*editio :* via] *illa, ut possitis me sepelire ad ecclesiam illam nostram.* Et tunc sumentes reduxerunt eum Bononiam ad ecclesiam sancti Nicolai, timentes ne in via moreretur. Et cum fuisset illic, stetit per bonam horam et fecit vocari postea hunc testem et dixit ei : *Preparate vos.* Et cum prior iste et alii fratres preparassent se sollemniter ad commendationem anime et convenissent circa eum, ipse frater beatus Dominicus dixit huic priori et fratribus : *Expectate adhuc.* Et dum ista fierent, dixit ipse prior ei : *Pater, tu scis quomodo dimittis nos desolatos et tristes. Memento nostri, ut ores pro nobis ad Dominum.* Et ipse frater beatus Dominicus elevatis manibus ad celum dixit : *Pater sancte, tu scis, quia libenter perstiti in voluntate tua, et illos, quos dedisti michi, custodivi et conservavi. Et recommendo eos tibi, conserva et custodi eos.* Et dixit se audivisse a fratribus, quod cum rogarent eum de se, respondit eis : *Ego utilior ero vobis et fructuosior post mortem, quam fuerim in vita mea.* Et post paululum dixit idem frater beatus Dominicus huic priori et fratribus : *Incipite.* Et inceperunt officium commendationis anime sollemniter facere. Et sicut credit, ipse frater beatus Dominicus dicebat officium cum eis, quia movebat labia. Et dum officium facerent, finivit. Et crediderunt firmiter, quod cum dicerent verba illa : *Subvenite sancti Dei, occurrite angeli Domini, suscipientes animam eius et offerentes eam in conspectu altissimi*, quod tunc emisit spiritum. Et sicut credidit, ex benignitate et providentia Dei factum fuit, quod dominus Ugolinus Hostiensis episcopus, nunc apostolicus, et dominus patriarcha Aquilegiensis et multi venerabiles episcopi et abbates interfuerunt sepulture eius. Et ipse dominus Hostiensis episcopus, nunc apostolicus, celebravit missam et commendavit animam eius et fecit exequias. Et dixit quod in festo sancti Sixti proxime preterito fuerunt XII anni, quod migravit ad Dominum.

9. Item dixit, quod in eodem anno quo mortuus fuit, in hieme sequenti maximus odor sentiebatur in ecclesia veteri, ubi sepultus fuit, et per totam ecclesiam et precipue circa sepulturam. Et ipse testis sensit ipsum odorem. Et multi fratres de conventu senserunt, qui adhuc vivunt, sicut eos audivit dicentes. Et duravit per multos dies, sed nesciebant quis odor esset, credentes firmiter quod de sepultura exiret. Item dixit, quod sicut audivit et firmiter credit, Deus

multa miracula operatus fuit per ipsum beatum Dominicum in morte eius et post mortem eius in eo anno et sequentibus annis. Et hoc ideo credit et dixit, quia multi viri et mulieres veniebant ad sepulturam eius cum candelis et imaginibus et votis dicentes, quod Deus operatus fuerat miracula circa eos vel suos per merita beati Dominici. Et voluerunt quidam claudere sepulturam ipsius fratris et patris beati Dominici et cooperire pannis sericis, sed fratres timentes prohibuerunt, ne ordo inde propter multitudinem turbaretur et ne aliqui dicerent, quod propter cupiditatem vel iactantiam fratres facerent predicta vel fieri paterentur.

10. Item dixit, quod quando corpus fratris beati Dominici debebat transferri de loco, in quo erat, ad locum, in quo nunc est, ex mandato potestatis Bononiensis multi honorati cives custodierunt archam per multos dies, timentes ne subriperetur eis. Unde cum in nocte fratres venerunt ad aperiendum archam, presente potestate et multis civibus Bononiensibus et aliis honoratis viris et religiosis, episcopis et laycis, invenerunt sepulcrum bene clausum et cementum durum et valde forte, ita quod vix elevaverunt superiorem lapidem. Et cum elevatus fuisset lapis, exivit inde mirabilis et suavissimus odor et omnibus, qui ibi erant, incognitus et talis qui videbatur superare omnia aromata nec videbatur habere odorem alicuius rei humane. Et levato dicto lapide invenerunt capsam ligneam bene clausam et firmatam cum clavis ferreis, in qua dictum corpus dicti fratris beati Dominici requiescebat, quam similiter apperuerunt, et valde maiorem fragrantiam odoris statim senserunt, et ossa ipsius corporis, que erant in antiqua capsa, posuerunt in nova bene firmata cum clavi, quam semper tenebat potestas et tenet. Que postea in aurora in adventu archiepiscopi et multorum episcoporum aperta fuit et eumdem reddidit odorem. Et reposita fuit capsa cum ossibus per archiepiscopum et alios episcopos in novo sepulcro. Idem sepulcrum quod in octava die apertum fuit, presente potestate Bononiensi et multis aliis civibus et magistro Iordane et priore provinciali et multis aliis prioribus et fratribus ordinis presentibus et tunc magistro Iordane tenente in manibus suis caput dicti fratris beati Dominici quasi trecenti fratres de ordine predicatorum et ultra osculati fuerunt caput, sentientes eumdem inenarrabilem odorem. Et mirabilis et inenarrabilis odor remansit in manibus magistri Iordanis et ipsius testis et omnium illorum, qui tetigerunt de ossibus suis.

Interrogatus quomodo scit omnia predicta, respondit, quia interfuit omnibus predictis et vidit et sensit odorem non solum in ossibus et vestimentis et capsa et pulvere, sed etiam in suis manibus et aliorum fratrum qui tetigerant supradicta vel aliquid de supradictis. Item dixit, quod multotiens usque ad hoc tempus sensit hunc odorem incognitum.

11. Item dixit, quod in tantum erat zelator animarum, quod non solum ad fideles sed etiam ad infideles et gentiles et in inferno damnatos extendebat caritatem suam et compassionem et multum pro eis flebat et multum erat fervens quo ad se in predicando et ad alios in mittendo predicatores, in tantum etiam, quod desiderabat ire ad predicandum gentibus. Item interrogatus quomodo scit hoc, respondit, quia audiebat ab eo et ab aliis fratribus. Et in talibus tractatibus sepius fuit et cum eo etiam in collationibus.

Testimonium fratris Guilielmi de Monte ferrato.

12. Die septimo intrante augusto, frater Guilielmus de Monte ferrato de ordine predicatorum presbiter et iuratus dixit, quod sexdecim anni sunt vel circa tempus illud, quod ipse testis iverat ad urbem Romanam, ut celebraret ibi quadragesimam. Et dominus papa, qui tunc erat Hostiensis episcopus, recepit eum in domo sua. Et in diebus illis frater Dominicus ordinis predicatorum inventor et primus magister erat in curia Romana et sepe veniebat ad dictum dominum Hostiensem episcopum. Unde ex tunc habuit noticiam eius et placuit sibi conversatio

dicti fratris et cepit diligere eum. Et multociens tractabat cum eo de his que pertinebant ad salutem eorum et aliorum hominum. Et videbatur ipsi testi, quod esset multum religiosus magis quam aliquis homo quem umquam viderit, quamvis cum multis religiosis ipse testis loquutus fuisset. Et videbatur ei quod magis esset zelator salutis humani generis quam aliquis quem vidisset. Et in eodem anno ipse testis ivit Parisius auditurus theologiam, quia primo promiserat et convenerat cum ipso, quod postquam audisset per biennium theologiam et ille ordinasset fratres suos, ambo simul irent ad convertendos paganos qui morantur in [Prusia et] aliis partibus septentrionis. Et dum ipse studeret Parisius venit prefatus frater Dominicus illuc de Hispania. Et tunc ipse recepit habitum fratrum predicatorum ab eo et intravit ordinem. Et ex tunc conversatus fuit cum eo pluribus temporibus et diversis locis in eundo ad curiam Romanam, et alibi, eundo, stando, redeundo, comedendo, bibendo, iacendo, orando, cum eodem fratre sano et infirmo. Et dixit, quod toto tempore, quo fuit cum eo, vidit eum servantem regulam fratrum predicatorum et ordinem multum districte. Et bene dispensabat cum fratribus suis, sed secum non dispensabat. Et vidit quod ieiunia statuta in regula omnia servabat et in sanitate et in infirmitate. Et vidit eum euntem secum Romam patientem gravem infirmitatem, scilicet fluxum ventris, et tamen propter hoc non fregit ieiunium nec carnes comedit nec pictanciam fecit, nisi de pomis sive rapis aliquando. Et hoc scit quia semper erat in comestione cum eo. Et in infirmitatibus in quibus eum vidit eodem modo se habebat. Interrogatus ubi vidit eum infirmum alias, respondit apud Viterbium, sed non recordatur quam infirmitatem patiebatur.

13. Item dixit quod quamdiu fuit cum eo, licet sepe male procuraretur in cibo et potu et male reciperetur et male iaceret numquam audivit eum conquerentem de iis nec in infirmitate nec in sanitate. Item dixit quod quotienscumque debebat se collocare in loco, prius incumbebat multum orationi et pluribus vicibus cum fletu et lacrimis ita quod sepe excitabat ipsum testem et alios cum gemitu et planctu suo et sono. Et firmiter credit quod maiori spacio temporis erat in oratione quam in dormitione et semper iacebat indutus et cum cappa et cinctus et cum calligis calciatus, dum cum eo fuit. Et semper iacebat sine culcitra, videlicet in terra, tabula sive palea vel alio stramine. Silentium semper horis consuetis et debitis secundum ordinem observabat, a verbis occiosis abstinebat, et semper cum Deo vel de Deo loquebatur. Interrogatus qualiter scit ista que dixit, respondit, quia tamquam principalis socius conversabatur cum eo de die et nocte, eundo et stando, et videbat et audiebat premissa sicut predicta sunt.

14. Item dixit, quod firmiter credit quod idem frater Dominicus semper servavit virginitatem. Et hoc credit propter bonam conversationem quam vidit eum habere. Et quia hoc audivit a multis viris religiosis et ab aliis fide dignis qui cum eo longo tempore fuerunt conversati. Interrogatus a quibus hoc audivit, respondit, ab episcopo Oxomensi, cuius canonicus fuerat, et a canonicis, cum quibus fuerat in seculo conversatus, et ab aliis de quorum nominibus non recordatur.

15. Item dixit, quod interfuit translationi predicti fratris Dominici, quando corpus eius fuit translatum a priori sepultura in ecclesia in locum in quo nunc est. Et dixit quod prior provincialis et fratres ecclesie sancti Nicholai timebant ne fetor esset in sepultura ubi iacebat corpus, ideo quia locus erat valde depressus, et aque multe pluviales defluxerant ad locum sepulture et propter hoc nolebant quod extranei et layci interessent, quando apperiretur sepultura, sed non potuerunt facere, quin potestas cum viginti quatuor nobilibus et honoratis civibus Bononiensibus interessent in appertione dicte sepulture, quorum quidam custodiebant ipsam sepulturam antequam apperiretur pluribus noctibus. Et cum sublatus fuit lapis, qui superpositus fuerat dicte sepulture, et apparuit capsa lignea in qua iacebat corpus ipsius fratris Dominici exivit tunc de ipsa tumba odor suavis et delectabilis. Nec potuit umquam perpendere, cuius rei aromatice esset odor

ille. Et ipse et omnes alii senserunt ipsum odorem. Et inclinavit se et osculatus fuit capsam et maiorem sensit odorem. Hoc etiam fecerunt alii tam fratres quam seculares qui erant ibi, et senserunt eundem odorem et pre gaudio et devotione multum fleverunt. Tandem translatum fuit corpus ad locum in quo nunc iacet.

16. Item dixit se postea vidisse plures personas, que dicebant se passas fuisse graves infirmitates et diversas et se liberatas fuisse per merita beati Dominici. Sed non recordatur qui fuerunt vel qualiter nominarentur, quia non noverat eos ante, eo quod erat unus de diffinitoribus et non poterat intendere.

Testimonium fratris Amizi Mediolanensis.

17. Die VIII° intrante augusto, frater Amizo Mediolanensis, prior Paduanus, presbiter, iuratus dixit, quod magister Dominicus fuit homo humilis, mansuetus, patiens et benignus, quietus, pacificus et modestus, et in omnibus actibus et verbis suis valde maturus, pius consolator aliorum et maxime fratrum suorum, regularis observantie zelator precipuus, summus paupertatis amator tam in victu quam in vestitu fratrum ordinis sui, et sui, quam etiam in edificiis et ecclesiis fratrum et in cultu et in ornatu vestium ecclesiasticarum. Multum enim studuit ad hoc in diebus suis et operam dedit, quod fratres non uterentur in ecclesiis vestimentis purpureis et sericis tam super se quam in altaribus nec vasa aurea vel argentea haberent preterquam in calicibus.

18. Item dixit, quod fuit assiduus in oratione tam diebus quando vacabat quam noctibus. Et pernoctabat frequenter in oratione ita quod parum aut nichil inveniebatur in lecto. Item dixit quod integre ordinem suum super omne servabat nec de levi sibi parcebat in aliquo, sed plene tenebat conventum suum in choro et in refectorio et in aliis locis. Item dixit, quod erat multum fervens in predicatione et zelator animarum. Et ad hoc ipsum fratres suos invitabat. Item dixit, quod religiones et viros religiosos multum diligebat et commendabat. Interrogatus quomodo scit hec respondit, quia fuit conversatus cum eo aliquanto tempore. Et ex predictis plura vidit et cognovit in ipso pluraque audivit et firmiter credit ita fuisse.

19. Item dixit, quod audivit et credit, quod virgo semper usque in finem perseveravit et de hoc erat fama publica inter fratres. Item dixit, quod post translationem fratris Dominici nuper factam, nocte quadam, presente potestate Bononiensi cum multis militibus et magistro ordinis et priore provinciali aliisque multis fratribus et prioribus et ad hoc instantibus, aperta fuit capsa et archa et ostensa fuerunt ossa fratribus, inter quos unus ipse fuit. Et sensit ibi magni odoris suavitatem in deosculatione ossium, et aspectu et odorato eorum, et talem odorem nunquam meminit se sensisse.

Testimonium fratris Bonivisus.

20. Die nono intrante augusto, frater Bonusvisus, sacerdos de ordine Predicatorum, iuratus dixit, quod quatuordecim anni sunt et plus, quod intravit ordinem fratrum predicatorum et fuit conversatus cum beato fratre Dominico circa tempus decem mensium Bononie in claustro sancti Nicolai. Et etiam Rome, et redeundo Romam et Mediolani conversatus fuit cum eo. Et in infirmitate custodivit eum. Et dixit quod habebat hanc consuetudinem, scilicet quod quando fratres sui post completorium egrediebantur de ecclesia, ut irent dormitum, ipse frater beatus Dominicus, ut oraret, se in ecclesia occultabat. Et ipse testis cum hoc cognoscere vellet, quid dictus frater beatus Dominicus faceret in ecclesia, sepius se occultavit in ecclesia, et audiebat eum cum clamore maximo et lacrimis orantem Dominum, et cum gemitu maximo. Interrogatus,

quomodo scit quod esset frater beatus Dominicus, respondit, quia videbat eum, cum esset lumen in ecclesia, et eum voce similiter cognoscebat, ita quod bene certus est, quod erat frater beatus Dominicus. Item dixit quod firmiter credit, quod sepius pernoctabat in oratione, et hoc erat famosum inter fratres. Et cum vellet scire locum ubi iaceret, non potuit invenire quem locum haberet ipse proprium iacendi, sicut habebant alii fratres, sed quandoque inveniebatur in banco dormire, quandoque in terra, et quandoque in funibus cathedre vel cadeleti. Item dixit quod ita iacebat indutus in nocte, sicut ambulabat in die. Interrogatus quomodo scit hoc, respondit quia vidit, et communis fama erat inter fratres.

21. Item dixit, quod veniendo Romam cum eo, quando frater beatus Dominicus egrediebatur de aliqua civitate seu villa vel castro, discalciabat se et nudis pedibus ambulabat, et ipsemet portabat sotulares super scapulas, et nolebat dare ipsi testi, qui paratus erat portare, donec venirent prope aliquam civitatem vel villam seu castrum, et tunc calciabat se. Et exeundo iterum discalciabat, et ibat discalciatus donec veniret ad locum destinatum. Et cum semel venissent ad quemdam locum, ubi lapides erant acutissimi, tunc dixit ipsi testi : *En, ego miser. Hic fui coactus semel calciare me*. Et dictus testis quesivit quare. Et ipse magister Dominicus respondit, quia tunc pluerat. Interrogatus, quomodo scit hoc, respondit quia interfuit et vidit. Item dixit quod cum dictus testis ambularet cum dicto beato fratre Dominico in eadem via, invaserunt eum inundationes aquarum et pluviarum, ita quod rivi et flumina plurimum creverunt, et tunc ipse cum esset gaudens in tribulationibus, laudabat et benedicebat Deum cantando alta voce *Ave maris Stella*. Et finito isto hymno, incipiebat alium hymnum, scilicet *Veni creator Spiritus*. Et cantabat cum alta voce usque ad finem. Item dixit quod quando veniebat ad aquas magnas, que creverant propter inundationes et pluvias, dictus frater beatus Dominicus signabat aquas, et dicebat ipsi testi, qui timidus multum erat in aquis, quod ingrederetur in nomine Domini, et ipse confisus de signaculo crucis ab eo facto, et obedientia securus, intrabat aquas que periculose videbantur, et prospere cedebant ei. Item dixit quod aliquando iuvabat eum in celebratione misse et tunc inspiciebat vultum eius, et inspiciebat et videbat lacrimas decurrentes in faciem suam in tanta quantitate, quod una gutta non expectabat aliam. Et hoc etiam vidit eidem contingere in psalmodia.

22. Item dixit, quod quando debebant alicubi hospitari vel comedere, non sequebatur voluntatem suam, sed voluntatem fratrum suorum, qui secum erant. Et si male procurabatur, maiora signa gaudii ostendebat, quam si bene procuraretur. Interrogatus, quomodo scit hec que dicit, respondit, quia vidit, et fuit presens predictis. Item dixit, quod cum esset Mediolani, et custodiret eundem fratrem beatum Dominicum in infirmitate positum, et ipse haberet accensionem febris, non conquerebatur de infirmitate, sed videbatur ipsi testi, quod ipse in oratione esset et contemplatione. Et istud videbatur sibi propter quedam signa que videbat in facie sua, que quidem signa ipse consueverat habere tempore sanitatis, cum esset in oratione et contemplatione, sicut ipse bene noverat. Item dixit quod quando febris recesserat, tunc loquebatur de Deo cum fratribus, vel tenebat librum, vel faciebat sibi legi, et laudabat et de infirmitate gaudebat, sicut moris erat ipsius gaudere semper in tribulationibus, potius quam in prosperitatibus. Item dixit quod cum ipse testis esset procurator Bononie, in conventu Bononiensi et procuraret fratres in refectorio et deficeret panis in refectorio quadam die ieiunii, tunc frater Dominicus fecit signum ut apponeretur panis coram fratribus. Qui testis dixit ei, quod non erat ibi panis. Tunc frater Dominicus alacri facie elevavit manus suas et laudavit Dominum et benedixit, et statim incontinenti intraverunt duo, qui portaverunt duo canistra unum de pane, aliud de ficubus siccis, ita quod habundanter habuerunt fratres, et hoc dixit se scire, quia interfuit iis. Item dixit quod fuit valde humilis, benignus, pius, misericors, patiens, sobrius, zelator

paupertatis et salutis animarum et amator religiosorum et religionum omnium. Item dixit quod in se regulam rigide observabat, et dixit quod non reddebat malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed maledicentibus benedicebat. Interrogatus quomodo scit hoc quod dicit, respondit, quia conversatus fuit cum eo in eundo et redeundo, stando in sanitate, in infirmitate, comedendo, iacendo.

23. Idem dixit, quod post translationem corporis beati fratris Dominici de priori loco in quo iacebat, ad locum in quo nunc est, a magistro ordinis ostensa fuerunt ossa dicti magistri ordinis fratribus, qui non interfuerant translationi, quia multum illa desiderabant videre. Et ipse testis fuit tum presens, quando dicta ossa ostensa fuerunt presente potestate Bononiensi, et aliis quibusdam civibus, et priore provinciali, et aliis omnibus fratribus. Et odorem mirabilem suavissimum sensit egredientem ex ossibus, sed cuius rei aromatice esset ignorabat, sed videbatur ei, quod omnis rei aromatice odorem excederet, nec credit quod talis et tantus odor ibi posset esse, nisi miraculose a Domino celitus esset datus. Et non solum iste testis persensit istum odorem, sed multi alii senserunt, sicut sibi dixerunt positi a remotis.

24. Item dixit ipse testis, quod quando ipse erat novitius, cum non haberet aliquam peritiam predicandi, quia nondum in sacra pagina studuisset, predictus frater Dominicus precepit ei Bononie existenti, quod deberet ire Placentiam predicaturus ibidem. Et cum ipse propter imperitiam se excusaret, dulcissimis verbis eum induxit quod ire deberet. Et dixit : *Vade secure, quia Dominus tecum erit, et ponet verbum predicationis in ore tuo.* Et ipse testis obediens ivit Placentiam et predicavit ibi. Et tantam gratiam contulit sibi Deus in predicatione, quod ad predicationem eius tres fratres intraverunt ordinem predicatorum.

Testimonium fratris lohannis Hispani.

25. Die X° intrante augusto, frater lohannes Hispanus, sacerdos de ordine predicatorum, iuratus dixit, quod in illo anno, quo confirmatus fuit ordo fratrum predicatorum in concilio domini Innocentii pape III, ipse testis intravit ordinem ipsum. Et in festo sancti Augustini proxime venturo erunt decem et octo anni, sicut firmiter credit de tempore, quod recepit habitum de manu fratris Dominici plantatoris ipsius ordinis et primi magistri et ipsa die fecit professionem in manu predicti fratris in ecclesia sancti Romani apud Tholosam ; et ex tunc conversatus est cum dicto fratre Dominico, et stetit et ivit cum eo per diversa loca, et per diversas terras, tam de die quam de nocte, et dixit quod idem frater Dominicus erat in oratione assiduus die ac nocte. Item dixit, quod plus orabat quam ceteri fratres cum quibus conversabatur, plus etiam vigilabat, et maiores disciplinas in corpore suo accipiebat, et frequentiores. Et hoc scit, quia vidit eum predicta sepissime facientem. Item dixit se audivisse a quibusdam de fratribus, quod idem magister Dominicus faciebat se disciplinari, et etiam se disciplinabat cum cathena ferrea, que habebat tres ramos. Et de hoc erat fama publica inter fratres. Et dixit hoc se audivisse a fratribus qui ei disciplinas dederunt. Item dixit quod fratres peccantes secundum regulam puniebat, tamen peccantibus compatiebatur, et multum dolebat quando pro culpa aliquem puniebat.

26. Item dixit, quod proximis compatiebatur et salutem eorum ardentissime desiderabat. Sepe, et frequenter ipsemet predicabat et fratres ad predicandum modis, quibus poterat, inducebat, et mittebat ad predicandum, rogans et monens quod essent de animarum salute solliciti. Et multum confidens de Deo mittebat etiam simplices ad predicandum dicendo : *Ite secure, quia Dominus dabit verbum predicationis vobis et erit vobiscum, et nichil deerit vobis.* Et ibant, et cedebat eis sicut dicebat. Item dixit, quod cum esset cum dicto fratre Dominico apud Tholosam in conventu ecclesie supradicte, ipse frater Dominicus contra voluntatem comitis Montis fortis et

archiepiscopi Narbonensis et episcopi Tholosani et quorumdam aliorum prelatorum misit hunc testem, quamvis invitum, Parisius cum quinque fratribus clericis et uno converso, ut studerent et predicarent et conventum ibi facerent, et non timerent quia omnia eis prospera cederent. Et prelatis predictis et comiti et fratribus dicebat : *Nolite contradicere, ego scio bene quid facio*. Et tunc alios etiam misit in Hispaniam, et similia eis dicebat et precipiebat. Et dum ipse testis et socii studerent Parisius, data fuit ei et sociis a magistro lohanne decano sancti Quintini tunc regente in theologia Parisius et ab universitate magistrorum et scolarium Parisiensium ecclesia sancti lacobi, posita in porta Aurelianensi, ubi steterunt et fecerunt conventum, ubi multos bonos clericos receperunt, qui ordinem fratrum predicatorum intraverunt. Et multe possessiones et redditus eis tunc date fuerunt. Et omnia cesserunt eis prospere, sicut frater Dominicus eis predixerat. Et etiam temporibus ipsis data fuerunt ordini predicatorum castra et possessiones multe in partibus Tholosanis et Albigensibus. Item dixit, quod cum ordo predicatorum haberet castra et possessiones multas in partibus supradictis, pecuniam portarent in via secum et equitarent et superpellicia deferrent, prefatus frater Dominicus laboravit et fecit, quod fratres ipsius ordinis dimitterent et contemnerent omnia temporalia, et insisterent paupertati, et non equitarent, et viverent de elemosinis et nichil secum in via portarent. Et ita date fuerunt possessiones de Francia monialibus ordinis Cisterciensium et alie aliis. Et ut fratres fortius intenderent studio et predicationibus, voluit dictus frater Dominicus, quod conversi eius ordinis illiterati preessent fratribus literatis in administratione et exhibitione rerum temporalium, sed fratres clerici noluerunt, quod conversi preessent eis, ne contingeret eis, sicut contigit fratribus Grandimontensis ordinis de suis conversis. Interrogatus, quomodo scit omnia predicta, respondit, quia diu conversatus est cum dicto fratre Dominico. Et vidit ea que de eo dixerat, excepta disciplina de cathena, de qua supra dixerat. Et alia scit, quia vidit, et interfuit predictis, et contigerunt sibi et sociis suis.

27. Item dixit, quod omnibus divitibus, pauperibus, iudeis et gentilibus, quorum multi sunt in Yspania, se prebebat amabilem, et, ut vidit, ab omnibus amabatur, exceptis hereticis et inimicis Ecclesie, quos in disputationibus et predicationibus suis insequebatur et convincebat. Et tamen eos caritative ad penitentiam et conversionem fidei hortabatur, et commonebat, sicut predicta audivit et vidit. Item dixit, quod sicut ibat in die, sic iacebat in nocte, nisi quia extrahebat sotulares, et hoc dixit sepissime se vidisse. Item dixit quod quando idem frater Dominicus ibat de una terra ad aliam terram, discalciabat se, et ibat discalciatus usque ad aliam terram, et tunc calciabat se. Et iterum in egressu discalciabat se, et portabat ipse sotulares suos, et nolebat quod aliquis iuvaret eum in iis portandis. Interrogatus quomodo scit ista, respondit, quia hec audivit a fratribus, et sepe vidit ea. Et si quando offendebat pedem ad lapidem, alacri facie sustinebat, et non turbabatur, et dicebat : *Hec est penitentia*, sicut homo qui gaudebat semper in tribulationibus suis. Item dixit, quod paupertatem multum dilexit, et ut fratres eam diligerent eos studiosius admonebat. Interrogatus quomodo scit, respondit, quia in vilibus vestibus gloriabatur, et quia temporalia omnia dimisit, et eo presente fratres sepissime ad paupertatem hortabatur.

28. Item dixit, quod in cibo et potu fuit parcus, et in pictanciis maxime, ita tamen, quod licet cum aliis dispensaret, secum tamen dispensare nolebat, imo regulam in se totam rigide observabat. Interrogatus quomodo scit, respondit quia vidit hoc. Item dixit, quod quando ambulabat per civitates et villas, oculos a terra vix elevabat, et hoc scit quia cum eo ambulavit per civitates et villas, et vidit ea. Item dixit, quod non habebat locum proprium ad iacendum sicut alii fratres. Interrogatus, quomodo sciret hoc, respondit, quia si locum proprium habuisset, bene scivisset, maxime cum studiosus fuerit in querendo. Item dixit, quod bis vel ter electus fuit in episcopum, et ipse semper renuit, volens potius cum fratribus suis in paupertate vivere, quam

aliquem episcopatum habere. Interrogatus quomodo scit hoc, respondit, quia non solum de hoc communis fama erat tunc temporis inter fratres, sed etiam apud omnes alios laicos et clericos. Interrogatus, ad quos episcopatus fuit electus, respondit, ad Biterensem et Convenarum. Interrogatus, quando hoc fuit, respondit antequam intraret ordinem predicatorum.

29. Item dixit, quod raro loquebatur nisi cum Deo, scilicet orando, vel de Deo, et de hoc monebat fratres suos. Item dixit, quod semper vidit eum letum in presentia hominum, sed in orationibus frequenter plorabat. Et hoc scit, quia vidit et audivit eum plorantem. Item dixit, quod audivit tempore vite ipsius fratris Dominici, et etiam post, quod permansit in virginitate usque ad mortem, et de hoc est fama publica inter fratres. Item dixit se audivisse aliquando ab eo dici, quod desiderabat flagellari et frustatim incidi et mori pro fide Christi. Item dixit, quod dictus frater Dominicus sepe monebat et hortabatur fratres dicti ordinis verbis et litteris suis, quod semper studerent in novo et veteri testamento. Et hoc scit, quia audivit eum illa dicentem, et litteras eius vidit. Item dixit quod semper gestabat secum Matthei evangelium et epistolas Pauli. Et multum studebat in eis, ita quod fere sciebat eas cordetenus. Item dixit se audivisse a canonicis dicti fratris Dominici, et a multis aliis viris et fide dignis, quod quando ipse frater Dominicus erat in seculo, et studebat Palentie, invaluit fames in regione illa, ita quod pauperes fame affligebantur et multi moriebantur. Unde dictus frater Dominicus motus pietate et caritate vendidit libros et omnia que habebat et dedit pro cibo pauperum ; cuius exemplo, sicut audivi, multi multa dederunt.

Testimonium fratris Rodulfi.

30. Die XI° intrante augusto, frater Rodulfus, qui fuit de Faventia, de ordine predicatorum sacerdos, iuratus dixit, quod ipse erat rector et capellanus ecclesie sancti Nicolai de Bononia, quando data fuit fratribus predicatoribus a domino Bononiensi episcopo dicta ecclesia sancti Nicolai, ad preces venerabilis patris domini Ugolini, tunc temporis Hostiensis episcopi, et apostolice sedis legati, et nunc summi pontificis. Et sunt quatuordecim anni et plus, quod hoc fuit. Et eodem anno venit frater Dominicus primus magister ordinis predicatorum, et eiusdem ordinis inventor. Et a dicto tempore, ex quo venit Bononiam, usque ad finem vite sue stetit in dicta civitate Bononie, nisi quando ivit ad curiam Romanam, et visitavit quasdam terras Lombardie et etiam civitatem Venetiarum. Et toto tempore quo frater Dominicus stetit in civitate Bononiensi, ipse testis conversatus fuit cum eo in ecclesia, in officio, in dormitorio, in refectorio, de die ac nocte, quoniam ipse testis erat procurator domus et fratrum, et unus de ordine, quia fecerat professionem antequam dictus frater Dominicus veniret Bononiam. Et bene novit personam et vitam ipsius Dominici.

31. Item dixit, quod dictus frater Dominicus habebat consuetudinem sepissime pernoctandi in ecclesia, et multum orabat et in oratione plorabat cum lacrimis et multo gemitu. Interrogatus quomodo scit predicta, respondit, quia sepissime sequebatur eum in ecclesia, et videbat eum. Et stabat sepe cum eo de nocte, et videbat eum sepe sic orantem et plorantem audiebat. Et sepe vidit eum stantem in oratione in summitate pedum, et tenebat manus elevatas quasi esset in oratione. Item interrogatus, quomodo vidit eum cum esset de nocte, respondit quia lumen erat semper in ecclesia. Et ipse testis ponebat se ad orandum prope ipsum, quia erat multum familiaris ei. Et pro certo dixit, quia multum erat devotus et assiduus in oratione magis quam aliquis homo quem unquam vidisset. Item dixit, quod dictus frater Dominicus semper portabat cathenam ferream cinctam ad carnem super lumbos. Et portavit eam sic cinctam usque ad mortem. Interrogatus, quomodo scit, respondit, quia cum mortuus fuit, invenit eum cinctum dicta cathena,

et ipse accepit eam, et habuit eam, sed postea dedit magistro ordinis, scilicet magistro Iordani. Item dixit, quod semper iacebat de nocte ita indutus sicut ambulabat in die, nisi quia extrahebat sotulares, et quandoque iacebat in terra, quandoque super quandam cratem, super quam ipse testis consuevit extendere quemdam pannum, super quem ipse iacebat, et sepissime ipse dormiebat sedendo. Item dixit, quod sepe dormiebat in mensa propter multas vigilias et propter pernoctationes quas faciebat in oratione. Item dixit, quod assiduus erat in officio, et semper sequebatur conventum tam in officio quam in mensa, et reficiebatur eisdem cibis quos manducabat conventus. Et quando ipse testis, qui procurator erat, faciebat pictanciam fratribus aliquam, ipse frater Dominicus vocabat eum, et sub silentio, et dicebat ei : *quia interficis fratres, dando eis pictancias*. Item dixit, quod quando panis vel alia cibaria seu vinum deficiebat in domo, ibat ad dictum fratrem Dominicum, et dicebat ei : *Non habemus panem vel vinum*. Et ipse dicebat : *Vade et ora, quia Dominus providebit*. Et ipse testis ibat in ecclesiam ad orandum, et dictus frater Dominicus sepe sequebatur eum, et sic faciebat Deus, quod semper habebant idoneas sustentationes. Et quandoque illum modicum panem, quem habebant, de mandato eius ponebat in mensa, et Dominus supplebat defectum eorum. Item dixit, quod ipse frater Dominicus plenissime servabat regulam et ordinem fratrum predicatorum et quoad se et quoad alios in vestimentis, in cibo et potu, in ieiuniis et omnibus aliis. Et hoc scit, quia conversabatur cum eo et sepissime videbat predicta.

32. Item firmiter dixit, quod nunquam vidit hominem qui tantum sibi placeret in religione et devotione, quantum dictus frater Dominicus. Item dixit, quod desiderabat salutem omnium animarum tam christianorum quam etiam saracenorum, et specialiter Cumanorum, et aliorum, et magis erat zelator animarum, quam aliquis homo quem unquam viderit. Et sepe dicebat, quod desiderabat ire ad cumanos et ad alias gentes infideles. Item dixit, quod erat hilaris, iocundus, patiens, misericors et benignus et fratrum consolator. Et si quem videbat fratrem in aliquo delinquentem, quasi non videret pertransibat, sed postea placido vultu, et blandis verbis dicebat : *Frater, tu male fecisti, confitere*. Et benignis verbis omnes ducebat ad confessionem penitentie. Et licet cum humilitate verborum graviter puniebat excessus eorum, tamen consolati ab eo recedebant. Item dixit, quod dictus frater Dominicus multum diligebat paupertatem et hortabatur fratres ad paupertatem. Et hoc scit, quia quando dictus frater Dominicus venit Bononiam, dominus Hodericus Galliciani volebat dare fratribus quasdam suas possessiones, que valebant bene ultra quingentas libras Bononienses. Et facta erat inde carta coram domino Bononiensi episcopo, sed ipse frater Dominicus fecit rescindi contractum et noluit quod haberent illas vel aliquas alias possessiones sed solummodo viverent de elemosinis, et parce, quoniam si haberent in domo, unde possent vivere in die, nolebat quod reciperent aliquid illa die, nec mitterent pro elemosinis. Et volebat quod haberent parvas domos et viles vestes. Et etiam in ecclesia nolebat quod essent panni serici, sed essent indumenta de buchirano vel de aliquo alio panno. Item dixit, quod nolebat quod fratres intromitterent se de temporalibus, nec de facto domus, nec de consiliis temporalium, exceptis illis quibus commissa fuerat cura domus, sed volebat quod alii semper essent intenti lectioni, orationi vel predicationi. Et si quem fratrum sciret utilem ad predicandum, nolebat quod iniungeretur ei aliquid officium aliud. Item dixit, quod semper volebat in domo et in via loqui de Deo vel de salute animarum. Et numquam audivit verbum otiosum vel nocivum seu detractionis exire de ore eius. Et omnia predicta dixit se scire, quia conversabatur cum eo de die et nocte. Et videbat et audiebat eum predicta facientem et dicentem.

33. Item dixit, quod multum erat sollicitus et devotus et assiduus in predicationibus et confessionibus. Et sepe plorabat in predicationibus et movebat audientes ad plorandum. Item dixit quod tempore, quo primum capitulum fratrum predicatorum fuit celebratum in civitate

Bononiensi, dictus frater Dominicus dixit inter fratres : *Ego sum dignus depositionis, quia ego sum inutilis et remissus*. Et humiliavit se multum in omnibus. Et cum fratres nollent ipsum deponere, placuit ipsi fratri Dominico, quod constituerentur diffinitores qui haberent potestatem, tam super ipsum quam super alios et super totum capitulum, statuendi, diffiniendi et ordinandi, donec duraret capitulum. Item dixit, quod quando dictus frater Dominicus erat in infirmitate de qua et mortuus est, fratres erant circa ipsum et plorabant. Et ipse testis tenebat caput eius cum quadam tovalia. Et tergebat faciem eius de sudore. Et frater Dominicus dixit : *Nolite plorare, quia ego utilior ero vobis ad locum, ad quem vado, quam fuerim hic*. Interrogatus, qui erant tunc presentes, respondit multi fratres, de quorum nominibus non recordatur. Item dixit, quod unus fratrum tunc interrogavit eum, et dixit ei : *Pater, ubi vultis sepeliri corpus vestrum ?* Et ipse dixit : *Sub pedibus fratrum*. Item dixit, quod firmiter credit, quod cum dicebant fratres, qui faciebant officium commendationis anime ipsius fratris Dominici, verba illa : *Subvenite sancti Dei, occurrite angeli Domini, suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu altissimi*, quia tunc emisit spiritum. Et dixit, quod ista dicta et facta fuerunt in quadam cella apud sanctum Nicolaum. Item dixit, quod nunquam vidit ipsum iacentem in lecto plume nec etiam in saccone, nisi tunc quando mortuus fuit, quia tunc iacebat in saccone. Item dixit, quod quando idem frater Dominicus erat in articule mortis, dixit fratribus : *Parate vos*. Et fratres iverunt et paraverunt se, et dum fieret commendatio anime, emisit spiritum tenendo manus elevatas versus celum.

34. Item dixit, quod ipse testis fecit fieri sepulturam, et invenit lapidem qui fuit superpositus sepulture, et fecit fieri capsam ligneam, in qua corpus fuit clausum cum clavis ferreis. Et ipse clausit ipsum corpus in capsa lignea cum clavis ferreis, et diligenter custodivit, donec sepultum fuit. Et nulle species, nulle res aromatice fuerunt posite in capsa vel sepultura, nec potuissent esse quin ipse vidisset, quoniam ipse erat procurator domus et omnia ad mandatum eius fiebant. Item dixit, quod fuit unus de illis, qui apperuerunt sepulturam ipsius fratris Dominici, in qua primo sepultus fuit, quando translatum fuit corpus ad locum, in quo nunc est. Et ipse met cum malleis ferreis fregit murum sepulture, qui murus erat multum fortis et cum forti et duro cemento compositus. Et cum palo ferreo elevavit lapidem superiorem, quia sepulcrum erat valde magnis lapidibus munitum et cum cemento firmatum. Quod diligenter fieri fecerat a principio, ne aliqui furarentur corpus illud. Et quando dictus testis elevavit lapidem illum cum palo ferreo, et aperta fuit sepultura, magnus, imo maximus, et suavis et delectabilis odor et sibi incognitus exivit de sepultura. Et non credit quod fuerit similis odori alicuius rei aromatice. Et ita magnum sensit odorem, quod nec in apotheca specialium nec in aliquo loco ita magnum vel similem senserit odorem. Et hoc idem testabantur omnes qui erant ibi, scilicet episcopi, clerici, potestas Bononiensis et multi honorati cives, qui custodiebant sepulcrum. Et odor ille remansit postea multis diebus in priori sepultura et in rebus in ea positis et in vestimentis et in manibus illorum, qui illa tetigerunt. Et adhuc hodie durat in ossibus predicti fratris Dominici. Et predicta scit, quia vidit et interfuit et manibus suis contrectavit.

Testimonium fratris Stephani.

35. Die XIII° intrante augusto, frater Stephanus, prior provincialis ordinis predicatorum provincie Lombardie, iuratus dixit, quod quindecim anni sunt et plus, quod novit magistrum Dominicum fundatorem et plantatorem ordinis fratrum predicatorum et primum magistrum, sed ante quam haberet per visum noticiam persone ipsius, audivit multa bona de eo a magnis viris fide dignis, scilicet quod cum esset prior vel supprior ecclesie Oxomensis, cuius erat canonicus, studebat apud Palentiam in divina pagina. Et tempore illo incepit invalescere fames pessima in

regione illa, ita quod multi pauperes ibi fame moriebantur. Unde idem frater Dominicus motus compassione et misericordia vendidit libros suos manu sua glossatos, et precium ipsorum et alias res quas habebat dedit pauperibus dicens : *Nolo studere super pelles mortuas, et homines moriantur fame.* Cuius exemplo quidam magne auctoritatis similia fecerunt, et ex tunc cum eo predicare coeperunt. Et sicut intellexit, post paucos dies venit idem frater Dominicus ad partes Tholosanas cum episcopo Oxomensi ad predicandum, et precipue contra hereticos. Et ibi instituit et ordinavit ordinem fratrum predicatorum.

36. Item dixit, quod cum studeret Bononie ipse testis, prefatus magister Dominicus venit Bononiam et predicabat scolaribus et aliis bonis hominibus, et ipse testis confitebatur ei peccata sua, et videbatur sibi quod diligeret eum. Et quodam sero, dum ipse testis vellet cenare in hospitio suo cum sociis suis, prefatus frater Dominicus misit duos fratres dicentes huic : *Frater Dominicus mandat vobis quod statim veniatis ad eum.* Et ipse dixit : *Cum cenavero, veniam ad eum.* Et ipsi dixerunt : *Imo statim veniatis.* Et surgens relictis omnibus venit ad eum. Et invenit eum cum multis fratribus apud ecclesiam sancti Nicolai. Et dictus frater Dominicus dixit fratribus : *Instruite eum, qualiter petat veniam.* Et venia facta, misit se in manibus eius. Et antequam recederet, eum induit habitum fratrum predicatorum, dicens : *Ego volo dare tibi arma, cum quibus toto tempore vite tue debeas pugnare contra diabolum.* Et multum ipse testis miratus fuit tunc et etiam postea, quo instinctu ipse frater Dominicus sic vocavit eum et induit eum habitum fratrum predicatorum, eo quia primo nichil cum eo tractaverat de conversione ipsius ad religionem. Credit tamen quod divina inspiratione vel revelatione hoc fecit.

37. Item dixit quod dictus frater Dominicus fuit optimus et summus consolator in tentationibus fratrum et aliorum. Et hoc scit, quia cum in principio conversionis ipsius erat novitius, multas et varias tentationes habuit. De quibus per admonitionem et predicationem eius plenam consolationem recepit. Hoc idem contigit multis aliis fratribus novitiis, sicut ab eis audivit. Et dixit ipse testis quod post conversionem suam stetit cum dicto fratre Dominico in claustro sancti Nicholai Bononie fere per annum, et magnam familiaritatem habuit cum eo. Et toto predicto tempore, quo conversatus fuit cum predicto fratre Dominico, dixit, se non audivisse malum vel nocivum seu occiosum verbum ab ore eiusdem fratris Dominici. Item dixit quod in predicationibus erat assiduus et sollicitus, et verba habebat ita commotiva quod sepissime commovebat se et auditores ad fletum, ita quod nunquam audivit hominem, cuius verba ita commoverent fratres ad compunctionem et fletum. Item dixit, quod consuetudo sua erat, ut de Deo vel cum Deo semper in domo et extra domum et in via îoqueretur. Et ad hoc idem hortabatur fratres, et etiam in constitutionibus suis posuit. Et hoc scit, quia vidit et interfuit et audivit et conversatus fuit cum eo. Item dixit quod erat assiduus et devotus in oratione super omnes homines, quos unquam vidit. Hanc vero consuetudinem habebat, sicut dixit se vidisse, quia post completorium et orationem communiter factam a fratribus, faciebat eos intrare dormitorium, et ipse remanebat in ecclesia in oratione. Et in nocte, dum orabat, ad tantum gemitum et planctum prorumpebat et movebatur, quod fratres, qui erant in vicino, excitabantur a somno ; et quidam eorum ad lacrimas commovebantur. Et sepissime in oratione pernoctabat usque ad matutinas. Et nihilominus stabat in matutinis circumeundo utramque partem chori, monendo et sollicitando eos, ut alte et devote cantarent. Et ita pernoctabat in oratione, quod numquam recolit, se eum vidisse dormientem in lecto de nocte, licet quidam locus appropriaretur ei ad iacendum, ubi erat solummodo cooppertorium extensum super cadeletum unum sine palea et sine saccone, cum tanto tempore stetisset in uno claustro cum eo, et sollicite perquisivisset, et sepissime, si eum invenire posset in lecto.

38. Item dixit, quod sepissime vidit eum celebrare missam, et semper in canone misse vidit oculos et maxillas eius lacrimis irrigari. Et cum tanta devotione celebrabat, et orationem dominicam in missa dicebat, quod bene poterant circumstantes devotionem eius intelligere. Et numquam recolit, eum se vidisse missam celebrantem, quin ita moveretur ad lacrimas, sicut superius dixit. Et hec omnia dixit, se vidisse et audivisse, sicut superius testificatus est. Item dixit, quod ipse erat zelator et conservator ordinis et regule et consolator fratrum magis quam aliquis homo, quem umquam viderit Et vix credit, quod unquam similem sibi in predictis habeat successorem. Item dixit, quod ipse frater Dominicus erat amator paupertatis. Et hoc audivit sepissime eum predicantem et fratres hortari ad paupertatem. Et si quando sibi vel collegio fratrum offerebantur possessiones, nolebat cas recipere, nec permittebat fratres recipere. Et volebat, quod haberent viles domos et parvas. Et ipsemet vilissimum habitum portabat et viles pannos. Interrogatus quomodo scit hoc, respondit, quia vidit eum sepissime portare vilissimum et curtum scapulare. Nec volebat ipsum cappa cooperire etiam in presentia magnorum. Item dixit, quod cum haberent fratres apud sanctum Nicolaum cellas vilissimas et parvas frater Rodulphus, qui erat procurator fratrum, in absentia eiusdem fratris Dominici quasdam cellas coepit per brachium elevare. Sed revertens dictus frater Dominicus cum videret cellulas elevatas, coepit cum fletu pluries predictum fratrem Rodulfum et fratres alios reprehendere, dicendo et aliis fratribus: *Vultis tam cito paupertatem relinquere et magna palatia edificare*. Unde iniunxit eis, quod predictum opus dimitterent, et sic stetit imperfectum, donec vixit. Item dixit quod sicut amaverat paupertatem in se, sic amavit eam in fratribus suis. Unde iniunxit eis, ut vilibus vestibus uterentur et in via pecuniam numquam portarent, sed ubique de elemosinis viverent. Et hoc fecit in regula sua scribi. Item dixit dictus testis quod fuit parcus in cibo et potu. Interrogatus quomodo scit, respondit quia vidit multotiens in refectorio, quando fratres habebant duo pulmenta seu duo fercula, quod unico erat contentus. Et aliis fratribus comedentibus ipse frater Dominicus quasi semper super mensam dormiebat propter nimias vigilias, quibus adeo fatigatus erat, et parum comedebat et parum bibebat, et ideo sic a sommo super mensam quasi violenter occupabatur.

39. Item dixit quod firmiter credit, quod dictus frater Dominicus fuerit virgo mente et corpore usque ad finem vite sue. Interrogatus quomodo hoc credit, respondit, quia et prefatus frater Dominicus sibi fuit confessus, et nunquam ex sua confessione potuit intelligere eum peccasse mortaliter. Item dixit quod erat patiens et gaudens in tribulationibus. Interrogatus quomodo scit, respondit, quia videbat eum in necessitatibus suis et in indigentiis suis et fratrum, quas patiebatur in illo tempore in victu et vestitu iocundari et letari. Item dixit predictus testis quod firmiter credit, quod gratia que his temporibus collata est fratribus predicatoribus in Lombardia et etiam in aliis provinciis, precibus et meritis fratris Dominici sit collata vel etiam augmentata. Interrogatus quare hoc credit, respondit quod ab illo tempore, postquam frater lohannes Vincentinus cepit predicare revelationem sibi de fratre Dominico divinitus factam et vitam et conversationem et ipsius sanctitatem populo nunciare, et ipse testis eum aliquibus fratribus cepit tractare de translatione corporis predicti fratris Dominici, ex tunc manifeste refulsit et apparuit amplior gratia tam in fratribus, qui eius vitam et sanctitatem predicabant, quam etiam in populis qui eos audiebant, sicut patet per effectum in civitatibus Lombardie, in quibus maxima multitudo hereticorum est combusta, et plusquam centum millia hominum. qui nesciebant utrum ecclesie Romane an hereticis deberent adherere, ad catholicam fidem Romane ecclesie per predicationes fratrum predicatorum ex corde sunt conversi. Et hoc scit quia illi conversi hereticos, quos primo defendebant, modo persequuntur et abhominantur. Et fere omnes civitates Lombardie et Marchie facta sua et statuta ordinanda et mutanda ad voluntatem fratrum tradunt in manibus eorum, ut radant, addant, minuant et mutent, secundum quod eis visum fuerit expedire.

Et hoc etiam faciunt de guerris extirpandis et pacibus faciendis et componendis inter eos. Et de usuris et male ablatis reddendis et confessionibus audiendis et multis aliis bonis, que longum esset enarrare.

40. Item dixit predictus testis, quod ordinavit de die et modo transferrendi corpus predicti magistri Dominici, et interfuit ipsi translationi cum multis fratribus, potestate Bononiensi et multis honoratis civibus ipsius civitatis et aliis multis aliarum civitatum, in quorum presentia ipse testis cum aliis fratribus palis ferreis et piconibus ceperunt fodere. Et invenerunt terram duram et cementum fortissimum et durum, cum quo clausum erat sepulcrum. Et elevantes lapidem, qui superpositus erat sepulcro, tantam senserunt odoris fragrantiam tam ipsi quam omnes circumstantes, quod ipse, ut asserebat, narrare non posset, cum nullius rei mundane videretur habere odorem. Propter cuius odoris fragrantiam tam fratres quam omnes circumstantes prostraverunt se ad terram cum lacrimis, laudantes et benedicentes Dominum, qui tam mirifice sanctum suum ostendit fore glorificandum. Et invenerunt capsam ligneam, in qua corpus predicti fratris Dominici reconditum erat, clavis ferreis fortiter clausam et firmatam, quam similiter apperuerunt, et tunc ex ea maior odor primo odore spiravit. Et tunc cum reverentia et devotione magister accepit ossa cum pluribus fratribus de antiqua capsa et posuerunt ea in nova capsa ; quam capsam ipse testis et magister lordanis eum aliis fratribus, presente domino episcopo Ravennate et aliis pluribus episcopis et clericis et potestate Bononiensi cum multis aliis civibus Bononiensibus, ad sepulcrum marmoreum, in quo est, transtulerunt. Item dixit predictus testis, quod per plures dies postmodum sentiebat vestigia primi odoris tam in suis manibus, quam aliorum, qui ossa dicti fratris Dominici tractaverunt. Et hec omnia predicta scit, quia vidit et interfuit, et suis manibus tractavit, et odorem in suis manibus et aliorum fratrum, qui predicta tractaverunt et tetigerant, postmodum pluries persensit.

Testimonium fratris Pauli Veneti.

41. Die XVI° intrante augusto, frater Paulus Venetus et sacerdos de ordine predicatorum iuratus dixit, quod quatuordecim anni sunt et plus, quod intravit ordinem predicatorum Bononie et professionem fecit in manibus magistri Reginaldi. Et recepit habitum in dominica, in qua cantatur evangelium Cananee. Et magister Dominicus in sequenti estate venit Bononiam. Et ab eo tempore, quo venit magister Dominicus in civitatem Bononiensem, dictus testis magnam familiaritatem habuit cum eo et diu conversatus fuit cum eo stante in conventu Bononiensi, et eundo fere secum per totam marchiam Trivisinam, comedendo, bibendo, stando, eundo et in officiis tam de die quam de nocte fere per duos annos. Item dixit, quod non meminit se audivisse ab eo verbum occiosum vel detractionis aut adulationis vel nocivum. Imo quando erat secum in itinere, vidit aut eum orare aut predicare aut ipse vacabat orationi aut meditationi de Deo. Interrogatus, quomodo scit, respondit, quia dictus magister Dominicus dicebat ipsi testi et aliis, qui cum eo erant : *Procedite et cogitemus de Salvatore nostro.* Et audiebat eum gementem et suspirantem. Item dixit, quod ubicumque esset dictus magister, de Deo vel cum Deo semper loquebatur, et ad hoc hortabatur fratres suos, et in regula fratrum predicatorum hoc scribi fecit. Interrogatus quomodo scit hoc, respondit quia diu conversatus fuit cum eo, et vidit et audivit hoc. Item dixit quod nunquam vidit eum iratum nec commotum nec turbatum nec in labore itineris nec in fervore passionis nec alibi, sed vidit eum in tribulationibus gaudentem et in adversitatibus patientem.

42. Item dixit, quod diligebat paupertatem habere in se et in ordine, et ad hoc hortabatur fratres. Item dixit quod quando dictus magister erat Bononie, quidam Bononienses volebant dare possessiones quasdam ordini, et ipse noluit recipere. Et prohibuit fratribus, ne reciperentur. Et posuit in constitutionibus suis, ne possessiones reciperentur in ordine. Item dixit, quod habitum vilissimum portabat, et in exitu viarum et civitatum se discalceabat, et nudis pedibus itinerando ambulabat. Et hoc sepissime vidit eundo secum per viam. Item dixit, quod vidit ipsum fratrem beatum Dominicum quandoque euntem hostiatim querendo elemosinas et recipere panem sicut pauper. Et apud Duliolum dum quereret elemosinas, quidam homo obtulit ei unum panem integrum, quem ipse pater flexis genibus cum multa humilitate et devotione suscepit. Et volebat et dicebat fratribus, sicut sepe audivit, quod de elemosinis viverent. Item dixit quod eundo per viam cum eo nunquam vidit, quod ipse iaceret in lecto, sed aliquando iacebat in stramine. Et cum venisset cum eo longo itinere et hospitati essent ipse beatus Dominicus et ipse testis cum socio apud plebem de Portu Lignatico ipse pater Dominicus fecit preparari locum, in quo iacerent socii et ipse intravit ecclesiam et pernoctavit in ea in oratione et nichilominus fuit in matutino cum clericis ecclesie et sociis suis. Item dixit quod itinerando ieiunabat ipse beatus Dominicus et faciebat socios, qui cum eo ibant, comedere propter laborem itineris. Item dixit quod licet steterit cum eo apud ecclesiam sancti Nicolai Bononie sicut premissum est, numquam recolit, quod haberet certum locum, in quo iaceret de nocte, sed quandoque in terra, quandoque in crate de viminibus, quandoque in assere, et sepissime pernoctabat in oratione in ecclesia. Et orando multum plorabat. Et hoc scit, quia vidit eum pluries sic facientem. Et aliquando vocavit eum ab oratione et vidit faciem eius lacrimis perfusam. Item dixit, quod ipse erat devotus et assiduus in oratione etiam eundo per viam. Et omni die volebat cantare missam, si inveniebat ecclesiam idoneam ad hoc.

43. Item dixit, quod multum desiderabat salutem animarum omnium, tam fidelium quam înfidelium. Et sepe dixerat huic testi : *Postquam ordinaverimus et instruxerimus ordinem nostrum ibimus ad Cumanos, et predicabimus eis fidem Christi, et acquiremus eos Domino.* Item dixit, quod rigide et perfecte servabat regulam quo ad se, et hortabatur fratres et precipiebat eis, quod regulam plene observarent, et delinquentes rigide puniebat, tamen cum tanta patientia et benignitate verborum corripiebat eos, quod nullus super correctionem commovebatur vel turbabatur. Item dixit, quod ipse sequebatur conventum et in cibis et in officiis. Et licet sepissime pernoctaret in ecclesia in orationibus, tamen semper erat cum fratribus in matutino, et circuibat utramque partem chori, et hortabatur eos verbis et factis, quod bene et raro cantarent, et psalmos devote dicerent. Et sic devotus insistebat orationibus, quod propter tumultum aliquem vel turbationem aliquam non movebatur ab oratione. Item dixit quod ipse fuit summus consolator fratrum et aliorum existentium in tribulationibus vel tentationibus. Et hoc scit quia in se probavit et ab aliis audivit. Item dixit, quod fuit patiens et misericors, sobrius, pius, humilis, benignus et castus. Et, sicut firmiter credit et audivit, semper virgo fuit. Et in predictis virtutibus et in aliis ita pollebat, quod non credit aliquem hominem tempore vite sue meliorem eo fuisse, nec aliquem scit esse sibi equalem. Item dixit quod cum ibat per viam, omnibus qui se adiungebant ad eum eundo cum eo predicabat, et hortabatur eos ad penitentiam.

44. Item dixit, quod interfuit translationi corporis magistri Dominici de sepultura, in qua dum mortuus est sepultum fuit, ad locum, in quo nunc requiescit et quando debuit apperiri prima [*editio* : primo] sepultura, in qua a principio positum fuerat. Et intererant ibi multi episcopi et multi alii clerici et potestas Bononiensis cum multis aliis honoratis civibus. Et incipientes fodere invenerunt terram durissimam et nimium fortem murum et cementum valde forte et durum, ita quod vix fregerunt illud cum malleis et palis ferreis. Et cum difficultate levaverunt lapidem, qui

superpositus fuerat sepulture. Et quando ipse lapis fuit separatus a muro et cepit apperiri sepulcrum, odor maximus et delectabilis et suavis exivit de sepultura illa, ita magnus, quod replevit totam ecclesiam, ita quod quando ipse testis sensit et alii, qui ibi erant, prostraverunt se cum lacrimis referentes gratias Domino de odore, quem senserunt. Et nunquam sensit tantum odorem in apoteca specierum vel in multitudine florum vel in aliquo loco. Et odor ille erat sibi incognitus et aliis, sicut dicebant. Nec videbatur similis odor alicuius rei temporalis. Et hoc scit, quia interfuit apertioni et vidit et sensit odorem, sicut predixit.

45. Item dixit dictus testis quod die dominica proxime preterita venit a Venetiis Bononiam pro isto testimonio faciendo. Et eodem die in sero invasit eum dolor maximus renum et lumborum, qui consuevit eum affligere pluribus diebus. Unde ipse timens, ne posset ferre testimonium, ivit ad archam beati Dominici et devotissime rogavit eum quod iuvaret eum et liberare dignaretur. Et quasi incontinenti fuit plenissime liberatus.

Testimonium fratris Frugerii Pennensis.

46. Die XV° exeunte augusto, frater Frugerius Pennensis ordinis predicatorum, iuratus dixit, quod quatuordecim anni fuerunt in quadragesima proxime preterita, quod ipse intravit ordinem predicatorum, et fecit professionem in manibus magistri Reginaldi, et ab eodem recepit habitum apud ecclesiam de Mascarella, ubi primo fuit ordo predicatorum Bononie. Et eodem anno in estate sequenti venit frater Dominicus, fundator ordinis sancti Nicolai et primus magister, Bononiam. Et de licentia dicti magistri Reginaldi visitavit propria, et in kalendis septembris rediit Bononiam, et invenit apud ecclesiam sancti Nicolai de Bononia ordinis predicatorum dictum magistrum Dominicum. Et dixit quod conversatus fuit cum eo per quatuor menses et amplius in conventu Bononiensi et in conventu Florentino et in conventu Romano, et in eundo cum eo Romam et per alias civitates et stando secum et in officio et in comedendo, loquendo, confessiones eius audiendo et in orationibus et conferendo cum eo de Deo, tam de die quam de nocte. Item dixit quod fuit assiduus et devotus in oratione, tam in itinere quam in conventu, adeo quod non potuit unquam percipere quod in lecto iaceret nec in via nec in conventu, licet aliquando pararetur sibi, sed aliquando fatigatus nimia pernoctatione, super se ipsum vel super terram vel super ligna aliquando dormiebat. Interrogatus quomodo scit, respondit quia vidit. Item dixit quod cum pluries missas audiverit ab eo in conventu et in itinere, non audivit aliquam, in qua non multas lacrimas effunderet. Et hoc scit quia vidit.

47. Item dixit quod pernoctabat in oratione et cum gemitu et lacrimis orabat. Et quando faciebat sermonem fratribus lacrimas effundebat. Et propter hoc fratres sepius ad lacrimas movebantur. Item dixit quod numquam audivit verbum occiosum vel nocivum, adulationis vel detractionis ab eo, sed semper de Deo loquebatur. Et cuicunque se adiungebat in via, predicabat de Deo. Et ad hoc ipsum hortabatur fratres suos. Et hoc in fratrum predicatorum regula fecit poni. Item dixit quod multum zelabat salutem animarum non solum christianorum, sed etiam saracenorum et aliorum infidelium, et ad hoc fratres hortabatur. Et etiam in tantum zelabat salutem animarum quod ipse fratribus suis ordinatis disposuerat ire ad gentes et mori pro fide, si expediret. Interrogatus quomodo hoc scit, respondit quia vidit eum dicentem et facientem supradicta. Item dixit quod asper erat sibi in tantum, quod cum esset in via observabat integre ieiunia ordinis nec volebat comedere ante horam, socios tamen faciebat comedere bis. Una tunica hieme et estate utebatur. Item dixit quod diligebat paupertatem et ad hoc hortabatur fratres suos. Interrogatus quomodo scit, respondit quia vidit eum portantem vilem habitum. Et audivit eum hortantem fratres suos ad paupertatem amplectendam et diligendam. Et si inveniebat aliquem

fratrem, habentem vestimenta reprehensione digna, quoad preciositatem vel quoad formam, statim corrigebat et emendabat. Et in tantum dilexit paupertatem, quod noluit quod fratres deberent recipere possessiones, sed de elemosinis viverent. Et hoc in fratrum regula fecit scribi. Volebat enim quod viles domos haberent et viles discos ad legendum, ita quod quasi in omnibus vilitatem et paupertatem pretenderent.

48. Item dixit, quod dictus frater Dominicus in se regulam rigide et integre observabat, et volebat a fratribus observari. Et si quos transgressores regule aliquando inveniebat, cum maxima mansuetudine et verborum dulcedine puniebat, ita quod nullus scandalizabatur, licet penitentia multum esset gravis. Interrogatus quomodo scit, respondit quia diu conversatus fuit cum eo et vidit et audivit ab eo. Item dixit quod audivit confessionem eius et ex ea percepit, et ita firmiter credit quod numquam inquinatus fuerit aliquo mortali peccato. Item dixit quod fuit humilis, benignus, patiens in tribulationibus, et gaudens in adversitatibus, pius, misericors, consolator fratrum et aliorum, et virtutibus omnibus ita ornatus, quod, per ea que vidit et cognovit in eo, firmiter credit quod non habuerit similem sibi, quem ipse viderit vel cognoverit.

49. Aldrevandus quondam Tebaldi, auctoritate imperiali notarius hos testes de mandato dominorum magistri Tancredi Bononiensis archidiaconi, Thome prioris de Reno, et fratris Palmerii de Campagnola iudicum delegatorum a domino papa recepit, et in publicam formam redegit, et scripsit. Deo gratias semper agamus.

Expliciunt testimonia recepta super vita, conversatione, transitu et miraculis beati Dominici patris nostri.

[MANDAT DES JUGES DÉLÉGUÉS DE BOLOGNE AUX ENQUÊTEURS DE TOULOUSE EN VUE DE RECUEILLIR D'AUTRES TEMOIGNAGES]

Venerabilibus et discretis viris, abbati ecclesie sancti Saturnini de Tholosa, Raimundo Donati archidiacono ecclesie sancti Stephani de Tholosa, et Pontio archidiacono ecclesie sancti Saturnini de Tholosa, magister Tancredus Bononiensis ecclesie archidiaconus, T. prior ecclesie Sancte Marie de Reno et frater Palmerius canonicus ecclesie sancte Trinitatis de Campagnola ordinis sancti Augustini, iudices a summo pontifice delegati. Salutem in Domino.

Nuper venerabilis pater Henricus, Bononiensis episcopus, et totus clerus civitatis Bononie, potestas, et commune civitatis eiusdem, et universitas scolarium Bononie commorantium, per suas litteras, et sollempnes nuntios clericos et laicos a domino papa et tota Romana curia cum multa devotione, et magna instantia postulaverunt, quod corpus fratris Dominici, ordinis fratrum predicatorum plantatoris et primi magistri, deberet canonizare et approbare atque ipsum fratrem Dominicum sanctorum aggregare cathalogo. Unde prefatus dominus papa per suas <dedit> nobis litteras in mandatis, quod de vita et conversatione predicti fratris Dominici, quibus Deo et hominibus noscitur placuisse nec non et miraculis que auctore Deo de sui corporis sanctitate procedunt per testes ydoneos secundum formam ecclesie, prestito iuramento, receptos, et diligenter examinatos cum magna diligentia et vigilanti sollicitudine studeremus inquirere veritatem et dicta eorum sub sigillis nostris inclusa, cum novum mandatum recipiemus, domino pape et curie per fideles et sollempnes nuntios transmittere deberemus. Verum quia super vita et conversatione illius, qua conversatus est in Italia, et quibusdam miraculis iam multos testes recepimus, sed sicut intelleximus de vita, conversatione et sanctitate eius, et etiam miraculis, in partibus vestris possunt multa probari, quorum in partibus nostris notitia non habetur, ideo vos rogamus et monemus in Domino, et auctoritate qua fungimur vobis precipimus, quatenus super vita et conversatione illius quibus Deo et hominibus noscitur placuisse et super miraculis, si qua Deus in partibus vestris per illius operatus est sanctitatem, testes ydoneos, qui vobis per aliquem fratrem illius ordinis fuerint presentati, premissis secundum formam ecclesie iuramentis, recipiatis, et diligenter examinetis, querentes causam scientie de omnibus que dixerint, scilicet quomodo illi sciunt, quo tempore, quo mense, quo die, quo loco, et quibus presentibus facta sint illa miracula, et ad cuius invocationem, et quibus verbis interpositis, et de nominibus eorum circa quos miracula facta dicuntur, et si eos ante viderant, aut noverant, et quanto tempore fuerant infirmi, et qua infirmitate, et qualiter restituti sunt sanitati, et de omnibus circumstantiis querite diligenter et dicta, interrogationes et responsiones illorum faciatis redigi in scriptis et ipsa sub sigillis vestris inclusa per aliquem fidelem nuntium nobis mittatis ut ea postmodum cum dictis testium a nobis receptis summo pontifici transmittere valeamus.

Tenor litterarum domini pape ad nos directarum hic est : Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis archidiacono Bononiensi, priori sancte Marie de Reno et fratri Palmerio canonico ecclesie de Campanniola ordinis sancti Augustini Bononien. et Reginen. diocesium, salutem et apostolicam benedictionen. Visibilium et invisibilium, etc.

Preterea ut de contingentibus nichil omittere videamur, mandamus vobis auctoritate, qua fungimur, quod si omnes hiis exequendis non potueritis interesse, duo vestrorum nihilominus exequantur, et ad plenam fidem faciendam presentem paginam sigillis nostris fecimus roborari. Data Bononie, XIII die exeunte augusto.

[DÉPOSITIONS RECUEILLIES EN LANGUEDOC ET ADRÉSSÉES AUX JUGES DÉLÉGUÉS DE BOLOGNE]

Exemplum epistole, quam miserunt quidam abbas et duo archidiacones de Tholosa iudicibus a sede apostolica delegatis super examinatione vite beati Dominici de his, que invenerunt et audierunt ab his, qui conversati sunt cum predicto viro Dei, sicut inferius continetur.

(1) Viris uenerabilibus et discretis magistro Tancredo Bononiensis ecclesie archidyacono et Thome priori sancte Marie de Reno et fratri Palmerio canonico sancte Trinitatis, iudicibus seu inquisitoribus a sede apostolica delegatis, predictus abbas sancti Saturnini de Tholosa, R.Donati archidyaconus sancti Stephani de Tholosa et Pontius archidyaconus ecclesie sancti Saturnini de Tholosa salutem et reuerentiam.

1 (2). Sicut per uestras litteras nobis auctoritate apostolica mandauistis, de uita et conuersatione beati Dominici per uiros reuerendos R. priorem de Pruliano et P. Agennensem, fratres ordinis predicatorum, necnon R. de Aura priorem sancti Antonini et R. de Villario cellararium sancti Antonini ueritate diligentius inquisita, ipsam cum sigillis nostris pendentibus discretioni uestre duximus transmittendam.

3 (3). Dominus P. abbas Bolbonensis ordinis Cisterciensis iuratus dixit quod ipse erat archidyaconus Tholosanus et in eadem ciuitate audiuit a domino Fulcone bone memorie, tunc Tholosano episcopo, et ab ipso beato Dominico et etiam a multis aliis quod archiepiscopus Auxitanus presentauit predicto beato Dominico episcopatum Coseranensem, qui ad eius curam pertinebat, et ipse noluit recipere. Ad cuius instantiam opposuit excusationem de nouella plantatione predicatorum et sanctimonialium de Pruliano, que ad ipsum spectabant. Et credit quod electio eius esset canonica et concors.

4. Et nouit quod ipse fuit zelator animarum, feruens in oratione et predicatione et persecutor hereticorum, amator paupertatis, parcus sibi, aliis benignus, castus, humilis, patiens, in persecutionibus securus, in tribulationibus letus, religiosus, sibi despectus, pater et consolator infirmorum fratrum et eorum qui erant in tribulationibus, amator discipline, exemplum in omnibus fratrum, fugiens gloriam mundi, largus, hospitalis, amator uniuersorum religiosorum, uilis in uestibus, amator negotii fidei et pacis, et quod peccata aliorum cruciabant eum, ita quod de ipso dici poterat quod de apostolo, Quis infirmatur et ego non infirmor? Et credit eum fuisse uirginem.

5 (4). Frater G. eiusdem loci sacrista iuratus dixit idem, excepta electione episcopatus et excepto quod super hospitalitate. Dixit quod pauper erat dum ipse secum iret. Et dixit illum largum fuisse in conferendis tunicis que sibi dabantur a fratribus.

6 (5). Frater B. Clareti eiusdem loci monachus testis iuratus dixit idem quod sacrista, et adiecit quod audiuit eum electum fuisse episcopum Coseranensem. Et quod dum erat canonicus Oxomensis carnes cum fratribus non comedebat nec respuebat, sed inter pulmenta abscondebat.

7. Dominus M. abbas Appamiensis iuratus dixit idem quod abbas Bolbonensis, addens quod ipse nouit uisu et auditu eiulatum et effusionem lacrimarum in orationibus. Et quod unicam tunicam deferebat.

8 (7). Magister A. de Campranhano eiusdem loci sacrista iuratus dixit quod ipse uidit et audiuit dompnum Dominicum persecutorem fuisse hereticorum assiduum et redargutorem tam uerbo quam exemplo bone uite, et quod quasi uiribus indefessis laborabat ad promotionem pacis et fidei et ob hoc uariis periculis se exponebat. Et credit omnia predicta capitula esse uera.

9. Pontius presbiter, capellanus eiusdem loci, testis iuratus dixit quod ipse uidit et audiuit et nouit idem per omnia quod abbas sancti Antonini.

10 (8). R. Maior canonicus, testis iuratus, dixit quod scit predicta capitula esse uera et credit eum fuisse uirginem. Et dixit quod in impositione manus ipsius sanatus est a febribus.

11 (9). R. Geraldi, testis iuratus, dixit quod audiuit dici a quodam sene canonico Premonstratensi quod ipse uiderat 45 dompnum Dominicum imposuisse manum in oculis cuiusdam ceci et statim illuminatus est.

12 (10). Bernardus Otho, testis iuratus, dixit quod nouit et credit omnia capitula esse uera, addens quod, cum iret cum eo et aliis per nemora, remanebat ultimus. Et cum requireretur sepius inueniebatur flexis genibus non obstante timore luporum rapidorum qui multos inuadebant.

13 (11). G. de Varniola, testis iuratus, dixit quod ipse nouit ipsum uisu et auditu feruentem in oratione et predicatione, religiosum, sibi despectum, castum, humilem, paupertatis amatorem, cuius lectus erat ecclesia precipue, persecutorem hereticorum, et alia capitula predicta credit esse uera.

14 (12). Gerardus de Oleris, testis iuratus, dixit se scire predicta capitula esse uera et credit eum fuisse uirginem. Et cum eum familiarem haberet, numquam de eo aliquid nouit uel audiuit suspectum uel sinistrum.

15 (13). Magister B. de Baulanis, testis iuratus, dixit quod beatus Dominicus fuit zelator animarum, feruens in oratione et predicatione, persecutor hereticorum assiduus, amator paupertatis, parcus sibi et aliis benignus, patiens, humilis, religiosus et sibi despectus, amator discipline et fugiens mundi gloriam, uilis in habitu, amator negotii fidei et pacis. Omnia capitula alia credit esse uera.

16 (14). P. Bruneti presbiter, testis iuratus, dixit se scire et credere omnia capitula predicta esse uera. Et addidit quod, cum quadam die nauigio pertransisset aquam, naute pro mercede sua petierunt ab eo denarium. Et cum ipse non haberet unde solueret, ipsi instanter pignus uel denarium petierunt, et ob hoc eum detinuerunt. At ipse figens oculos in terram ostendit eis denarium dicens, Accipite de terra quod a me petistis. Et accipientes denarium dimiserunt eum.

17 (15). Guilielma uxor Helye Martini, testis iurata, dixit quod ipsa nebat pro cilicio quod ad induendum preparabatur ipsi. Et scit et credit predicta capitula esse uera. Et credit eum uirginem. Et ducentis uicibus et plus secum comedit, sed numquam uidit eum quartam partem frusti piscis in uno prandio comedere uel ultra duo uitella ouorum nec bibere ultra unum ciphum uini limphatum pro tribus partibus aque, nec etiam uidit eum comedere ultra unam lenam panis. Vidit etiam quod, cum grauissimo dolore sepius affligeretur, circumstantes eum in lecto ponebant et ipse statim in terram se prostrabat, quia non consueuerat in lecto iacere.

18. (16) Tolosana Rogueza, testis iurata, dixit quod credit omnia capitula esse uera, et eum credit uirginem. Et dixit quod ipsa nebat cilicium de pilis pardorum et yrcorum ad usum ipsius.

19. (17) Beceda monacha sancte Crucis iurata, dixit quod nouit supradicta capitula esse uera et eum uirginem. Et congregauit caudas boum ad cilicium faciendum ad opus ipsius et domini Fulconis episcopi Tholosani. Et non audiuit ab eo umquam uanum uerbum, licet multum fuerit ei familiaris. Et cum ipsa sepe fecisset ei lectum, non iacebat ibi. Immo mane inueniebat ita paratum sicut dimiserat quando strauerat. Et hoc etiam faciebat quando erat infirmus. Immo etiam sepe inueniebat ipsum dormientem in solo discoopertum. Et cum eum cooperuisset, quando redibat inueniebat eum orantem uel stantem uel prostratum. Magnam enim curam habebat circa eum. Dixit etiam quod, cum ipse comedisset ultra ducentas uices in domo in qua ipsa habitabat, ad plus comedebat duo oua, licet plura cibaria pararentur ei. De omnibus autem supradictis capitulis est publica et celebris fama per episcopatum Tholosanum totum et Coseranensem, et

undecumque ipse transitum fecit, si tamen moram aliquam ibi contraxit, inter religiosos, clericos et laycos, uiros et mulieres, qui eum cognouerunt.

20 (18) Dominus G. Petri, abbas monasterii sancti Pauli iuratus, dixit quod beatus Dominicus ardentissime sitiebat animarum salutem et erat zelator maximus animarum.

21. Item feruens in predicatione in tantum ut de die ac de nocte in ecclesiis, in domibus, in agris, in uiis et ubique uolebat et hortabatur fratres ut uerbum domini predicarent, et quod non loquerentur nisi de deo.

22. Item dixit quod fuit persecutor hereticorum et eis predicando, disputando et in omnibus quibus poterat se opponebat.

23. Item dixit quod amator fuit paupertatis in tantum quod possessiones, uillas, castra, redditus, quibus in diuersis partibus fuerat ordo dotatus, respueret et eis abrenuntiaret.

24. Item dixit quod fuit sibi ualde parcus in cibis et preter panem et uinum pulmentum non comedebat, nisi propter fratres uel circumstantes gustaret aliquantulum de pictantia. Voluit autem semper alios secundum facultatem domus et ut possibilitas permittebat habundare.

25. Item dixit quod fuit uirgo, sicut audiuit a multis.

26. Item dixit quod respuit episcopatum Coseranensem nec uoluit preesse illi ecclesie, licet in pastorem et prelatum esset electus.

27. Item dixit quod numquam in omnibus ita humilem hominem uidit, nec magis contempnentem gloriam mundi et ea que pertinebant ad gloriam temporalem.

28. Item dixit quod conuicia et maledicta et uituperia patientissime cum gaudio tamquam enxenium et donum magnum accipiebat.

29. Item dixit quod in persecutionibus numquam molestabatur, sed securus et intrepidus sepe ibat inter discrimina. Numquam pauore perterritus diuertit a strata. Immo, quando sompnus eum capiebat, in uia uel iuxta uiam se proiciebat et dormiebat.

30. Item dixit quod excellebat uniuersos quos uidit in religione.

31. Item dixit quod ualde se despiciebat et quasi nichil se reputabat.

32. Item fratres infirmos paterne consolabatur et infirmitatum eorum erat mirabilis supportator.

33. Item dixit quod, quando sciebat aliquos in tribulationibus constitutos, ad patientiam admonebat et quantum poterat consolabatur.

34. Item dixit quod fuit amator discipline et delinquentes paterne corripiebat.

35. Item dixit quod fratribus se prebuit exemplum in omnibus, in dictis, in factis, in cibis, in uestitu et moribus bonis.

36. Item dixit quod non uidit hominem tam frequentem in oratione, nec qui tantum in lacrimis habundaret.

37. Item dixit quod, quando in oratione erat, clamabat in tantum quod undique audiebatur. Et in clamore dicebat, Domine miserere populo tuo, quid facient peccatores? Et sic noctes insompnes ducebat plorando et eiulando pro peccatis aliorum.

38. Item dixit quod fuit largus et hospitalis et cum pauperibus ea que habebat libentissime diuidebat.

39. Item dixit quod religiosos et religionis amatores amabat et honorabat.

40. Item dixit quod numquam uidit uel sciuit quod lectum haberet nisi ecclesiam, ubi comode poterat ecclesiam inuenire. Ubi uero ecclesiam non habebat, semper uel in terra iacebat uel in scamno uel in cordis lecti deposita culcitra et pannis quos posuerant in lecto ad iacendum.

41. Item dixit quod numquam uidit eum nisi cum una tunica, et illa erat pitatiata.

42. Item dixit quod uiliores capas uolebat semper portare quam alii fratres.

43. Item dixit quod fuit amator negotii fidei et pacis et promotor quantum potuit fidelissimus et adiutor.

44. Hec omnia dixerunt et concesserunt, dato et prestito iuramento, A. Cot capellanus de Villario, qui et uidit demoniacam a demonio liberatam in Fano Iouis mediantibus orationibus beati Dominici, et A. Pontii capellanus, et R. de Villario sacerdos de Fano Iouis, et R. de Mense sacerdos, B. Acius dyaconus, R. de Aula clericus, Mot Reddoci clericus, A.R. clericus, qui et meritis ipsius credit se a febribus liberatum.

45. Item alii testes iurati quatuor, et isti omnes infrascripti de Fano Iouis, dicentes una uoce quod numquam tam sanctum, tam honestum hominem uiderunt in carne, scilicet Guilielmus Faber, Andreas de Villario, Petrus de Garmasia et alii multi de Fano Iouis propriis nominibus designati. Qui sunt in uniuerso testes iurati quadraginta duo.

46. Isti sunt de Villario, qui omnes in supradictis capitulis concordes fuerunt: Raymundus Poccuers, Guiraldus, Bertramus, Stephanus et ceteri de Villario propriis nominibus designati. Qui sunt in uniuerso testes iurati septuaginta quatuor.

47. Isti sunt de Pruliano.

48 (20). Frater Michael iuratus, dixit omnia supradicta capitula esse uera, secundum quod uiderat et audierat. Preterea dixit quod spiritu prophetico beatus Dominicus cognouit quod oportebat fratres recedere de Tholosa.

49 (21). Frater R. Corda. dixit idem quod suprapositus. Audiuit autem de uirginitate ipsius a domino Fulcone Tholosano episcopo, a fratre B. Amamino, a fratre I. de Calaroga, et etiam quod respuit episcopatum Biterrensem, et quod uidit quendam liberatum a demone per beatum Dominicum.

50. Frater P. Raua., frater Compari., frater Bartholomeus et alii tres.

51. Item priorissa de Pruliano et sanctimoniales eiusdem loci, silicet suppriorissa, Aysa, Sauara, Grisana, Arcliares, Saura de Velenti et alie sanctimoniales de Pruliano numero undecim propriis nominibus designate.

52. Item G. Vitalis dyaconus, R. scriptor, G. de sancto Chucufato, B. de Feran., qui et inuenit lacrimas ubi beatus Dominicus fleuerat orando.

53. Item frater P. Selagisse, qui inuenit lacrimas et locum madefactum ubi orauerat pre multa lacrimarum effusione. Qui etiam dixit quod beatus Dominicus demoniacum liberauit orationibus suis.

54. Et alii plures de Pruliano propriis nominibus designati. Qui sunt in uniuerso omnes de Pruliano testes iurati triginta octo. Qui omnes sunt concordes in predictis capitulis.

55. Isti sunt de Monte Regali, qui concordantes in predictis capitulis iurati dixerunt quod numquam tam sanctum et tam honestum hominem in carne uiderunt.

56. (22) Marchus dyaconus iuratus dixit quod beatus Dominicus episcopatum respuit. Et ubi orauit inuenit lacrimas et locum madefactum de lacrimis. Et omnia supradicta concedit, cum hiis qui secuntur. Quorum nomina sunt hec: R. de Calono dyaconus, Ar. de Tisel. et ceteri de Monte Regali propriis nominibus designati. Qui sunt in uniuerso sexaginta quatuor testes iurati.

57. Blayda de Fenoleto, Bernarda Permasperia, Longa Bruna, Acta de Tholosa, Guiralda de Monte Regali, Petronilla, Barena, Nichesa. Omnes iste concordant in supradictis capitulis.

58 (23). Berengaria dixit quod oculis uidit et auribus audiuit quando beatus Dominicus precepit nouem mulieribus hereticis ab errore conuersis prospicere in demonium qui eas possederat in specie catti, cuius oculi erant quasi bouis et etiam uelut flamma ignis, et linguam per dimidium pedem extrahentem quasi ignem, et caudam quasi dimidiam brancham habentem, et magnum quasi unum canem. Et ad preceptum ipsius per foramen corde campane exiuit et ab

oculis earum euanuit. Tamen primo predixerat eis quod non timerent, quia ipse ostenderet eis cui domino seruierant.

59 (24). Item R. de Sanches dixit quod ad orationem beati Dominici filia cuiusdam mulieris restituta est sanitati. Rogauerat enim eum ut uisitaret eam. Cui ipse dixit, Recede et ego rogabo pro ea. Et in crastinum, ut dixit matri, sanata est filia sua.

60 (25). R. et Zensana dixerunt quod audierunt a beato Dominico quod ante fugeret de nocte cum baculo suo quam acciperet episcopatum uel aliam dignitatem.

(26) In fine autem huius littere posita erant ultra trecenta nomina hominum, virorum et mulierum sub iuramento testificantium supradicta, inter quos erant multi religiosi et presbiteri, clerici, sanctimoniales et alie persone honeste et fide digne. Sed et super hec omnia de hiis omnibus in partibus illis, ubi fuerat commoratus, erat tunc publica vox et fama de sanctitate et virtutibus eius, sicut patet in litera sigillorum predictorum dominorum munimine roborata.

BULLE DE CANONISATION
(p. 769-777)

TUGWELL Simon, *Humberti de Romanis legendae sancti Dominici necnon materia praedicabilis pro festis sancti Dominici et testimonia minora de eodem adiectis miraculis rotomagensis sancti Dominici et Gregorii IX Bulla canonizationis eiusdem*, Rome, 2008 (MOPH 30), p. 565-575.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei uenerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, archipresbiteris, decanis et aliis ecclesiarum prelatis ad quos littere iste peruenerint salutem et apostolicam benedictionem.

1. Fons sapientie uerbum patris dominus Ihesus Christus, cuius natura bonitas, opus misericordia, redimens et renouans quos creauit, qui uineam quam de Egipto transtulit usque ad consummationem seculi non relinquit, sapienter signa propter instabiles mentes innouat et mirabilia contra diffidentiam incredulitatis immutat.

2. Dum in ecclesiae nascentis exordio post obitum Moysi (uidelicet finem legis) ascensurus equos et in euangeliorum quadrigis que uere sunt sanitas – arcu sacri eloquii quem donec iudeus infirmetur intenderat et iuramentis que in patribus nobis disposuerat suscitatis – confidentiam Iericho (gloriam mundi quem predicationis fremitu obstupefactis gentibus uicerat) calcaturus, uiam equis suis in mari faceret et in Raab salutem latitudinis gentium signo coccineo figuraret, in prima quadrigarum quatuor egredientium in Zacharia de medio duorum montium ereorum protulit equos rufos populorum principes, fortes terre, qui per obedientiam fidei deo Abraham patris credentium in fundamentum noui federis adhaerentes – ad ducis instar tinctis de Bosrah (id est tribulationis angustia) uestibus – cuncta sue signa militie rubricarunt ut, pro future glorie gaudio presentem gladium non timentes, effecti martyres (idest testes), noue legis libro confessionis uoce subscriberent et – forinsecis miraculorum signis ad stipulationum robur appositis – librum et tabernaculum quod deus et non homo fixit ac euangelici uasa ministerii non brutorum sed rationabilium hostiarum sanguine tingerent, et in uniuersam spatiosi maris faciem sagena predicationis expansa multiplicatam super numerum de cunctis quae sub celo sunt nationibus ecclesiam congregarent.

3. Sed quia presumptio multitudinem et malitia subsecuta est libertatem, in quadriga secunda, sub colore qui lugentibus ac penitentibus congruit, equestrem cuneum deputauit qui, ad claustrale desertum ductus per spiritum, sub noui Israelis auriga sanctissimo Benedicto, uelut sub altero Heliseo filii prophetarum, communis vite bonum (occasione multitudinis perditum) in iocunde cohabitationis grata societate restituit, et sic unitatis scissum rete reficiens ac per opera pietatis (ad terram aquilonis unde omne malum panditur proficiscens) eum fecit in ingressis thesauros niuis et contritis corde quiescere qui dedignatur in corpore peccatis subdito habitare.

4. Post quos, quasi lassum renouaturus exercitum et redditurus iubilum post lamentum, applicitis ad quadrigam tertiam equis albis (fratribus cisterciensis ordinis et florensis), uelut tonsarum greges gemine caritatis fetibus uberes de penitentie lauacro fecit ascendere, sancto Bernardo ariete ouium in uirtute spiritus qua ex alto indutus extitit et in abundantia frumenti uallium preeunte, ut transeuntes liberati per eum in fortitudine clament ad dominum, dicant hymnum et ponant castra dei exercituum super mare.

5. Nouo igitur Israele his tribus agminibus turmis totidem quas philistiim fecerant occurrente, hora undecima (cum dies iam declinasset ad uesperum, et propter iniquitatis habundantiam caritate plurimum frigescente uergeret iustitie radius ad occasum quia uineam – ad quam paterfamilias operarios diuersis temporibus denarii conductos conuentione premiserat et

quam sua dextra plantarat – non solum uitiorum uepres et spine peruaserant sed iam propemodum uulpecule demolientes conuertere in aliene uitis amaritudinem intendebant) aduersus infestissimam multitudinem militiam adunare uoluit promptiorem et, sicut impresentiarum cernimus, post trium signis differentium tyrocinia quadrigarum, in quadriga quarta equos varios et robustos (predicatorum et minorum fratrum agmina) cum electis ducibus simul in prelium directurus, spiritum sancti Dominici suscitavit et, ei (uelut equo sue glorie) prebens fidei fortitudinem et feruorem, diuine predicationis hinnitum circumdedit collo eius.

6. Qui gerens a pueritia cor senile ac in mortificatione carnis eligens uiuere uite requisiuit auctorem et, deo deditus ac in nazareum sub beati Augustini regula consecratus, sedulum circa sancta Samuelis imitatus obsequium, in castigatione desiderii piissimum Danielis continuauit affectum. Iustitie semitas et sanctorum uias strenuus athleta custodiens et uel ad momentum de tabernaculo domini (de militantis ecclesie magisterio ac ministerio) non discedens, carnem spiritui et sensualitatem subiciens rationi et factus unus cum deo spiritus, totus in eum per excessum mentis pergere studuit, et sobrie compassionis studiis a caritate proximi non recessit. Quo sagittante delicias carnium et fulgurante mentes lapideas impiorum, omnis hereticorum secta contremuit, omnis ecclesia fidelium exultavit.

7. Etate crescente creuit et gratia quandoquidem, inexplicabile gaudium de zelo concipiens animarum, ad eloquia dei dedit animum et, per euangelium Christi multos generans, in conuersione tam strenue multitudinis euangelice dignitatis officium profitentis nomen et opus in terra meruit obtinere maiorum. Pastor et dux inclitus in populo dei factus, nouum predicatorum ordinem instituit meritis, ordinauit exemplis nec miraculis confirmare desiit euidentibus et probatis. Nam, preter opera sanctitatis et signa uirtutis quibus in carne positus claruit, diuersorum curatis langoribus, loquela mutis, uisu cecis, surdis auditu, gressu paraliticis et sanitate pristina multarum generibus inualitudinum restitutis aperte patuit qualis spiritus in eiusdem sanctissimi gleba corporis habitavit.

8. Cum igitur, ex multa familiaritate quam nobiscum in minori constitutis officio habuit, argumenta sanctitatis ipsius ex insignis uite testimonio constitissent, essetque postmodum de miraculorum ueritate dictorum facta nobis per testes idoneos plena fides, nos cum commisso nobis grege domini confidentes eius posse suffragiis per dei misericordiam adiuvari, ut cuius in terris solatium gratiose familiaritatis habere meruimus eius in celis potenti patrocinio gaudeamus, ipsum, de fratrum nostrorum concilio et assensu ac omnium tunc apud sedem apostolicam consistentium prelatorum, cathalogo sanctorum ascribi decreuimus, statuentes firmiter ac universitati uestre presentibus iniungentes ut nonas augusti ante diem quo (posita carnis sarcina) diues meritis penetrauit in sancta, similis sanctorum factus in gloria, ejus natalitia celebretis et faciatis solempniter celebrari, quatenus ipsius precibus deus, quem uiuens coluit, exoratus gratiam in presenti seculo et gloriam nobis tribuat in futuro.

9. Nos uero, tanti confessoris uenerabilem sepulturam (que miraculorum fulgoribus generalem illustrat ecclesiam) cupientes dignis christiane deuotionis honoribus frequentari, uere penitentibus et confessis illam in festiuitate prefata annis singulis cum deuotione ac reuerentia debita uisitantibus, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, unum annum de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus.

Datum Reate .v. nonas iulii pontificatus nostri anno octauo.

JOURDAIN DE SAXE
LETTRE À DIANE D'ANDALO
(p. 781-782)

Beati Iordani de Saxonia epistulae, ed. Angelus Walz, *MOPH* 23, Roma : Istituto Storico Domenicano, 1951, p. 47-48.

Nous utilisons ici une transcription que nous avons faite du manuscrit de Saint-Sixte (B^1).

Frater Iordanis ordinis predicatorum seruus inutilis dilecte in Christo filie sorori Dyane gaudia gaudiis et dulcedines dulcedinibus in domino cumulari.

Intellexi per tuas litteras karissima uerbum bonum et suaue uerbum omni acceptatione dignum de canonizatione beatissimi patris nostri et tuum super hoc in domino gaudium et gaudeo et gratias ago deo.

Verum in termino quo meus patebatur aduentus adesse non potui quoniam prioris prouincialis nuntius me Argentine reperitur in uigilia sancti Sixti. Nos tamen intellecta prius canonizatione sancti patris nostri per litteras fratris Raymundi qui moratur in romana curia sicut et fratres argentinenses acceperant per litteras fratris Godefridi in curia existens solemnitatem fecimus cum gaudio in predicta uigilia sancti Sixti ad honorem dei et beatissimi patris nostri gratias agentes dei filio qui est in sanctis suis mirabilis et in omnibus et per omnia gloriosus.

Nunc autem in procinctu sum ueniendi in Lombardiam et spero quod in breui domino comite te uidebo.

Pedi tuo quem lesum intellexi patior cautiorem reddens ut et circa pedem et circa totum corpus te exibeas magis cautam.

Sorores saluta quibus iuxta exortationem sancti patris nostri Augustinini opto ut precepta dei infatigabiliter legant diligant efficaciter compleant et quicquid in se prauum deprehenderint per gratiam suam corrigant quod rectum est teneant quod deforme componant quod pulcrum excolant quod sanum seruent quod infirmum corroborent et perseueranter custodiant omne quod placet dei filio sponso tuo qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

PIERRE FERRAND
LÉGENDE DE SAINT DOMINIQUE
(p. 797-857)

Petri Ferrandi legenda sancti Dominici, ed. Simon TUGWELL, *MOPH* 32, Roma : Angelicum University Press, 2015, p. 265-381 (*legenda uulgata*).

Incipit prologus in uita sancti Dominici primi patris ordinis predicatorum.

1. Multipharie multisque modis olim deus electos ad eternum inuitans conuiuium nouissime diebus istis, id est hora undecima, misit seruum suum dicere inuitatis ut uenirent quia iam parata sunt omnia. Seruum hunc ordinem predicatorum sanctus interpretatur Gregorius nouissimis dirigendum temporibus, ad humanas uidelicet mentes de uicino aduentu iudicis commonendas. Nouum enim aliquem predicatorum ordinem fore scriptura premonuit, quem circa finem seculi mittendum tam signanter expressit, Misit inquiens seruum suum hora cene. Hora cene finis est mundi, nos autem sumus in quos fines seculorum deuenerunt, missus est igitur hora cene, id est diebus nouissimis, ordo nouus. Nouus inquam pariter et antiquus, nouus institutione antiquus auctoritate, nouus immo nouissimus spatio, primus autem officio. Conductis equidem primo mane uinee ex denarii conuentione cultoribus, etiam hora tertia sexta et nona hora, restat imo iam extat undecima qua nouissimi multiplicentur cultores. Hii sunt predicatores quorum ordinem temporum horum nouissimorum periculis dispensatio diuina prouidit ut, appropinquante iudicio illius cuius in humilitate iudicium est sublatum, testium numerus augeretur. Idcirco iam nunc multiplicantur in senecta uberi ut bene patientes annuntient quoniam rectus dominus deus noster. Hec sunt tintinnabula quibus pontificalis poderis extremitas decoratur. Hii sunt equi fortes et uarii in quadriga nouissima de medio duorum montium ereorum egressi ut perambulent omnem terram. Huius ordinis primus institutor et pater inclitus extitit beatus Dominicus, cuius uitam uirtutibus plenam deoque gratissimam, obitum quoque et ex parte miracula et ordinis ipsius in occiduis mundi partibus et occasu temporis orientis exordium, rudi quidem sed ueraci stilo perstringere opere pretium est opitulante gratia Ihesu Christi.

Incipit uita eiusdem sancti Dominici
Quod per beatum Dominicum deus ecclesie sue prouidit

2. Beatus Dominicus predicatorum dux et pater inclitus, qui appropinquante mundi termino quasi nouum sidus emicuit, ex Hyspanie partibus uilla que dicitur Calaroga oxomensis diocesis oriundus fuit. Decebat sane ut qui olim luciferum in tempore suo produxerat uesperum quoque aduesperascente iam die super filios terre consurgere faceret ab occasu ut extremis temporibus ab extremis terre nubes educeret quarum ymbre serotino uineam quam dextera eius plantauerat uberius irrigaret. Sicut enim Iohannes baptista uelut lucifer solis ortum preueniens saluatoris primum prenuntiavit aduentum, sic sanctus iste Dominicus uespertini sideris in se gerens officium occidente seculi luce uicinum creditur preuenisse iudicium.

Quod eius natiuitas diuinitus premonstrata est

3. Huius mater antequam ipsum conciperet uidit in sompnis se gestare catulum accensam in ore faculam baiulantem qui egressus ex utero totum mundum incendere uidebatur. Quo prefigurabatur ex ea predicatorem eximium nasciturum qui facem igniti portaret eloquii quo frigescentem in multorum cordibus caritatem uehementius inflammaret et sedule predicationis

latratibus lupos arceret a gregibus, dormientes quoque in peccatis animas ad uirtutum uigilantiam excitaret. Quod et rei postmodum probauit euentus. Fuit enim uitiorum mirabilis obiurgator, oppugnator heresum, fidelium diligentissimus exhortator. Verba quidem eius ardebant ut facule quia in spiritu uenerat et uirtute Helye.

De bona indole ipsius

4. Natus autem ex piis parentibus et religiose nutritus cepit esse puer ingeniosus utpote qui sortitus animam bonam a domino siquidem in benedictionibus dulcedinis est preuentus. Pater eius Felix, mater uero Iohanna nuncupata est. Horum itaque pio studio, priusquam seculare aliquid eius illaberetur animo, traditus est ecclesiastico inbuendus officio, ut sanctitatis odorem uelut testa recens inbiberet quem postmodum antiquata perpetuo tenore seruaret. In illa sua puerili etate cor ei senile iam inerat et sensus ueneranda canities sub tenella facie latitabat. Cum enim esset adhuc puerulus nondum a nutricis diligentia segregatus deprehensus est sepe lectum dimittere quasi carnis iam delicias abhorreret, et eligebat potius super terram accumbere quam in lecto corporali quodammodo quiete resolutus iacere. Et extunc duxit in consuetudinem declinata stratus mollitie frequentissime super terram dormire. Videbatur iam illud quod nondum legerat intellexisse prouerbium, Adolescens iuxta uiam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea.

Qualiter in fronte eius apparuit stella

5. Volens quoque magnum aliquid prouenturum ex puero futurorum prescius deus ostendere, cuidam matrone que eum uidelicet ex baptismi fonte leuauerat uisionem huiuscemodi per sompnium demonstrauit. Videbatur siquidem illi matri eius spirituali puer Dominicus quasi stellam habens in fronte que totam terram suo lumine perlustrabat. Quo dabatur intelligi quod dandus foret quandoque in lucem gentium illuminare hiis qui in tenebris et in umbra mortis sedent. Erat autem hec matrona nobilis, que uisionis magnitudine stupefacta matri eius cum ingenti gaudio quod uiderat nuntiauit.

Quod missus est Palentiam ad studium et quid ibi egit

6. Post hec missus est Palentiam ut sibi liberalium artium compararet studii exercitatione peritiam. Ibi enim tunc temporis generale florebat studium habundans tam multitudine numerosa scolarium quam studiosa perfectione doctorum. Cepit autem sancte puer indolis beatus Dominicus non segniter agere, eruditioni cuius gratia missus erat diligenter intendere, omissisque friuolis quibus adolescentior solet etas effluere maturioribus sese studiis occupare. Et ut animum suum plenius transferret ad sapientiam cogitauit a uino abstrahere carnem suam, unde et uinum per decennium non bibebat, postmodum autem lassescente stomacho compulsus est a bone memorie Didaco oxomensi episcopo modico uino uti, quod ita limphatum sumebat ut pauci de cipho suo bibere affectarent. Unde factum est ut in liberalium artium eruditione supra multos coetaneos suos spatio breuiore proficeret. Hiis ergo competenter instructus, ne in huiusmodi non tam scientiis quam uere et summe philosophie preludiis tempus salubriori discipline congruum deperiret, ad theologie studium se totum contulit cepitque diuinis inhiare uehementer eloquiis, quorum mellea delectatus dulcedine hauriebat auide quod postea effudit habunde. Hiis itaque sapientie salutaris studiis quatuor annis inuigilans tanta diligentia tantaque discendi auiditate sacris litteris inherebat quod pene noctes ducebat insompnes et uidebantur ei dies pauci pre amoris magnitudine quo ad speciose Rachelis castos hanelabat amplexus. Nec fraudatus est a desiderio suo. Reuera in opere illius iuxta propriam estimationem exiguum laborauit sed cito de generationibus illius percepit. Etenim diuini uerbi semina intenta cordis aure suscipiens tamquam

terra celesti rore perfusa non solum sanctarum meditationum et affectionum segetes sed etiam operum bonorum fructus uberrimos producebat. Effudit proinde largius intellectum fons sapientie super latitudinem cordis eius, ut non solum facilioris doctrine lac suggeret sed et solidioris cibi substantiam mira facilitate glutiret, quod etiam humane peritie deerat hoc in eo diuine gratie illuminatio habundanter supplebat. Sanctitatem quidem uite ratiocinationum argutiis et spiritualem fructum uerborum foliis preponebat, et sermo eius et predicatio eius non in doctis humane sapientie uerbis sed in ostensione spiritus et uirtutis.

De helemosinis quas fecit Palentie

7. Fame autem perualida in uniuersis Hyspanie partibus ingruente seruus dei Dominicus adhuc manens Palentie, cum uideret egenorum miserias neminemque consolatorem, anxio admodum compassionis urgebatur affectu. Ab infantia quippe cum eo creuerat miseratio que aliorum sibi coaceruans miserias nullius afflictionis aspecte permittebat eum non esse participem. De cordis hospitio xenodochium fecerat et misericordie uiscera claudere alicui nesciebat. Crebris igitur egenorum necessitatibus stimulatus excogitauit uno simul opere et euangelicis obtemperare consiliis et morientium proximorum subuenire miseriis, uenditisque libris quos sibi admodum necessarios habebat et omni supperlectili acceptum pretium dispersit, dedit pauperibus. Quo exemplo magnos quoque et diuites ac magistros ad misericordie opera prouocauit, et extunc ceperunt largius helemosinas erogare proprie parcitatis ignauiam ex iuuenis liberalitate pensantes.

Qualiter oxomensi episcopo adhesit

8. Talibus uirtutum floribus in beato uiro gratissima uenustate uernantibus cepit odor sanctitatis eius circumquaque diffundi. Cumque honestatis eius late patens preconium oxomensis episcopi Didaci attigisset auditum, percunctata diligentius ueritate atque comperta, continuo accersitum fecit eum in sua ecclesia canonicum regularem. Qui statim inter canonicos uelut singulare iubar emicuit et de uirtute in uirtutem mira celeritate progrediens omnium in se prouocauit aspectum. Mirantur canonici tam subitum religionis apicem et eum licet inuitum sibi constituunt suppriorem. Ipse autem quasi lucerna super candelabrum et quasi ciuitas supra montem posita delectabile cunctis clarumque sanctitatis spectaculum exhibebat factus omnibus uite speculum, religionis exemplum. Erat enim in oratione assiduus, caritate precipuus, compassione anxius, et sibi subditis humilitate subiectus. Specialem gratiam contulerat ei deus flendi pro peccatoribus, pro miseris et afflictis, et animarum pereuntium zelo succensus nec minus desiderio celestis habitationis affectus crebro in orationibus pernoctabat. Sepe autem et inter orationes rugiebat a gemitu cordis sui nec continere se poterat quin uox plangentis euidenter eminus audiretur. Frequenter autem et aures diuine clementie hac speciali petitione pulsabat quatinus cordi eius illam caritatem dignaretur infundere qua proximorum salutem posset efficacius procurare, exemplo eius uidelicet qui se totum nostram obtulit in salutem. Sane librum qui collationes patrum inscribitur studiose legens ac uigilanter intelligens salutis in eo rimatus semitas magnum perfectionis apicem apprehendit. Agit siquidem liber ille de cordis puritate, de uitiis et de omnium perfectione uirtutum. Cuius frequens lectio Christi discipulum ad multam cordis puritatem, ad contemplationis arcem et totius spiritualis discipline perfectionem gratia opitulante prouexit.

Qualiter oxomensis episcopus iuit Tolosam et cum eo frater Dominicus

9. Factum est autem non sine diuine prouisionis ordine ut supradictus Didacus oxomensis episcopus rogatu Aldefonsi regis Castelle ire ad marchias debuisset, regis uidelicet eiusdem filio Ferdinando cuiusdam puelle nobilis conciliaturus conubia. Qui episcopus assumpto sibi honesto iuxta sue dignitatis exigentiam comitatu secum etiam dei seruum Dominicum ecclesie sue suppriorem adducens profectus est. Cumque peruenisset Tolosam, intellecto loci illius indigenas iamdudum heretice prauitatis fuisse pestifera infectione corruptos, cepit super eorum pernicie miserabili admodum cordis compassione turbari. Eadem uero nocte qua in prefata urbe hospitio sunt recepti beatus Dominicus hospitem suum hereticum tam affabili persuasione deiciens quam irrefragabili rationum connexione deuincens ad fidem catholicam dei spiritu cooperante conuertit. Neque enim resisti poterat sapientie et spiritui qui per beatum Dominicum loquebatur.

Qualiter oxomensis episcopus iuit Romam et inde per Cistercium ad partes tolosanas rediit

10. At uero iam dictus episcopus prosecutus iter, executus nuntium, assecutus propositum, ad regem regrediens successum prosperum et puelle nuntiauit assensum. Rursus cum maiori apparatu ab eodem rege missus marchias adiit, sed puellam que ducenda tanti laboris causa extiterat defunctam inuenit, id nimirum diuina prouidentia disponente ut disceret Didacus meliores et spirituales nuptias inter deum et animas dedicare. Remisso igitur ad regem nuntio ipse cum clericis suis curiam romanam adiit, cessionem a summo pontifice postulauit dicens suum esse propositum comanorum gentis conuersioni curam et laborem impendere si eum dignaretur a cura pastoralis officii liberare. Non acquieuit eius instantie summus antistes nec saltem ei licentiam ad comanos eundi uoluit indulgere. Reuertens itaque uisitauit in uia Cistercium ubi multitudinis seruorum Christi sanctam conuersationem intuitus religionis pulcritudine delectatus assumpsit habitum monachalem, adductisque secum aliquibus monachorum quorum instructione formam quoque religionis indueret redire in Hispaniam festinabat. Sed superna prouisio, que plerumque iam eum ab hiis que mente conceperat ad meliora reduxerat, aliud nunc etiam sibi uie huius obstaculum preparabat.

Qualiter in partibus tolosanis remansit et predicauit

11. Eodem namque tempore missi erant a papa Innocentio duodecim abbates cisterciensis ordinis cum uno apostolice sedis legato in terram albigiensium ut fidem catholicam predicantes heretica uenena pro uiribus propulsarent. Qui conuocato archiepiscoporum et episcoporum aliorumque in partibus illis ecclesie prelatorum concilio conquirebant inter se quonammodo commodius id cuius gratia uenerant executioni mandarent. Illis autem super hac deliberatione sollicitis sepe dictus Didacus oxomensis episcopus superuenit, nec latebat eos quin esset uir sapiens, sanctitate precipuus, morum grauitate maturus, zelator fidei, rectitudinis emulator. Postquam igitur eis aduenisse innotuit accersitur, cum honore suscipitur, consulitur et fides eius consiliis adhibetur. Hoc autem fuit eius spiritu diuino suggerente consilium ut abiecta pompa superflui apparatus, quam equidem satis incongrue qui ad Christum pauperem predicandum uenerant in expensis et equitatibus ac uestibus et uaria superlectili preferebant, ueram atque euangelicam in se pretenderent paupertatem et fidem Christi non uerbis tantum et labiis personarent sed rebus et manibus demonstrarent atque hoc modo animas quas heretici falsa uirtutis ac pietatis imagine deludebant ipsi uera sanctitatis et religionis exhibitione possent ad ueritatem fidei reuocare. Fauent omnes eius consilio et iuxta uerbum eius se facere pollicentur. Ipse uero primus dictis suis facta compensans cepit facere quod aliis suadebat, statimque misit suos Oxomam cum equitaturis ac superlectili et diuerso quem secum tulerat apparatu. Retinuit

tamen sibi paucos ex clericis et fratrem Dominicum, sue scilicet oxomensis ecclesie suppriorem, qui extunc iam cepit frater Dominicus et non supprior appellari. Hic est frater Dominicus predicatorum ordinis primus pater et frater, uere Dominicus a domino custoditus a corruptione peccati, uere Dominicus domini sui custos et ideo utique glorificandus. Custos quippe domini fuit iste quia uoluntatem domini custodiuit, custos domini quia uinee domini sabaoth custos a domino deputatus. At uero qui conuenerant causa fidei predicande episcopi Didaci non minus exemplo quam consilio didicerunt quam expeditos esse ueri Abrahe uernaculos expediret. Remissis ergo ad loca sua temporalium sarcinis ceperunt singuli euangelicam paupertatem amplecti, pedites discurrere ac strenue fidem Christi uerbo et opere predicare, habentes super se quasi totius negotii ducem episcopum oxomensem. Quod uidentes et inuidentes heretici ceperunt et ipsi ex aduerso importunius predicare.

Qualiter libellus sancti Dominici flammis iniectus illesus euasit

12. Fiebant autem eo tempore in partibus illis frequentes inter catholicos et hereticos disputationum conflictus sub iudicibus deputatis conueniebatque ad hoc spectaculum uirorum ac mulierum, diuitum ac nobilium et populi multitudo. Cum autem apud Fanum Iouis celebris quedam esset indicta disputationis contentio nonnulli hereticorum contra fidem ceperunt scripta confingere, plerique etiam fidelium collectis ad assertionem fidei rationibus et auctoritatibus suos conscripsere libellos quibus omnibus diligenter inspectis liber beati Dominici pre ceteris commendatus est et communiter approbatus. Statuto ergo die adest populi plurima multitudo, assunt partes, assunt et iudices. Libelli utriusque partis in medium proferuntur, alter beati Dominici, alter heretici. Longa fit disceptatio quis eorum rationabilior uideatur, cumque uerborum hinc inde contentio non posset in partem alteram declinari uisum est arbitris ut utrosque libellos flammis inicerent et si quis eorum illesus euaderet ille uere fidei testis procul dubio haberetur. Accensa igitur pira uterque libellus examinandus immittitur. Liber heretici mox flammis exuritur, liber beati Dominici prorsus non leditur sed procul exilit a camino. Secundo iterum iniectus ac tertio eque prosilit incombustus, manifesta probatione demonstrans et fidei catholice ueritatem et scriptoris sui Dominici sanctitatem.

De gratia quam deus contulit oxomensi episcopo
et qualiter instituit monasterium de Pruillano

13. Tanta uero in dei seruo Didaco episcopo lux diuine gratie radiabat ut amorem sibi omnium raperet et ipsos quoque aduersarios gratie ui quadam honestatis alliceret ut ab illis etiam amaretur. Unde et de eo pronuntiabant heretici quod necesse erat huiusmodi hominem predestinatum fore ad uitam et ad hoc ad partes illas directum ut uere fidei mereretur apprehendere disciplinam. Erant autem in illis locis nobiles quidam qui egestate compulsi filias suas tradebant hereticis nutriendas et erudiendas, immo reuera erroribus pestiferis illudendas. Quarum perniciosum miseratus opprobrium dei seruus Didacus episcopus monasterium quoddam ad earum susceptionem instituit in loco qui dicitur Pruillanum, ubi usque hodie ancille Christi gratum Deo exhibent famulatum.

Qualiter Didacus episcopus Oxomam rediit et de eius obitu

14. Exacto tandem in fidei predicatione biennio prefatus episcopus, ne forte negligencie posset redargui circa sibi commissam ecclesiam oxomensem, in Hyspaniam redire decreuit. Proponebat autem assumpta sibi de ecclesia sua aliquanta pecunia ad consummationem prefati monasterii feminarum redire ad solitum predicationis officium, ordinare etiam de consensu

summi pontificis uiros aliquos ad predicationem ydoneos, quorum uidelicet esset officii hereticorum erroribus semper obsistere et defendende contra eos fidei catholice non deesse. Relictis ergo ibi quibusdam ex sociis fratrem quidem Dominicum eis in spiritualium cura, quendam uero Guillelmum Clareti dictum in temporalium amministratione prefecit, ita tamen ut ad fratrem Dominicum referret omnium que ageret rationem. Cumque multo labore Oxomam peruenisset pedes transiens per Castellam, ad extremum uite sue perductus mortalitatis terminum immortalis uite continuauit initio ingressus in habundantia sepulcrum in requie opulenta. Fertur etiam post obitum miraculis claruisse. Nec mirum si regnans in patria uirtutum signis claruit qui adhuc in uia militans uirtutibus plenus fuit.

Quod frater Dominicus ceteris recedentibus in predicatione perstitit cum sociis suis

15. Audito igitur transitu oxomensis episcopi ceteri, qui in partibus tholosanis gratia predicandi remanserant ad propria sunt reuersi. Solus frater Dominicus cum paucis sibi adherentibus in predicationis indefessa continuatione permansit. Licet autem eum aliqui sequerentur non tamen ei adhuc aliquo professionis aut uoti uinculo tenebantur. Ex hiis uero qui cum eo remanserant erat unus Guillelmus Clareti de quo supra fecimus mentionem, alter uero frater Dominicus quidam hyspanus qui postmodum in Hyspania prior exstitit de Mannino.

Quod Tolose excidium predictum fuit a Didaco episcopo

16. Cepit interea de mandato domini pape Innocentii crux contra albigenses in Francia predicari. Videns siquidem Innocentius dure fore ceruicis hereticos nec posse uerbis filialiter erudiri seueritatis uerbera fortiter adhibere decreuit ut infructuosos palmites quos uerbi dei gladius putare non poterat ipsos priusquam uineam domini sabaoth demolirentur ad libitum materialis gladius penitus amputaret. Hanc cladem eis superuenturam beate memorie Didacus oxomensis episcopus predixerat adhuc uiuens. Cum enim eorum mentes ab erroris insania nulla persuasione posset auertere, illis irridentibus et blasphemiarum suarum ineptias impudenti pertinatia defendentibus, extensis in celum manibus ait Domine mitte manum tuam et tange illos. Quod uerbum diuina fuisse inspiratione prolatum subsecutum eorum probauit excidium.

Quanta passus est ab hereticis beatus Dominicus

17. Mansit autem ibi tunc temporis beatus Dominicus usque ad obitum comitis Montis Fortis constanter annuntians uerbum Dei, nec apostolorum quidem fraudatus est gloria qua dignus est habitus pro nomine Ihesu contumeliam pati. Irridebant siquidem et multipliciter subsannabant heretici uirum sanctum, conspuentes et lutum et huiusmodi uilia proicientes in eum. Venit quoque postmodum aliquis ex illis penitentia ductus qui diceret in confessione se luti iniectione ipsum sanctum Dominicum percussisse eique a tergo pro derisu paleas alligasse. Sed quasi nec ista sufficerent captabant in animam iusti et mortis ei parabant insidias, intemptabant atroces sacrilegis linguis minas. Quas miles Christi fidei magnanimitate contempnens necem sibi comminantibus aiebat Non sum ego dignus martirio, nondum merui mortem istam. Cum autem aliquando pertransiret locum in quo sibi paratas suspicabatur insidias non solum intrepidus uerum etiam cantans et alacer incedebat, eius exemplum secutus de quo scriptum est Oblatus est quia ipse uoluit. Audientes autem postea hec heretici admirantes eius constantiam inconcussam dixerunt ei Numquid non tu mortis horrore concuteris? Quid acturus eras si comprehendissemus te? At ille Rogarem uos inquit ne michi breui compendio mortem celerem inferretis, sed paulatim et successiue membra singula mutilantes, deinde ostensis coram meis oculis detruncatis

membrorum particulis ipsos etiam oculos eruentes, ad ultimum semiuiuum laceratumque corpus permitteretis sic cruentum in suo sanguine uolutari uel prorsus ad libitum necaretis. Ad hec uerba ueritatis aduersarii stupefacti destiterunt ultra insidiari ei cum seuientes in eum seruire potius sibi et persequentes obsequi uiderentur. Ipse uero animas Christo lucrari quas poterat totis uiribus et zelo feruentissimo satagebat, et inerat ei mira et pene incredibilis salutis omnium emulatio, conterere molas iniqui et de dentibus illius auferre predam.

Quod pro redemptione proximorum seipsum uendere uoluit

18. Caritatis quoque perfectione non uacuus pro salute proximorum animam suam ponere promptus erat. Exhortatus enim aliquando quendam dolis impietatis heretice circumuentum ut ad matris ecclesie rediret sinum, cum didicisset eum temporalium egestate compulsum ab infidelium societate non posse discedere, nam ipsi uictum ei quem aliunde habere non poterat ministrabant, deliberauit dei famulus semetipsum uenumdare atque sui pretio redimere proximum, redemptoris omnium imitatus exemplum. Quod et fecisset nisi deus qui diues est in omnibus aliunde prouidisset quo miserabilis illius hominis releuaretur egestas. Simile quidem prius fecisse dinoscitur cum adhuc in patria sua moraretur. Quedam enim mulier conquesta est ei fratrem suum apud sarracenos detineri captiuum. At ille, ut erat plenus spiritu pietatis, intimo compassionis affectu saucius uendendum se obtulit pro redemptione captiui. Sed non permisit hoc dominus qui eum sibi ad uberiores fructus iustitie et animarum quamplurium conuersionem seruabat.

Quod beatus Dominicus excogitauit exemplis
exempla retundere et ueris uirtutibus sophisticas expugnare

19. Eo tempore sciens dei famulus secularium corda exemplis potius moueri quam uerbis ideoque quamplurimos subdola hereticorum superstitione illectos pertrahi ad errorem excogitauit exemplis exempla retundere et ueris uirtutibus sophisticas expugnare. Erant siquidem persone quedam nobiles in partibus tolosanis quarum sibi familiaritatem lupi rapaces heretici pellis ouine superducto uelamine uendicabant. Pretendebant enim ut assolent miram humilitatem in habitu, simplicitatem in gestu, dulcedinem in affatu, nimiam austeritatem in uictu. Exterminabant quippe facies suas ut uiderentur ab hominibus ieiunantes. Quis uel sapiens in prima fronte non deciperetur a talibus? Quis eos non sanctissimos reputaret ? Dolens igitur sanctus animarum zelotipus huiuscemodi figmentis seduci mentes simplicium quasdam nobiles dominas incredulorum credentes ac familiares adiit et apud eas hospitio receptus est et per totam quadragesimam ibi mansit. Igitur ut et ipse eas ostensione sanctitatis alliceret tanta se ipsum cum societate sua cepit austeritate afficere quantam sine auxilio diuine gratie sustinere nequaquam infirmitas humana potuisset. Etenim cum sibi cibi more solito preparati ab ipsis hospitibus offerentur Nos inquit huiusmodi nunc alimentis non utimur, panem nobis tantum et aquam frigidam exhibete. Ieiunauit ergo uir sanctus cum socio suo in pane et aqua cotidie per totam quadragesimam usque ad pascha ita ut mirarentur familiares hereticorum et dicerent Vere isti homines boni sunt. Stratus quoque cum sibi pararetur ad quiescendum idoneus Non inquit in hac molitie sed super tabulas quiescemus. Stratis itaque sibi nudis tabulis accubuerunt. Hiis lectis, hiis culcitris, hac superlectili per totam quadragesimam singulis noctibus utebantur carnemque propriam pro salute proximorum crucifigebant cotidie nudo dormientes in ligno exemplo eius qui sompnum cepit in crucis patibulo. Sompnus autem eorum breuis erat. Surgebant enim quamcitius et anticipabant uigilias orationibus insistentes. Allocutus etiam beatus Dominicus aliquas ex dominabus illis rogauit ut sibi et socio suo uestes quasdam uiles quidem sed admodum

necessarias querere dignarentur. Interrogantibus autem illis cuiusmodi uestes essent quibus tantopere indigerent Cilicia inquit, addiditque Nemo sciat, seruetur secretum. Stupuerunt itaque admirantes tantam excellentiam sanctitatis et ceperunt magis ac magis allici ad fidem catholice ueritatis. Hec autem faciebat uir spiritu dei plenus non ut sibi fauorem humane laudis acquireret sed ut mentes infidelium ad amorem catholice religionis alliceret et ab errore superstitionis heretice reuocaret. Qua in re si cui uideatur pater sanctus imitatus fuisse ypocritas agnoscat ypocrisim duas habere facies, pulhram et fedam, exteriorem et interiorem, mutuatam et propriam, pulcram exterius qua decipit, fedam interius qua corrumpit. Exteriorem mutuatur et sibi usurpat eam ex alieno, interiorem habet de suo. Illa enim uirtutis est species, hec uitii turpitudo. Per illam denique exterius nequiter se humiliat, per hanc interiora eius plena sunt dolo. Illud igitur quod ypocrisi cum uera uirtute uidebatur esse commune exterius, boni uidelicet apparentiam, dei seruus prudenter eligens, reliquum quod est uitii, scilicet fallaciam interiorem, cauit separans pretiosum a uili. Aurum quidem, cuius fulgore subornatur ypocrita, in publicum aliquatenus pro fraterne caritatis exigentia proferebat, sed cordi eius dolus non inerat cuius conscientia nimirum obrizo amoris intimi rutilabat. Non ergo fuit ypocrisis ostensa exterius sanctitas cuius interius suberat ueritas, quamuis in huiusmodi rigoris seueritate non consistat uirtutum perfectio si desit illa que radix est et fructus omnium bonorum dilectio, ex qua nichil reprehensibile, sine qua nihil fieri potest laudabile. Hinc nonnunquam pater iste sanctus ammonebat fratres suos ut cum apud seculares essent ad proximorum edificationem aliquam ostenderent in seipsis uirtutis apparentiam in abstinentiis, in uigiliis, uerborumque ac gestuum disciplina, et sic eos sancta quadam ypocrisi ad fidei reuerentiam et uirtutis amorem propensius inuitarent. Unde et apostolus sumptus recusabat accipere ne quod offendiculum prestaret euangelio Christi, uirtutes etiam suas ac labores necnon et dei reuelationes enumerat ut plures lucrifaciat. Hinc quoque scriptum est Sic luceat lux uestra coram hominibus ut uideant opera uestra bona et glorificent patrem uestrum qui in celis est.

Quantam gratiam contulerat ei deus apud homines

20. Igitur dei seruus Dominicus apud deum et homines gratia proficiebat et fama, hereticos uero torquebat inuidia quibus claritas uiri sancti grauis erat etiam ad uidendum. Illis autem subsannantibus et de malo thesauro cordis sui proferentibus mala fidelium erga eum crescebat deuotio et catholici multo eum uenerabantur affectu, apud magnates etiam et archiepiscopos et episcopos aliosque in illis partibus ecclesiarum prelatos pro sui sanctitate ingenti dignus habebatur honore.

Qualiter habebat unde sustentaretur

21. Nondum ordo predicatorum tunc temporis institutus erat nec ulla edita constitutio ex hiis que modo in eodem ordine obseruantur sed tantum de institutione ordinis tractabatur. Frater autem Dominicus predicationi pro uiribus insistebat. Habebat uero ad sui et suorum sustentationem ecclesiam Fanis Iouis et quedam alia, castrum etiam quoddam insigne quod dicitur Cassanuel sibi a comite Montis Fortis collatum, cuius comitis erga eum feruebat deuotio et dilectio specialis. De omnibus uero que habebat beatus Dominicus, quicquid sibi suisque sociis substrahere poterat dominabus monasterii de Pruillano impertiri studebat. Mansit autem beatus Dominicus in eisdem partibus quasi solus annis fere decem a transitu uidelicet beate memorie Didaci oxomensis episcopi usque ad illud tempus quo lateranense concilium celebratum est.

Qualiter in sociis eius cepit pullulare religio

22. Eodem tempore obtulerunt se fratri Dominico duo uiri probi et ydonei de Tolosa, quorum unus extitit frater Petrus de Selam, prior tandem in eodem ordine lemouicensis, qui domos insignes et arduas quas habebat Tolose circa Castrum Narbonense contulit fratri Dominico et eius sociis, in quibus fratres Tolose primitus habitare ceperunt ; alter uero frater Thomas, uir admodum gratiosus et sermone facundus. Et extunc ceperunt qui fratri Dominico adherebant magis ac magis ad humilitatem et paupertatem uoluntariam inclinari et religiosorum se moribus conformare. Quod uidens beate memorie Fulco tolosanus episcopus, qui dilectum deo et hominibus fratrem Dominicum tenerrime diligebat, exultans ad noue lucis exortum, de consensu totius capituli sui sextam partem omnium decimarum sue diocesis ipsi et eius sequacibus elargitus est, cuius emolumenti subsidio suis ad libros atque sustentationem necessariis prouiderent.

Qualiter cum episcopo tolosano adiit Romam

23. Proficiscente autem Romam eodem episcopo ad concilium generale frater etiam Dominicus cum eo profectus est, ubi pari uoto parique consilio deprecati sunt dominum papam Innocentium quatinus ordinem qui predicatorum diceretur et esset fratri Dominico eiusque sequacibus confirmaret, ratam etiam dignaretur habere assignationem redituum tam a comite quam ab episcopo fratribus prerogatam. Quibus auditis hortabatur papa fratrem Dominicum ad fratres suos redire et de communi eorum consensu regulam aliquam iam approbatam eligere, quibus etiam ecclesiam aliquam assignaret episcopus, et sic tandem reuersus ad curiam confirmationem ordinis sui et cetera que postulauerat reportaret.

Qualiter fratres regulam beati Augustini elegerunt

24. Regressus igitur post celebrationem concilii frater Dominicus uerbum summi pontificis fratribus patefecit. Qui mox inuocato spiritu sancto regulam beati Augustini predicatoris egregii ipsi futuri predicatores unanimiter elegerunt, quasdam sibi artioris uite consuetudines insuper assumentes, in uictu scilicet et stratu pariter ac uestitu. Proposuerunt etiam, ne predicationis impediretur officium, se terrenas possessiones abicere, uerumptamen redditus adhuc uisum est ipsis quos acceperant retinere.

Quando et ubi primitus ecclesiam acceperunt fratres

25. Porro prefatus Fulco tolosanus episcopus tres eis ecclesias assignauit, unam intra terminos ciuitatis, aliam in uilla appamiensi, tertiam inter Soredam et Podium Laurentii, scilicet ecclesiam Sancte Marie de Lescura, quarum quelibet conuentualis esse debebat. Et eam quidem que intra terminos ciuitatis in honore sancti Romani fundata erat ecclesiam acceperunt fratres anno .m.cc.xvi. Erant autem fratres numero quasi .xvi., edificaueruntque iuxta eandem ecclesiam claustrum et cellas ad studendum ydoneas et simul dormitorium satis aptum. In reliquis autem duabus ecclesiis nullus unquam ex fratribus habitauit.

Quod Honorius papa ordinem predicatorum confirmauit

26. Defuncto interea papa Innocentio Honorius post eum in honorem apostolicum sublimatur. Ad quem accedens frater Dominicus confirmationem ordinis et quicquid a predecessore eius Innocentio postulauerat ad uotum plenissime impetrauit.

Qualiter intellecto per reuelationem obitu comitis Montis Fortis
frater Dominicus fratres suos dispersit

27. Sequenti autem anno postquam primitus ecclesia in tolosana ciuitate fratribus data erat ceperunt tolosani insurgere contra comitem Montis Fortis, cuius interitus fratri Dominico in uisione diuinitus premonstratus est. Videbat enim in sompnis ymaginaria quidem uisione sed intellectu non uacua arborem quandam uerticis sublimitate proceram, ramorum expansione diffusam densarumque frondium uenustate perpulcram, quiescentem quoque in ramis eius auium multitudinem copiosam. Post paululum arbor corruit et omnis ille cetus uolatilium dispersus aufugit. Intellexit igitur uir spiritu dei plenus comiti Montis Fortis, magno uidelicet principi pupillorumque tutori, proximum imminere mortis occasum. Conuocatis ergo fratribus inuocato quoque spiritu sancto dixit suum hoc esse propositum ut fratres omnes licet admodum paucos per diuersas dispergeret regiones nec se uelle de cetero eos insimul habitare, sciens quod semina dispersa fructificant, congesta putrescunt. Admirantes autem fratres cur sic eos dispergeret altiori quidem id agi consilio ignorabant, nemo tamen eius sententie contraire presumpsit, tanta enim sanctitatis auctoritas in dei seruo Dominico preeminebat quod ab eis omne dubietatis nubilum abigebat, ne ipsius sententiam aliunde quam de uultu dei procedere autumarent. Voluit autem eos aliquem sibi ex fratribus eligere in abbatem cuius arbitrio ceteri regerentur, ita tamen ut tam super ipsum abbatem quam super ceteros fratres penes fratrem Dominicum resideret auctoritas corrigendi. Hoc autem faciebat uir sanctus disponens adire terram sarracenorum et eis uerbum fidei predicare, unde etiam barbam aliquanto tempore nutriebat. Electus est igitur frater Matheus canonice in abbatem, qui primus et nouissimus in hoc ordine appellatus est abbas nec quisquam siquidem ipsi nec ipse alicui in huiusmodi dignitatis appellatione successit. Placuit namque postmodum fratribus ut insinuande humilitatis gratia qui toti preesset ordini non abbas sed magister ordinis diceretur, ceteri uero inferiores prelati priorum uel suppriorum uocabulo censerentur. Dispersit igitur dei nutu fidelis dispensator et prudens frater Dominicus fratres suos uelut quedam semina salutis animarum fructus uberrimos productura, et quosdam quidem in Hyspaniam, quosdam uero Parisius, alios autem Bononiam destinauit. Illi autem profecti salutarem ubique disseminabant scientiam magnas sustinentes augustias paupertatis et uirtus domini erat ad multiplicandum eos.

Qualiter magister Reginaldus notitiam fratris Dominici primo habuit

28. Ipse autem frater Dominicus Romam petiit, ubi cum esset accidit magistrum Reginaldum uenerabilem sancti Aniani aurelianensis decanum cum aurelianensi episcopo mare transiturum illuc usque uenire. Erat iste magister Reginaldus uir scientia preditus, uirtute pariter et opinione preclarus, qui etiam in iure canonico rexerat Parisius annis quinque. Hic tale conceperat deo inspirante propositum ut relictis omnibus que habebat predicationi totus insisteret et hunc sibi uiuendi modum eligere disponebat sed quonammodo id commodius ageret quod mente conceperat adhuc animo non satis occurrerat. Nondum enim ordinem predicatorum nouerat institutum fuisse. Habito autem cum quodam sedis apostolice cardinali familiari colloquio suum ei propositum reuelauit dicens se admodum affectare, si quo modo posset, huius uite genus attingere ut relictis omnibus Christum predicando per diuersa loca discurreret in uoluntaria paupertate. Tunc ille En inquit nouus ordo predicatorum exoritur qui secundum quod appetis et predicationis officium et paupertatem uoluntariam profitetur, magister quoque ipsius ordinis in hac romana urbe predicationis insistens officio demoratur ».

29. His auditis magister Reginaldus continuo fratrem Dominicum accersiri fecit et ei cordis sui reserauit arcanum. Illectus denique sanctitatis eius aspectu gratiosoque salutaris exhortationis

affatu extunc ordinis ipsius deliberauit ingressum. Sed mox sancti propositi examinatrix aduersitas uoto eius obicitur et idem magister Reginaldus graui infirmitate corripitur morboque inualescente succumbit propemodum natura, mortis etiam reuelantur indicia salutisque a medicis desperantur remedia. Beatus uero Dominicus concepte sobolis intempestiua dampna non sustinens totum se ad orationem contulit aures diuine clementie importunis cordis clamoribus interpellans nec ullatenus silentium ei prestans ne se tam subito nondum nati sed quodammodo spe concepti filii consolatione fraudaret et, sicut ipse postmodum in collatione fratribus referebat, obsecrans ut uel modico tempore sibi eum concedere dignaretur.

Qualiter ordinem intrauit apparente sibi beata uirgo

30. Eo igitur in orationibus persistente apparuit uisibiliter magistro Reginaldo uigilanti et uehementi ardore febrium estuanti beatissima dei genitrix, mundi domina, uirgo Maria, duabus se comitantibus speciosis supra modum puellis, ipsamque reginam se clementer alloquentem is qui patiebatur audiuit. Pete inquit a me quod uis et dabo tibi. Deliberanti uero quid peteret una ex hiis que reginam celi comitabantur puellis suggessit ei ne quid peteret nisi quod regina misericordie dignaretur conferre sed totum eius committeret uoluntati. Posuit itaque sano usus consilio in beatissime dei matris electione ut secundum beneplacitum suum ei daret quod uellet. Tunc illa manum extendens uirgineam egrotantis oculos, aures et nares, os quoque et manus, renes ac pedes salutar, quam secum detulerat unctione perunxit formulas uerborum proprias ad singulas unctiones subinferens. Quorum uerborum ea dumtaxat comperi que ad renum et pedum protulit unctionem. Ad renes quidem ait Stringantur renes tui cingulo castitatis, ad pedes autem Ungo pedes tuos in preparatione euangelii pacis, et addidit Die tertia mittam tibi ampullam restitutionis plene sanitatis. Tunc ei habitum ordinis predicatorum ostendit. En inquit hic est habitus ordinis tui. Sicque feliciter egrotantis oculis corporalem illam speciem sue uisionis abscondit. Sic curatus a celi regina Reginaldus continuo bene habens conualuit, nimirum quem mater illius perunxerat qui nouit unctiones conficere sanitatis. Mane autem facto uenienti ad se beato Dominico et qualiter se haberet familiariter sciscitanti Sanus inquit sum. At ille de spirituali hoc sanitate accipiens aiebat Scio quod uere sanus estis. Ille autem perstabat se replicans sanum esse. Cumque hoc beatus Dominicus de corporali sanitate non caperet, tunc magister Reginaldus narrauit ei ex ordine uisionem. Aguntur ergo gratie et quidem non indeuote ut arbitror saluatori, qui sanat quos percutit et eis quos uulnerat salutarem adhibet medicinam. Mirantur medici tam subitam et insperatam salutem ignorantes cuius medicine fuisset exhibitione curatus qui secundum eorum sententiam de uita fuerat desperatus. Die autem tertio sedente beato Dominico cum magistro Reginaldo erat cum eis quidam uir religiosus de ordine hospitalariorum qui uidit manifeste beatam uirginem uenientem et totum corpus magistri Reginaldi manu propria perungentem. Illa uero celestis unctio sic carnem uiri sancti magistri Reginaldi non solum ab estu febrium uerum etiam ab ardore concupiscentie temperauit quod, sicut ipse postmodum est confessus, nec primus in ea motus libidinis de cetero pullulauit. Hanc uisionem beatus Dominicus post eius transitum fratribus publicauit. Adiuratus enim ab ipso fratre Reginaldo fuerat ne hoc in uita ipsius alicui reuelaret sed secretum quasi sub sigillo confessionis seruaret. Mox igitur recepta celitus sanitate deo se totum obtulit et beato Dominico professionis se uinculo obligauit. Quo audito aurelianensis episcopus adhuc Rome persistens cepit cum magna instantia et inconsolabili cordis anxietate petere a beato Dominico quatinus ei patrem suum, sic enim magistrum Reginaldum appellare consueuerat, saltem usque ad redditum peregrinationis sue concedere dignaretur. Instabant etiam quamplures alii gratia ipsius episcopi et compassione permoti seruum dei beatum Dominicum flagitantes ut acquiesceret deprecanti. Frater uero

Reginaldus, constantissime magistro suo beato Dominico parere paratus fixus et immobilis in suo proposito permanebat. At ille, ut erat miseratione plenissimus, uictus compassionis affectu concessit prefato episcopo magistrum Reginaldum usque ad maris transitum, deinde, uisitata terra sancta ad fratres suos continuo reuersurum. Igitur frater Reginaldus recuperatis uiribus cum episcopo aurelianensi mare pertransiit et peracta illa peregrinatione Bononiam est reuersus .xii. kal. ianuarii, ubi predicationi totus insistens totam Bononiam salutari turbatione commouit et Christo quamplures animas lucrifecit. Multi etiam per eum predicatorum ordinem sunt ingressi, et extunc maxime fratrum numerus cepit augeri.

Quod magister Reginaldus missus est Parisius et de obitu eius.

31. Post hec, non sine graui desolatione fratrum quos receptos Bononie materno nutriebat affectu, missus est Parisius a beato Dominico, ubi uerbo et opere Christum predicans crucifixum post non multos dies obdormiuit in domino et consummatus in breuui expleuit tempora multa. Sepultus est autem in ecclesia Sancte Marie de Campis eo quod fratres predicatores nondum haberent propriam sepulturam.

Qualiter curauit beatus Dominicus iuuenem quasi mortuum

32. Cum autem beatus Dominicus esset Rome quidam adolescens consanguineus domini Stephani cardinalis de Fossa Noua lapsus equo precipiti grauiter collisus deferebatur exanimis. Cumque plangentium circa eum clamor incresceret contigit aduenire beatum Dominicum et cum eo fratrem Tancredum uirum religiosum, cuius etiam hoc relatione uulgatum est. Hic sua exhortatione cepit sollicitare beatum Dominicum quatinus pro salute adolescentis dominum precaretur : Ubi est inquit modo pietas tua pater, ubi fides nunc in domino ? Cur non dominum deprecaris ? Ille tam fratris precibus quam pietatis motus uisceribus fecit illud pene, uel penitus, ut uidebatur, extinctum adolescentis corpusculum in conclaue clanculo introduci. Facta autem oratione protinus eum uite restituit et saluti.

Qualiter pluuiam facto signi crucis compescuit

33. Retulit quoque frater Bertrandus uir fide dignus quod cum aliquando una cum eo iter ageret facta est subito super eos aeris intemperies, cumque iam multa inundatio pluuiarum terram infunderet beatus Dominicus facto signo crucis omnem illam ante se inundationis eluuiem propulsauit et de cruce quodammodo papilionem fecit ut dum gradientes semper coram se quasi tribus cubitis terram cernerent densa imbrium infusione madescere super eos autem nec una quidem gutta stillaret.

De profectione sancti Dominici in Hyspaniam et quid ibi egerit

34. Post receptionem magistri Reginaldi in ordine beatus Dominicus in Hyspaniam profectus est ubi duas domos instituit, unam scilicet apud Maioritum que modo est monialium, alteram apud Secobiam que domus fratrum predicatorum in Hyspania prima fuit. Cum autem esset in Hyspania in loco qui dicitur Guadalfaiara, quibusdam sibi fratribus sociatis temptauit eos sathanas ut a beati uiri societate discederent. Quod uirum sanctum Dominicum non latuit antequam fieret. Apparuit enim ei per uisum immanissimus quidam draco qui fratres illos qui secum erant absorbere apertis faucibus uidebatur. Intellexit igitur uir spiritu dei plenus graue fratribus diabolice temptationis imminere discrimen, et uisionem eis terribilem propalauit hortans eos ut constanter resisterent temptatori a quo nemo nisi spontaneus absorbetur. Breui autem spatio temporis interiecto fratres illos quos paulo ante draco absorbuerat per uisum absorbuit per

effectum. Nam omnes qui cum beato Dominico esse uidebantur exceptis tribus, scilicet fratre Adam et duobus conuersis, suadente diabolo recesserunt. Interrogatus autem quidam ex illis a beato Dominico an et ipse uellet abire Absit inquit pater karissime ut relicto capite sequar pedes. At uero pater sanctus erga eos qui recesserant non indignatione sed compassione permotus continuo ad consuetum orationis refugium se conuertit et quos preceptis retinere non potuit precibus reuocauit. Nam paulo post omnes fere ad eum instinctu diuine gratie redierunt.

De reditu eius Parisius et in Bononiam et sapiente eius stultitia

35. Post hec reuersus Parisius ibique paululum cum fratribus demoratus Bononiam adiit et tunc inde fratrem Reginaldum superius memoratum Parisius destinauit. Inerat enim ei mirabilis quedam consuetudo ut fratres huc illucque dispergeret et quedam que humano sensui uidebantur ambigua ita confidenter ageret ac si de futuris iam euentibus certus esset atque, ut non inmerito credi potest, per spiritus sancti reuelationem edoctus. Paucos a principio fratres habebat et modicum litteratos et hos ipsos sparsim per ecclesias ad predicandum mittebat ut filiis huius seculi secundum suam prudentiam iudicantibus potius inchoata destruere quam aliquid magnum construere uideretur. Sed hec diuino spiritu acta esse sequentes rerum exitus probauere. Denique quos pater sanctus dispergendo periculis exponebat orationis sue clipeo protegebat.

De quodam sacerdote qui diuino oraculo est beatum Dominicum secutus

36. Quidam autem sacerdos, uidens beatum Dominicum cum fratribus suis predicationi feruenter insistere nulla terrenorum premii sollicitudine ceterisque postpositis solis spiritualibus indulgere, cepit eorum uitam pia emulatione appetere beatum fore se reputans si eos posset aliquando imitari. Deliberauit quoque prorsus relictis omnibus eorum adherere uestigiis dummodo noui testamenti librum haberet quem sibi ad predicationem necessarium estimabat. Hec autem eo cogitante ecce quidam iuuenis uenalem baiulans sub ueste codicem affuit, quem sciscitatus predictus presbiter cuiusmodi liber esset agnouit nouum esse testamentum statimque cum magno gaudio illud emit. Habito autem libro mox irrepsit ei temptatio et cepit hesitare an propositum illud quod mente conceperat exequi expediret et an forsitan deo placeret. Cum ergo in mente ipsius uarie sibi cogitationes succederent uisum est ei in libro illo diuinum flagitare responsum et fusa ad deum prece impressaque clauso libro exterius cruce, inuocato dei nomine, librum aperuit et oculos ad capitulum quod primo se obtulit in ipsa libri apertione coniecit. Occurrit autem ei mox illud quod in actibus apostolorum beato Petro de Cornelii nuntiis dictum a spiritu sancto legitur; Surge descende et uade cum eis nichil dubitans quia ego misi illos. Statim igitur tamquam diuino certificatus oraculo relicto seculo secutus est eos.

De quodam episcopo de ordine dubitante, qualiter per librum certificatus est

37. Accidit etiam quodam tempore cum iam fratrum conuentus numerosior esset Bononie ut quidam apostolice sedis legatus, episcopus uidelicet portuensis Conradus nomine, uir religiosus ordinis cisterciensis, Bononiam deuenisset. Hic in conuentu fratrum predicatorum ueniens debito cum honore susceptus est. Quedam autem hesitationis de hoc ordine mentem eius cogitatio agitabat, uidelicet quid sibi uellet noua huiusmodi et inaudita religio et an esset ex hominibus an ex deo. Posita igitur sibi kathedra residens in ecclesia fratrum librum aliquem petiit oblatusque est ei liber missalis. Quem facto signo crucis aperiens in superiori primi folii parte legit Laudare benedicere et predicare. Quo tamquam celitus emisso responso exhilaratus omnem ambiguitatis scrupulum iam certus abiecit. Tunc quasi totis uisceribus fratres amplexus ait Ego quidem etsi

alterius professionis habitum exterius prefero uestrum tamen interius mente gero nec dubium uobis sit, quin totus sim uester ; uestri ordinis sum, uobis me tota deuotione committo.

Quod non comprobetur per hoc sortilegium

38. Nec ista nos dicimus quod sortilegorum approbemus prestigia qui futuros et incertos rerum euentus incertioribus taxillorum siue in libro uersuum ceterarumue sortium coniecturis inaniter auspicantur. Nam aliud est ex incertis casibus certitudinem futurorum diuinando presumere, aliud in ambiguis, humano uidelicet deficiente consilio, diuinum orando fideliter oraculum expectare. Nam et Dauid ceterique patres antiqui frequenter dominum consulebant. Hoc autem non sine necessitatis articulo faciendum nec sine miraculi reuelatione credendum. Scriptum est enim Non temptabis dominum deum tuum. Rursus scriptum est : Cum ignoramus quid agere debeamus hoc solum habemus residui ut oculos nostros dirigamus ad te. Hinc etiam iudeis mos erat creberrimus signa petere a domino deo suo.

De sancti uiri moribus

39. Tanta uero uir iste beatus morum honestate pollebat, tanto diuini feruoris impetu ferebatur, ut ipsum esse uas honoris et gratie, uas ornatum omni lapide pretioso haud dubie probaretur. Inerat ei firma ualde mentis equalitas nisi cum ad compassionem et misericordiam turbaretur, et quia cor gaudens exhilarat faciem placidam interioris hominis compositionem manifesta de foris benignitate ac uultus hylaritate prodebat. Tantam autem seruabat in hiis que secundum deum rationabiliter fieri concepisset cordis constantiam ut uix aut numquam semel enuntiatum cum digna deliberatione sermonem acquiesceret immutare. Et cum multa in eius facie, sicut commemoratum est, de bone conscientie testimonio semper eluceret hylaritas, lux tamen uultus eius non cadebat in terram. Denique per hanc omnium sibi facile uendicabat amorem, omnium sine difficultate mox ut eum aspicerent illabebatur affectibus. Ubicumque uersaretur siue in uia cum sociis aut in domo cum hospite reliquaque familia aut inter magnates et principes et prelatos semper edificatoriis affluebat sermonibus, habundabat exemplis, quibus ad amorem Christi seculiue contemptum audientium animus flecteretur. Ubique uirum euangelicum uerbo se exhibebat et opere. Tempore diurno cum fratribus sociisue nemo communior, nemo iocundior, nocturnis horis nemo uigiliis et obsecrationibus per omnem modum instantior. Ad uesperum demorabatur ei fletus et ad matutinam letitia. Diem impartiebatur proximis, noctem deo, sciens quoniam in die mandauit dominus misericordiam suam et nocte canticum eius. Flebat autem uberrime atque creberrime, et fuerunt ei lacrime sue panes die ac nocte, die quidem tunc magis cum missarum crebra et quotidiana celebraret sollempnia, nocte uero cum super omnes infatigabilibus excubaret uigiliis.

40. Erat ei pernoctandi in ecclesiis creberrima consuetudo usque adeo ut uix aut raro certum ad quiescendum lectulum uideretur habere. Orabat igitur noctibus et perseuerabat uigilans quantum a fragilitate corporis extorquere potuisset, et cum tandem lassitudine succedente et lentescente spiritu somni interpellaret necessitas siue ante altare siue alio quocumque in loco aut certe super lapidem ad instar patriarche Iacob capite reclinato paululum requiescens rursus euigilabat ad spiritum orationisque feruorem. Omnes homines largo excipiebat caritatis sinu et cum omnes diligeret ab omnibus amabatur. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus sibi proprium uendicabat, affluens pietate et se totum in proximorum curam atque miserorum compassionem effundens. Hoc eciam cunctis eum faciebat gratissimum quod simplici gradiens uia nullum unquam uerbo uel opere duplicitatis aut fictionis pretendebat uestigium. Verus erat paupertatis amator uilibus utens indumentis et in cibo simul ac potu modum temperatissimum

obseruabat delicata uitans et libenter simplici pulmento contentus, habens firmum sue carnis imperium, et utens uino sic temperate limphato ut necessitati satisfaciens corporali numquam subtilem eius ac tenuem spiritum hebetaret.

41. Quis huius hominis usquequaque umquam uirtutem imitari sufficiat ? Mirari possumus et ipsius exemplo pensare nostri temporis inertiam, posse uero quod ille potuit non humane uirtutis sed singularis <est> gratie nisi quem forte miserans dei bonitas in simile dignata fuerit prerogare sanctitatis fastigium. Sed ad hec quis ydoneus ? Imitemur fratres ut possumus paterna uestigia simul et agamus gratias redemptori qui talem in uia hac qua ambulamus ducem exhibuit seruis suis per eum nos in huius conuersationis lucem regenerans, et deprecemur misericordiarum patrem ut illo nos regente spiritu quo filii dei aguntur per terminos quos posuerunt patres nostri ad eandem metam perpetue felicitatis et sempiterne beatitudinis ad quam ille sine fine felix introiit nos quoque indeflexo tramite pertingere mereamur prestante domino nostro Ihesu Christo, cui cum patre et spiritu sancto est honor et gloria in secula seculorum, amen.

De ultima egritudine beati Dominici et admonitione

42. At uero beatus Dominicus appropinquante fine certaminis, cursus meta et bonorum laborum fructu glorioso, repositam sibi coronam iustitie accepturus in celo cepit apud Bononiam positus graui corporis egrotatione languescere, spiritu tamen deo infatigabiliter adherebat. Inualescente siquidem infirmitate corporis non deficiebat sed proficiebat et perficiebatur potius uirtus interior mentis. Conuocatis igitur ex fratribus bononiensis conuentus .xii. cepit eos ad canonice religionis obseruantiam, ad uirtutum constantiam exhortari, admonuit quoque cauenda esse summopere feminarum et maxime iuuencularum suspecta consortia que illecebrosa admodum uiriles etiam animos aut emolliunt aut inclinant. Semetipsum etiam licet ex matris utero in carnis integritate diuina gratia conseruatum asseruit nondum illam inperfectionem euadere potuisse quin magis afficeretur iuuencularum colloquiis quam affatibus uetularum.

De testamento eius et felici transitu

43. Ne autem filios quos dederat ei dominus exheredes et orphanos derelinquere uideretur utpote tanti patris ope ac consolationum ipsius opibus destitutos testamentum condidit quale decebat pauperem Christi diuitem in fide et coheredem regni quod repromisit deus diligentibus se, testamentum inquam non terrene pecunie sed gratie, non materialis supellectilis sed spiritualis uirtutis, non terrene possessionis sed celestis conuersationis. Denique quod possederat hoc legabat. Hec sunt inquit fratres karissimi que uobis tanquam filiis hereditario iure possidenda relinquo : caritatem habete, humilitatem seruate, paupertatem uoluntariam possidete. O testamentum pacis, testamentum nulla obliuione delendum, nulla dedignatione spernendum, nulla superordinatione mutandum. Testamentum inquam non morte testatoris, sed inmortalis uite adeptione sancitum. Beatus qui non negligit, qui non spernit uel abicit caritatis incorruptibile uestimentum, fertilem humilitatis fundum, desiderabilem paupertatis thesaurum tanti patris sibi traditione legatum. Has uirtutes uirum sanctum Dominicum possedisse non ambigit quisquis eius adhuc in carne positi conuersationem nouit quam uirtutibus plenam fuisse etsi taceat lingua clamant miracula felicem eius transitum tam precedentia quam etiam subsecuta, ipsa quoque eius grandis in morte fiducia iustum eum proloquitur ut merito eius memoria cum laudibus habeatur. Fratribus namque tanti patris decessum egre ferentibus confidenter asseruit non oportere eos de sua defunctione tristari cum utiliorem eum forent post obitum habituri. Certus quippe de sua, pro suorum erat salute sollicitus, eo potentiorem se ad impetrandum fore non dubitans quo in potentias domini securior introisset. Illud autem pater egregius quanta potuit districtione

prohibuit ne quis in hoc ordine possessiones induceret temporales, maledictionem dei et suam terribiliter imprecans ei qui hunc ordinem quem precipue paupertatis decorat professio terrenarum diuitiarum puluere presumpserit obfuscare. Denique beatus Dominicus post labores diuturnos quibus in uinea domini sabaoth fideliter desudauerat introiuit in gaudium domini sui diurnumque accepit denarium compleuitque dies suos in bono et annos suos in gloria anno incarnationis dominice .m.cc.

Corpus eius ubi et a quo sit sepulture mandatum

44. Interfuit autem eius exequiis uenerabilis hostiensis episcopus, tunc apostolice sedis in Lombardia legatus postmodum uero papa Gregorius, corpusque eius sacrosanctum cum digna deuotione per semetipsum sepulture mandauit. Nouerat quidem sanctam eius conuersationem in domino et speciali eum sibi dum adhuc uiuere, astrinxerat dilectionis amplexu. Sepultus est autem Bononie in ecclesia Sancti Nicholai fratrum predicatorum quorum ordinis ipse primus extitit institutor.

Qualiter eius transitus fuerit Brixie reuelatus

45. Eadem die eademque hora defunctionis sue frater Wala eiusdem ordinis, tunc prior Brixie postmodum autem eiusdem ciuitatis episcopus, cum se in loco campanilis fratrum in Brixia paululum reclinasset leui quodam depressus est sompno uiditque interioribus oculis quasi aperturam quandam in celo. Per aperturam uero illam submittebantur candidissime due scale. Summitatem unius scale manu tenebat Christus dominus, summitatem uero alterius mater eius, angeli autem lucis discurrebant ascendentes et descendentes per eas, et ecce inter utramque scalam sedes posita erat in imo et supra sedem sedens, et qui sedebat similis erat fratri habenti faciem uelatam caputio quemadmodum in ordine moris est fratres mortuos sepeliri. Trahentibus autem paulatim scalas illas Christo Ihesu et matre eius trahebatur et sedes pariter cum sedente donec psallentibus angelis celo illatus est. Receptis igitur in celum scalis et sede et eo qui in sede fuerat collocatus celi apertura clausa est uisioque disparuit. Excitatus a sompno frater ille, quamuis ex infirmitate precedenti debilis adhuc esset, confestim Bononiam iter arripuit, ubi rei ueritatem diligenter explorans comperit eandem diem eandemque horam fuisse qua sibi uisio illa celestis apparuit et qua sancta illa anima beatissimi patris Dominici migrauit e corpore presentis incolatum miserie superne beatitudinis habitatione commutans, ubi ab ubertate domus dei feliciter debriatur regem glorie dominumque uirtutum in decore suo conspiciens Ihesum Christum dominum nostrum, qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat deus per omnia secula seculorum, amen.

De translatione sancti Dominici et miraculis
coram papa Gregorio .ix. approbatis

46. Post obitum quoque uiri sancti Dominici diuina non defuere miracula, quorum quidem plurima indiscreta quorundam humilitas occultauit dicentium non debere receptari miracula ne sub obtentu deuotionis notam incurrerent cupiditatis, plura uero per negligentiam aboleuit obliuio, mater ingratitudinis, gratie inimica. Quedam uero conscripta sunt diligenti prius inquisitione discussa et coram domino papa Gregorio fidelium attestatione probata, que huic opuscolo inserenda decreui.

47. Igitur cum beati Dominici crebrescentibus euidenter miraculis non posset ultra sanctitas occultari fidelium dignum duxit deuotio corpus eius humili prius solo repositum ad altiorem locum reuerenter transferre. Indignum quidem uidebatur ut eius ossa humanis subiecta pedibus

humus obtegeret cuius animam ethereis subuectam esse iam sedibus indubitata fide constaret. Erat autem monumentum ipsius in quo primum fuerat tumulatus grandi lapide durissimoque cemento conclusum ita ut ne spiramen quidem uel ab interioribus posset procedere uel ab exterioribus subintrare. Hoc cum fuisset, fracto uix ferreis instrumentis cemento sublatoque lapide, patefactum, tanta subito ex ipso erupit suauissimi odoris fragrantia ut non tam sepulcrum quam cella uideretur aromatum patuisse. Reuera etenim corpus eius uirgineu, quod illibata integritate manserat incorruptum, sancti spiritus organum, salutaris unguenti extiterat alabastrum, uirtutum cella, carismatum apotheca. Erat etiam odor ille tantus tamque mirabilis ut inusitata fragrantia cuncta superaret aromata nec alicuius rei naturalis odori similis uideretur. Nec solum ossibus aut pulueri sacri corporis uel capse inerat uerum etiam fratrum manibus horum quippiam tangentium adherebat. Qua in re pensandum quam immensis in celo deliciis perfruatur spiritus cuius tanta suauitate redolet adhuc in puluere iacens corpus.

48. *uide supra § 41*

49. Quidam scolaris nomine Nicholaus de Bosco anglicus natione uigorniensis diocesis degens Bononie graui renum ac genuum dolore uexatus a festo sancti Michaelis usque ad pentecosten nec per se iam poterat surgere nec per domum sine baculo uel alterius sustentationis adminiculo ambulare. Denique inualescente morbi molestia .xv. diebus de lectulo non surrexit, sed et leuum femur eius uehementi macie attenuatum emarcuit in tantum quod omnis ab eo secundum medicorum iudicia spes curationis abscessit. Adhibitis enim quam pluribus medicine remediis nichil ei proderat sed magis deterius habebat. Itaque humano destitutus auxilio Christo domino se deuouit et beato Dominico dicens Ego me uoueo Ihesu Christo et beato Dominico ut me ab hac infirmitate liberet, quod utique si uoluerit et ualebit. Volens etiam in signum deuotionis offerre candelam iuxta modum proprie quantitatis cepit filo stupeo de quo facienda erat candela corporis sui longitudinem et grossitiem mensurare, cumque se totum mensus esset in longum, caput etiam et collum ac pectus, deinde renes ac femora, tandem genu filo ambiente cinxisset, inuocato ad quamlibet mensurationem nomine Ihesu Christi et beati Dominici, continuo se alleuiatum sentiens exclamauit Ego sum liberatus. Et exsurgens lacrimabatur pre gaudio, currensque sine baculo uel aliquo fulcimento uenit non egens uehiculo ad ecclesiam Sancti Nicholai ubi corpus beati Dominici quiescebat. Distabat autem ecclesia ab eius hospitio quantum iacere potest arcus. Recessit igitur restitutus pristine sanitati Christi Ihesu gratias agens nomini ac beati Dominici testimonium perhibens sanctitati.

50. Quedam puella Bononiensis nomine Thomasina grauem morbum et pene incurabilem diebus quindecim in sinistra patiebatur maxilla, cumque multe fluxu putredinis et saniei ulcerata eius facies fedaretur impossibile uidebatur quin aliqua cicatrice uel deformi macula turparetur. Temptatis igitur frustra uariis medicine remediis ad inuocationem beati Dominici beneficium obtinuit sanitatis. Mane siquidem diei sequentis nec uestigium quidem morbi remansit in facie excepta quadam rubedine nullam deformitatem prestante sed tanti miraculi memoriam commendante.

51. Bononiensis quedam domina, Ghisla nomine octo annis dextri lateris a cingulo inferius uires prorsus amiserat ita quod nec pedem nec tibiam mouere poterat nisi forte manibus sicut lignum. Hec inuocato beato Dominico adepta protinus sanitate caruit omni morbo gratias agens deo.

52. Iuuenis quidam de Manzolino nomine Manfredinus a festo sancte Agathe usque ad festum pentecostes omnium membrorum uiribus destitutus nec ambulare per se poterat nec super latus iacere nec in terra nisi alio se deponente sedere nec se nisi alio trahente leuare. Tibias quoque proprias frustra et quasi alienas portabat. Is cum adhibita sibi medicamina expertus esset

inania et nociua inuocauit beatum Dominicum et perfecte continuo sanitatis assecutus est donum.

53. Ghislina quedam mulier apud Manzolinum commorans ab introitu quadragesime usque ad translationem beati Dominici graui totius corporis infirmitate detenta brachii sinistri et usum pariter et sensum amiserat, quod ita erat emortuum et penitus arefactum quod nec uulnus in eo causa minutionis illatum sentire poterat,nec ex ipso uulnere sanguinem emittebat, eratque ipsum brachium dextro gracilius, quod etiam nimium extenuauerat longus morbus. Que ut beato Dominico se deuouit statim perfecte curationis beneficium reportauit.

54. Alia quoque manens apud Manzolinum mulier nomine Menacheta labii inferioris iam per anni spatium priuata erat officio ut nec loqui posset nec sine magna difficultate sumeret alimenta eo quod enormiter labium illud intumuerat et quasi emortuum dependebat. Inuocauit opem beati Dominici et dudum amisse reddita est continuo sanitati. Nec mirum si labia sanat corporis cuius labiis sepe curate sunt pestes mentis.

55. Sed et iuuenis quidam nomine Ciminianus per quatuor annos et amplius graui languore detentus ita ut capillis elapsis a capite et sanie defluente grauissime passionis preferret indicia beati Dominici meritis potitus est beneficio sospitatis. Cum enim iuuari non posset a medicis inuocato beato Dominico a longo breuiter liberatus est morbo.

56. Quidam Cambrius nomine de Batitoribus apud Pragatuli dum purgaret aream ingressam in guttur atque inherentem reicere non ualebat aristam. Octo denique diebus graui gutturis dolore grauatus, per dies quattuor increscente grauamine nec cibum sumpsit nec sermonem emisit. Cumque sibi medicine remedio subueniri non posset ad inuocationem beati Dominici statim redditus est saluti.

57. Alius quoque nomine Marsilius de Suauitis, febri continua et graui pectoris dolore uexatus et quasi iam in extrema uite sue regula constitutus beato se commendans Dominico statim conualuit admirantibus pie cunctis in subitatione insperate salutis.

58. Quedam mulier Iohanna nomine Ultramontana respectu Bononie usum digiti .xx. annis amissum, incurabiliter siquidem arefactus fuerat et contractus, sancti Dominici deuota inuocatione statim recepit.

59. Raphanellus quidam nomine ruptus in inguine, descendentibus quoque in uirilia intestinis uehementer afflictus inuocato beato Dominico continuo liberatus est.

60. Ante translationem autem corporis beati Dominici quidam puer nomine Petriciolus rupturam passus in inguine annis duobus defluentia in osceum intestina gestabat, cumque nulla posset medicorum ope curari matre eius inuocante beatum Dominicum preter spem diu desperatam recuperauit salutem.

61. Quedam mulier Alda nomine quinque annis habens scrofulas et glandulas sub ascella, uesicas circa mamillas in dextro latere fetida ualde sanie defluentes, graui admodum affligebatur dolore ita ut nec etiam super dextrum latus posset iacere. Hanc quoque ad inuocationem beati Dominici Ihesu Christi pietas continuo liberauit.

62. Scolaris quidam nomine Guilelmus Alacre de Castro Vauri diocesis Tolosane studens Bononie duplici tertiana grauiter cruciatus iam incusserat desperationem suis de recuperande remedio sanitatis. Is ad ecclesiam Sancti Nicholai ueniens ut super lapidem superpositum sepulcro beati Dominici iacuit percepta continuo sanitate surrexit.

63. Quedam mulier nomine Bonafilia nasi et superioris labii tumore non mediocriter grauabatur. Obortus siquidem morbus qui ficus dicitur sic labium eius et nasum inflauerat quod ad modum oui galine ori eius deformis grossities imminebat ac fetorem horribilem exhalabat.

Hoc malum igitur perpessa biennio nec quicquam proficiens medicorum auxilio beatum Dominicum precibus adiit et diu desideratam salutem subito impetrauit.

64. Puer quidam lohannes nomine grauissima per tres dies decubuit infirmitate cumque iam euidenter apparerent mortis indicia omnes etiam medicine artis periti de eius desperabant uita. Mater autem eius beatum Dominicum petiit et ab ipsis mortis ianuis reuocatum et incolumem filium mox recepit.

65. Mulier nomine Cortesina graui per annum et dimidium et amplius infirmitate confracta omnium fere membrorum erat officio destituta et inutilis prorsus effecta ita ut non posset quippiam operis exercere. Inuocatione autem facta ad beatum Dominicum liberata continuo uires corporis recuperauit et usum.

66. Quidam puer Heymericus nomine per octo dies et amplius grauissima egrotatione decumbens nec loqui iam poterat nec cibum aut potum sumere preualebat totumque corpus eius letali iam pene frigore congelatum uicine mortis euidens preferat indicium. Cunctis igitur de salute eius desperantibus inuocatur beatus Dominicus, et subito redit salus.

67. Alius quoque puer nomine Petrinus per .xv. dies et amplius grauissime infirmitatis molestiis occupatus miserabiliter intuentium molestabat aspectus. Ab umbilico siquidem inferius grandi tumore inflatus suique impotens erat effectus ita ut nec ire posset aut stare uel aliquatenus se iuuare, nec erat quisquam qui eum cerneret qui non ipsum quasi unum ex mortuis reputaret. Facto autem uoto ad beatum Dominicum contra spem omnium adeptus est celerem sanitatis effectum.

68. Nec silenda est pueri Radulfi mira curatio ad eius gloriam qui ex ore infantium et lactentium perficere nouit laudem ut destruat inimicum sue perfidie defensorem. Languens siquidem per tres septimanas et amplius dictus puer ad portas mortis euidenter et secundum rationem inferioris nature irreuocabiliter propinquabat. Denique diebus octo nec cibum sumere poterat nec mamillam suggebat eratque iam illud corpusculum summa confectum macie, naturali quoque calore adeo destitutum ut nemo esset qui ipsum ad uitam presentem confideret redditurum. Facto autem pro eius salute a parentibus uoto ad beatum Dominicum inuenerunt eum protinus liberatum.

69. Adiciendum et hoc laudibus uiri sancti ad conterendas molas obloquentis iniqui. Mulier quedam Guisla nomine apud Ymolam graui dentium urgebatur dolore itaque uehementissimi cruciatus aculeis agitata nec quiescere poterat nec sompnum oculis capiebat sed uelut furiosa continuis clamoribus ululabat. Facto autem ad beatum Dominicum uoto incolumitatem obtinuit in momento.

70. Illud quoque nulla obliuione delendum quod Andulfus nomine de Mazanello in se ipso expertus est patratum miraculum. Qui periculosi admodum apostematis per mensem et amplius in afflictione grauatus ab omnibus uidentibus iudicabatur mali illius grauamine moriturus. Erat enim apostema illud preturgidum in parte interiori dextri lateris sub ascella nec uidebatur ulla ei posse succurrere medicina. At ubi facto uoto inuocatus est beatus Dominicus statim sanitatis effectrix affuit dei uirtus. Nam protinus typus detumuit et is de cuius uita desperabatur homo sanus euasit.

71. Scribatur et hoc in generationem alteram ut populus qui creabitur laudet dominum in Dominico seruo suo et nichilominus Dominicum laudibus attollat in domino qui aperit os mutorum et linguas infantium facit disertas. Duo namque pueri cuiusdam Alberti de Tusignato filii muti a natiuitate permanserunt, etatis quidem alter super quintum et dimidium, alter uero supra tertium et dimidium agens annum. Facto autem uoto pater eorum inuocauit beatum

Dominicum et statim utrique datum est diuinitus expedite locutionis officium et uetus absoluit silentium nouum uerbum.

72. Huc accedat et Berte puelle diu quidem perdita sed mira celeritate restituta loquela. Huius enim lingua tenus gutture bouis cornupete percussione discissa muti oris inutiliter occupabat claustra coactoque pressa silentio nulla formare poterat prorsus uerba. Inuocato autem beato Dominico fecit uotum et integritatem lingue pariter recuperauit et usum.

73. Nec sane pretereundum sanctitatis habundans quidem sed euidens argumentum quod beati Dominici meritis non tantumomodo salus egris, gressus claudis, loquela mutis, sed etiam lumen cecis redditur et surdis auditus. Nam quedam mulier Druda nomine oculorum priuata lumine per tres annos et amplius extincti sustinuit dampna uisus nec ullius potuit medicaminis exhibitione iuuari. Inuocato autem beato Dominico uotum fecit et statim lumen oculorum recepit.

74. Quedam autem puella Gilborga nomine surditatem incurrerat ita quod per mensem et amplius nichil prorsus intelligere poterat uel audire. Clamans eius mater ad beatum Dominicum exaudiri meruit et auditum filie impetrauit.

75. Similiter quedam mulier nomine Ricaldina de Serra diocesis imolensis per annum et amplius tante surditatis sustinuit incommoda ut nichil auditu perciperet nisi quis super eam auribus eius fortiter inclamaret. Inuocatus igitur ab ea beatus Dominicus clamosis precibus aures prebuit, auditum surdis auribus restaurauit.

76. Multa quidem et alia tam in uita gloriosissimi patris huius quam post obitum perpetrata innotuere miracula que non sunt stili officio designata. Hec autem breuiter adnotata sunt ad sanctitatis eius astructionem, ad fidelium edificationem, ad laudem quoque et gloriam eius qui facit mirabilia magna solus, qui trinus in personis et unus in essentia uiuit et regnat per infinita seculorum secula, amen.

77. De curationibus etiam infirmitatum plura nobis innotuerunt que ad presens scripto mandata non sunt sanctitatis eius insignia.

CONSTANTIN D'ORVIETO
LÉGENDE DE SAINT DOMINIQUE
(p. 867-953)

Legenda Constantini Urbevetani, ed. Heribert Christian SCHEEBEN, MOPH XVI, Romæ : Ad S. Sabinæ, 1935, p. 263-352.

Nous utilisons l'édition provisoire que nous a généreusement communiquée le P. Simon Tugwell, qui adopte une nouvelle numérotation des paragraphes. Les numéros de paragraphe de l'édition Scheeben sont néanmoins maintenus entre parenthèses.

1. Reuerendo in Christo patri fratri Iohanni magistro ordinis fratrum predicatorum frater Constantinus obedientiam debitam et deuotam. (2) Dudum michi per litteras uestra mandauit paternitas ut miracula quedam a uobis pariter destinata legende uenerabilis patris beati Dominici diligenter insererem et suis locis competenti dictamine collocarem, quamuis mentem uestram super hoc nequaquam tunc plene conicerem, propter quod et dubitans distuli quod mandastis. Nuper autem in nostro prouinciali capitulo per priorem nostrum prouincialem iteratum pariter et expressum a uobis accepi mandatum ut legendam ipsam totam cum predictis miraculis necnon et aliis que ubicumque inuenire possem fideli quidem attestatione probata digererem et decenti per omnia diligentia compilarem. Quapropter, quamquam ad hoc insufficiens, de obedientie tamen confisus merito, mentem adhibui, studium excitaui, et ecce ex omnibus superflua resecans, diminuta supplens, minus ordinata componens, opus offero requisitum, nonnulla sane de priori legenda, prout uidelicet ibi sunt posita, minime dedignatus, maxime que de tractatu quodam quem prius super hoc felicis memorie magister lordanis disseruit assumpta cognoui. Sic autem in omnibus seruare medium pro uiribus studui ut nec uerborum rusticitas hystorie nobilitatem diminuat nec ornatus superfluus suspitionem pariat ueritati, secure protestans quod nichil in ea notatum est quod non prius debita sit examinatione discussum et ad unguem in singulis elimatum. (3) Suscipiat igitur uestra paternitas quod iniunxit et felicem patrem gloriosum Dominicum miris nec minus ueris splendoribus ut ita dixerim innouatum uniuersitas gaudeat filiorum. Audacter namque profiteor quod in comparatione eorum que de nouo sunt addita, pauca simul et parua censenda sunt que prior editio continebat cum etiam ea que maioris estimationis uidentur, discussa diligentius et inspecta prout ibi sunt posita, inueniantur propter defectum in rebus gestis plenarie ueritatis non multum ad titulum beati Dominici pertinere, nonnulla uero notam potius et minorationem important. In omnibus autem et singulis quantum ex hac compilatione laudi eius accreuerit ipsius diligens examinatio poterit iudicare si tamen pium et fidelem habuerit inspectorem.

Nota quod omnia miracula de nouo posita sunt exterius signata tali signo. ⁂

Incipit prologus in legenda beati Dominici primi fundatoris ordinis fratrum predicatorum compilata per fratrem Constantinum.

2 (4). Multifarie multisque modis olim deus electos ad eternum inuitans conuiuium nouissime diebus istis misit seruum suum dicere inuitatis ut uenirent quia iam parata sunt omnia. Seruum hunc ordinem predicatorum sanctus interpretatur Gregorius nouissimis dirigendum temporibus, ad humanas uidelicet mentes de uicino aduentu iudicis commonendas. Nouum enim aliquem predicatorum ordinem futurum scriptura premonuit quem circa finem seculi mittendum

tam signanter expressit. Misit inquiens seruum suum hora cene. Hora cene finis est mundi, nos autem sumus in quos fines seculorum deuenerunt.

3. Huius ordinis primus institutor et pater extitit beatus Dominicus, cuius uitam inclitam et obitum gloriosum necnon uirtutum prodigia quibus diuina potentia largiente siue dum uiueret siue post obitum coruscauit, prout ad nos ueritatem omnium per testes ydoneos sancita transmisit auctoritas, humili quidem sed ueraci stilo perstringimus illius gratiam inuocantes qui sanctorum suorum et uitam ad meritum et obitum prouehit ad triumphum, propter quod nec inmerito in sanctis suis mirabilis predicatur.

De ortu eius et qualiter reuelatus est matri in forma catuli nasciturus.

4 (5). Venerabilis igitur pater beatus Dominicus, quem occiduo tempore mundo pariter occidenti destinandum prouidentia diuina disposuit, ex occiduis partibus Hyspanie, scilicet uilla quadam que dicitur Calaroga oxomensis diocesis, patre Felice, matre uero lohanna nomine, secundum carnem duxit originem. Cuius mater priusquam ipsum conciperet, ut quis esset futurus non solum facta sequentia uerum etiam factorum sequentium procurata diuinitus presagia loquerentur, uidit in sompnis se catulum gestantem in utero ardentem faculam baiulantem in ore qui egressus ex utero totam mundi faciem inflammabat. In quo quid daretur intelligi nemo, qui predicatorem in catulo, in ardente uero facula diuinum eloquium sacra attestante scriptura designari recordatur ignorat.

De stella uisa in fronte eius totum mundum illustrante.

5 (6). Aliud quoque secuture ueritatis indicium, a precedenti uero in re significata non discrepans, matrone cuidam nobili non minus honestate quam genere que iam natum seruum dei Dominicum ex sacri baptismatis fonte susceperat in uisione monstratum est. Videbatur enim ei quod puer Dominicus stellam prefulgidam haberet in fronte que splendoris sui irradiatione multimoda totum orbis ambitum illustrabat. O conueniens hinc inde presagium ardens facula, stella micans, ut in uno quidem ueteris pagine zelatori, Helye uidelicet de quo scriptum est Surrexit Helyas quasi ignis et uerbum illius quasi facula ardebat, in altero uero noue gratie precursori de quo ad beatum Iob dicitur Nunquid producis luciferum in tempore suo etc. puer dei Dominicus futurus similis non inmerito predicetur.

De profectu pueritie ipsius.

6 (7). Creuit itaque sub honestorum parentum diligentia religiose nutritus et, ut cordis eius adhuc recens hospitium priusquam in eo mundus gressum infigeret salutaris sibi disciplina preueniens uendicaret, instar pueri Samuelis ecclesiasticis erudiendus officiis mancipatur. Unde factum est ut quasi firmo fundamento supposito non minus mente quam etate proficiens ad uirtutum arcem feliciori quotidie gradu conscenderet. Quapropter sub silentio pretereundum non est quod adhuc puerulus sub nutricis custodia constitutus supplente in eo gratia quod natura negabat, quasi quedam furtiua future religionis captans preludia, deprehensus est sepe lectum dimittere eligebatque cum Iacob super nudam terram accumbere quasi carnis iam delicias abhorreret, nimirum illi puero puerorum factori in hoc prout poterat uicem rependens quem intemerata mater et felix puerpera statim natum non in lecto regio sed in feni presepio reclinauit.

De studio eius apud Palentiam et studii profectu.

7 (8). Puerilibus igitur annis innocenter excursis tandem missus Palentiam, ubi tunc temporis studium generale florebat, postquam liberalibus artibus diligenter insudans sufficienter edoctus est, ne in eis diutius tempus debitum salubrioribus disciplinis expenderet, ad theologiam se transtulit cuius studiis per annos quatuor ardenter inuigilans de thesauris eius hausit auide quod postea effudit abunde.

Qualiter amore sapientie adipiscende per decem annos uinum non bibit.

8 (9). Libet autem ad hec diligenter aduertere uas electionis futurus uir dei Dominicus, postquam adipiscende scientie cepit intendere, quanto discendi desiderio ferebatur. Nam Salomonis quod nondum forsan legerat imitatus propositum, ut animum suum plenius transferret ad sapientiam cogitauit a uino abstrahere carnem suam. Cogitauit inquam et quod cogitauit effecit, nam et uinum per decennium non gustauit. Postmodum autem a bone memorie Didaco oxomensi episcopo, quasi alter Timotheus a Paulo, compulsus est uino uti sed modico et hoc propter stomachum lacescentem. Quod tamen ita temperatum bibebat ut in eo uix saporis uestigium remaneret.

Qualiter distraxit libros et omnia dedit pauperibus.

9 (10). Per idem tempus, cum uniuersam Hyspaniam clades famis inuaderet, uir dei Dominicus, adhuc Palentie constitutus mira quoque pereuntium inopum compassione commotus, cum aliunde subuenire non posset, distractis libris cum omni supellectili quam habebat dispersit, dedit pauperibus, prudenter sane uno simul misericordie opere et egenorum necessitatibus prouidens et consiliis euangelicis obsecundans. Qua in re non paucos de scolaribus et magistris ad misericordie opera prouocauit.

Qualiter factus est canonicus regularis et de profectu ipsius in religione.

10 (11). Interea dum uir dei huiuscemodi ascensionibus in corde suo dispositis de uirtute proficeret in uirtutem fragrans odor conuersationis ipsius ad notitiam bone memorie Didaci oxomensis episcopi fama celebri deferente peruenit. Accersitum ergo in sua fecit ecclesia canonicum regularem, beatum sane se reputans in hoc ipso dum et sibi de tanto filio et sue ecclesie de ministro tam inclito prouidisset. Nec multo post tempore, factus omnibus uite speculum, religionis exemplum, a concanonicis in eadem ecclesia supprior ordinatur.

11. Ipse uero ad totius sanctitatis studium se totum conferens, totus pergens in deum, die noctuque terebat ecclesiam, lectioni et orationi sine intermissione uacabat, secumque cum Iacob in tabernaculis habitans Esau uagos declinabat excursus, in libro quoque de collationibus patrum frequentissime et studiosissime legens magnum ex eo perfectionis cumulum apprehendit. Flebat autem uberrime, hanc enim specialem gratiam contulerat ei deus, pro peccatoribus, miseris et afflictis, nouumque in se preferens Ieremiam totus erga pereuntium animas miro compassionis liquescebat affectu. Quapropter hoc apud se semper speciali desiderio pulsabatur, hac et precipue incessanter aures diuine clementie petitione pulsabat, quatenus hanc sibi gratiam dignaretur infundere qua se totum aliquando saluti posset impendere proximorum. Nec fraudatus est tandem a desiderio suo.

Qualiter processit in publicum mediante Didaco oxomensi episcopo
et de conuersione cuiusdam heretici hospitis sui.

12. Igitur cum iam tempus esset in ianuis quo diuine uoluntatis propositum exigebat ut beati uiri uirtus prodiret in publicum, ne diutius lucerna quam diuinus ignis tam diligenter accenderat sub modio latitaret, factum est ut bone memorie Didacus oxomensis episcopus, cuius cor deus iam dudum simili proximorum procurande salutis inspiratione tetigerat, rogatu regis Castelle proficisci deberet ad marchias occasione cuiusdam connubii inter ipsius regis filium et quandam puellam nobilem procurandi. Assumpto itaque comitatu decenti secum etiam seruum dei Dominicum non sine dei nutu in sancte collationis solatium nec minus in religiose societatis ornamentum assumpsit.

13. Cum autem cepto itinere peruenissent Tolosam eadem nocte qua ibidem hospitio sunt recepti deprehendit uir dei Dominicus suum hospitem heretica prauitate corruptum. Quem benigna simul et euangelica persuasione conueniens et ad fidem conuertens quasi quendam primitiarum manipulum future messis congregande per ipsum domino presentauit.

De uoto ipsius episcopi circa conuersionem animarum.

14 (13). Legatione denique semel et iterum consummata, sed puella que tandem ducenda fuerat iam defuncta, supradictus episcopus ad concepti dudum propositi complementum hanelans et excellentiora connubia, spiritualium scilicet nuptiarum, procurare disponens, respondens regi per nuntium Romam adiit, summo pontifici propositum suum exposuit, cessionem rogauit, asserens sui fore uoti cumanorum conuersioni curam impendere. Sed nequaquam quod petiit assecutus redire compulsus est, a petitione quidem uacuus sed nequaquam a salubri proposito permutatus.

Qualiter duodecim abbates cistercienses missi sunt ad conuersionem albigensium.

15 (14). Ad hec eo tempore, inualescente morbo prauitatis heretice in partibus albigensium, ad ipsius morbi per uerbum predicationis pestem mortiferam extirpandam a summo pontifice Innocentio tertio duodecim abbates cisterciensis ordinis, adiuncto eis apostolice sedis legato, ad easdem partes fuerant destinati. Quibus cum prelatis ceteris ecclesiarum regionis illius congregatis in unum et diligenter inter se conquirentibus quisnam modus aptior haberetur ad id cuius rei gratia missi fuerant fructuosius exequendum prefatus Didacus oxomensis episcopus illinc iter faciens aduenisse refertur. Letantur omnes, aduenientem uocant, uocatum cum honore suscipiunt et quia sciebant eum uirum non minus sanctitate uite quam scientie discretione conspicuum ipsius sententiam super huius consilii deliberatione requirunt. Ille uero hinc pompam in equis et sarcinis uarii quem secum tulerant apparatus considerans, hinc hereticorum uersutiam ex boc maxime contra romanam ecclesiam ad subuersionem simplicium insultationis sue silogismos connectere non ignorans, nec minus ex precedentium fidei Ihesu Christi preconum tot et tantis exemplis argumentum assumens, hac sententia sui determinationem consilii sancto spiritu dictante conclusit ut abiectis armis Saulis, id est temporalium sarcinis, cum Dauid in funda et baculo contra Goliam prosternendum pergentes Christum pauperem in paupertatis semita predicarent ut sic clauum clauo retunderent dum quod lingue uox promeret uite meritum confirmaret et aduersariorum religionem sophisticam sanctitatis uere confutaret aspectus. Statimque dictis facta connectens equos cum pueris necnon et cetera supellectili quam habebat remisit Oxomam retentis secum paucis ex clericis, pre ceteris autem seruo dei Dominico admodum sibi ad hoc necessario, cui etiam per hec omnia ad id quod per eum consummandum

preuiderat uiam dominus preparabat. Unde et ex tunc cepit non supprior sed frater Dominicus appellari.

16. Nec mora, acquiescunt omnes qui causa fidei predicande missi fuerant salutari consilio et quod consultum est executioni demandant remissisque omnibus ad loca propria temporalium sarcinis ceperunt pariter Christum pauperem ped<it>es (*c'est nous qui proposons cette correction*) et pauperes predicare. Quod uidentes heretici nec modicum inuidentes ex aduerso fortius insistere predicationi ceperunt.

Qualiter libellus quem scripsit beatus Dominicus de fide catholica contra hereticos ter exiuit illesus ab igne.

17 (15). Cum igitur inter catholicos et hereticos tunc temporis in eisdem partibus frequenter fierent disputationum conflictus ad quas utriusque sexus multitudo populi confluebat factum est ut apud Fanum Iouis celebris indiceretur disputatio sub iudicibus deputatis quibus ab utraque parte scripto presentari deberet assertio fidei quam docebat. Quapropter conscriptis diuersis super hoc a diuersis catholicis diligenter libellis et in commune redactis ac mutua inter se collatione discussis libellus quem scripserat uir dei Dominicus communiter et commendatur pre ceteris et decernitur presentandus.

18. Statuto itaque die ac multitudine populi circumstante libelli utriusque partis in medium proferuntur. Verum iudicibus inter se discrepantibus hec fuit tandem communis eorundem sententia ut utrosque libellos flammis inicerent et quem ab igne contingeret non comburi ille ueram fidem procul dubio contineret. Fidelis sermo et omni acceptione dignus. Accensus est in publicum magnus ignis, libelli proiciuntur in medium, libellus partis heretice statim comburitur, libellus uero serui dei Dominici non solum non leditur uerum ab igne foras prosilit in longinquum, secundoque iniectus ac tertio eque prodiit incombustus ut sic diuina potentia, quod olim in tribus pueris gestum cognouimus, in uno eodemque libelli prorsus ab igne conseruati stupendo prodigio et orthodoxe fidei ueritatem et sui comprobet sanctitatem auctoris.

Qualiter solus remansit in predicatione contra hereticos et de persecutionibus eorundem.

19 (16). Sane digne memorie oxomensi episcopo postquam in huius predicationis officio peregit biennium feliciter ex hac luce subtracto ceteri qui in partibus tolosanis gratia predicandi remanserant ad propria sunt reuersi. Solus uero uir dei Dominicus cum paucis sibi adherentibus, sed nequaquam adhuc aliquo sibi uinculo professionis astrictis, in predicationis indefessa continuatione permansit contra hereticos maxime constanter annuntians uerbum dei.

20. O quantas in illis diebus pertulit ab eisdem iniurias, audiuit minas, pertransiuit insidias. Irridebant siquidem et multipliciter subsannabant aduersarii fidei seruum dei sputa, lutum et huiuscemodi uilia proicientes in eum et a tergo pro derisu sibi paleas alligantes. Sed in hiis omnibus cum apostolo superabat beatum se reputans quoniam dignus habitus est pro nomine Ihesu contumelias pati. Nec solum hec uerum etiam captabant in animam iusti et mortis in eum consilia disponebant. Denique cum aliquando sibi minarentur interitum imperterritus respondebat Non ego martirii dignus sum gloria, nondum merui mortem istam. Quapropter locum transiens in quo sibi preparate ferebantur insidie non solum intrepidus uerum etiam cantans et alacer incedebat. Admirantes igitur antichristi satellites tantam uiri dei constantiam temptantes aliquando dixerunt ei Numquid non tu mortis horrore concuteris ? Quid acturus eras si comprehendissemus te ? At ille Rogassem uos inquit ne repentinis me subito perimeretis uulneribus sed paulatim et successiue membra singula mutilantes deinde, ostensis coram meis oculis detruncatis menbrorum particulis, ipsos etiam oculos eruentes ad ultimum semiuiuum laceratumque corpus sic permitteretis in suo sanguine uolutari uel prorsus ad libitum necaretis.

Qualiter se obtulit uendendum pro conuersione cuiusdam ab hereticis peruersi.

21 (17). Tanto uero erga proximorum animas conuertendas caritatis ferebatur ardore ut aliquando exhortatus quendam heretica malignitate seductum, cum didicisset eum intuitu temporalis subsidii propter nimiam quam patiebatur inopiam hereticorum consortiis adhesisse, Paulum sequens dicentem Corinthiis Libentissime impendam et superimpendar ego ipse pro animabus uestris, decreuit seipsum uenumdare quatenus ex accepto pretio de seipso et egestatis simul occasionem precideret et sub errore uenumdatum liberaret. Quod et fecisset nisi aliunde quo illius resarciretur inopia diues in omnibus diuina dispensatio prouidisset.

Qualiter se obtulit uendendum pro redemptione cuiusdam captiui.

22 (18). Alias etiam simile quiddam dudum fecisse existens in sua patria perhibetur. Cum enim quedam mulier fratrem suum lamentabili sibi conquestione in saracenorum captiuitate detentum exponeret nullumque sibi ad liberationem illius fateretur superesse consilium, uir dei Dominicus intima qua plenus erat compassione commotus uendendum se obtulit pro redemptione captiui. Sed deus qui ipsum ad multorum necessariorem redemptionem, spiritualiter scilicet captiuorum, prouiderat, non permisit.

Qualiter conuertit quasdam nobiles mulieres peruersas ab hereticis.

23 (19). Cum autem in partibus tolosanis quamplurimos etiam nobiles diabolica uideret operatione delusos, quos lupi rapaces heretici in uestimentis ouium uenientes ad se pretextu simulate religionis attraxerant, fremens spiritu et tactus dolore cordis intrinsecus cogitauit feruidus animarum zelator clauum clauo retundere et umbre mendacium uere lucis illustratione fugare. Hospitatus igitur apud quasdam nobiles mulieres uotum quidem benefaciendi gerentes, dolo tamen familiaritatis heretice circumuentas, et ibidem per unius quadragesime spatium demoratus tantum in se precipue in uictus austeritate discipline rigorem exercuit ut per totam illam quadragesimam in pane solo et aqua frigida cum adiuncto sibi socio quotidie ieiunaret. Noctes uero ex more sibi uigiliis uendicans, cum ad horam necessitas exigebat ut quietem corpori naturali cogente fragilitate concederet lassa menbra super nudam tabulam reclinabat, in hiis omnibus usurpans sibi nimirum illud apostoli Siue mente excedimus deo siue sobrii sumus uobis, caritas enim Christi urget nos. Unde factum est ut prefatas mulieres non solum ad admirationis prouocaret excessum uerum etiam ad agnitionem ueritatis, diuina gratia suffragante perduceret.

Qualiter cepit disponere de ordinis institutione qui predicatorum diceretur et esset.

24 (20). Igitur uir dei Dominicus uirtute domini confortatus, dum sic in omnibus quocunque se uerteret prudenter agens apud deum et homines gratia simul et opinione proficeret, cepit de institutione ordinis cogitare cuius esset officium uerbo pariter et exemplo euangelizando per mundum discurrere et contra succrescentes hereses fidem catholicam communire. Ceterum in illis partibus, scilicet tolosanis, mansit quasi solus annis fere decem, a transitu scilicet felicis memorie Didaci oxomensis episcopi usque ad tempus quo lateranense concilium debuit celebrari.

Qualiter super hoc adiit Innocentium papam et de uisione ostensa diuinitus ipsi pape. ⁂

25 (21). Post hec bone memorie Fulcone tolosano episcopo proficiscente Romam ad concilium generale adiunctus est ei uir dei Dominicus qui ab eodem episcopo propter sue meritum sanctitatis tenero dudum fouebatur affectu, cum quo etiam summum pontificem Innocentium adiit atque ordinem qui predicatorum diceretur et esset confirmari sibi suisque

sequacibus postulauit. At ille postulationi huius uisus est aliquantulum primitus se difficilem exhibere. Quod tamen non sine nutu diuino factum est, ut nimirum ex reuelatione sequenti uicarius Ihesu Christi cognosceret quam necessarium esset uniuersali cui presidebat ecclesie id ad quod uir dei Dominicus inspiratus diuinitus aspirabat.

26. Sicut enim a plerisque fide dignis compertum est quadam nocte idem summus pontifex deo sibi reuelante uidebat in somnis quod lateranensis ecclesia quasi suis compagibus resolutis grauem subito minaretur ruinam. Quod dum tremens simul ac merens aspiceret, ex aduerso uir dei Dominicus occurrebat humerisque suppositis totam illam casuram fabricam sustentabat. Cuius quidem uisionis et nouitatem admirans et significationem prudenter intelligens sine ullo dilationis obstaculo uiri dei et commendauit propositum et petitionem hilariter acceptauit, hortans eum ut ad fratres suos rediens et diligenter deliberans cum eisdem pari uoto regulam sibi aliquam approbatam eligerent super quam inchoandi ordinis promotionem firmarent et sic demum ad ipsum ueniens confirmationem ad libitum reportaret. Quod sapienter sane nec sine sancto spiritu suggerente considerauit uir sapiens, sciens nimirum ualidiora esse edificia que fundamentis ex antiquo suppositis innituntur uiasque antiquas et regias nouis semitis tutiores, dicente domino per prophetam State super uias et interrogate de semitis antiquis que sit uia bona, et ambulate in ea.

De deliberatione habita cum fratribus suis circa regulam eligendam.

27 (22). Regressus igitur post celebrationem concilii uir dei Dominicus uerbum summi pontificis fratribus patefecit. Erant autem fratres numero circiter .xvi. Qui mox inuocato spiritu sancto regulam beati Augustini doctoris et predicatoris egregii ipsi pariter re et nomine predicatores futuri unanimiter elegerunt, quasdam quidem artioris uite consuetudines quas sibi per formam constitutionum obseruandas statuerent insuper assumentes. In quo pater prouidus circa ordinis sui componenda primordia, precedentium patrum non dedignatus uestigia, sic medium tenuit ut eis qui nascerentur et exsurgerent filiis et in quo starent modus debite perfectionis adesset et quo possent ascendere per profectum continuum non deesset, non ignorans quod scriptum est, Iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem. Et hoc satis consulte ne, dum se statim in altum supra modum extenderet, succedentes in posterum retrocedere potius quam procedere cogerentur sicque merito contra ipsos iuxta euangelicum illud improperium diceretur Iste homo cepit edificare et non potuit consummare. Quapropter ne predicationis cui summopere debebant intendere impediretur officium proposuerunt ex tunc terrenas possessiones et redditus prorsus abiicere, quod postmodum in primo capitulo generali Bononie celebrato affectu pariter et effectu per constitutionem immobilem perpetue fuit executioni mandatum.

Qualiter confirmatus est eius ordo ab Honorio papa.

28 (23). Interea Innocentio papa per mortem mediam sublato de medio Honorius apostolice sedis honorem accepit. Ad quem accedens seruus dei Dominicus confirmationem ordinis sicut predecessor eius promiserat impetrauit. Anno domini .m.cc.xvi. ordo fratrum predicatorum confirmatus est.

De iis, que post confirmationem ordinis per beatum Dominicum gesta sunt.

29 (24). His excursis libet iam ad ea que per seruum dei Dominicum gesta sunt sic narrationem producere ut non tam ordinem temporis quam etiam congruentiam potius iuxta rerum gestarum materias attendamus.

De uisione quam uidit in basilica apostolorum Petri et Pauli in urbe. **

30 (25). Cum igitur uir dei Dominicus esset Rome et in basilica sancti Petri in conspectu dei orationem suam pro conseruatione et dilatatione ordinis quem per ipsum dextera eius propagabat effunderet, facta manu domini super eum, gloriosos principes Petrum et Paulum ad se subito uisione quadam ymaginaria uenientes aspexit, quorum primus, Petrus uidelicet, baculum, Paulus uero librum sibi tradere uidebatur. Addebantque dicentes Vade predica quoniam a deo ad hoc ministerium es electus. Moxque in momento temporis uidebatur ei quod filios suos per totum mundum dispersos aspiceret incedentes binos et binos et uerbum domini populis predicantes.

De uoto eius ad conuersionem saracenorum et dispersione fratrum ad predicandum per mundum.

31 (26). Quapropter Tolosam rediens, ubi iam fratres in ecclesia Sancti Romani quam eis supradictus Fulco episcopus tolosanus contulerat claustrum construxerant et manebant, conuocatis omnibus dixit hoc suum esse propositum ut fratres omnes licet paucos per diuersas mundi dispergeret regiones, sciens quia semina dispersa fructificant, congesta putrescunt.

32. Voluit etiam ut sibi quendam per electionem preficerent penes quem super omnes, sub ipso tamen, regendi et corrigendi auctoritas resideret. Hoc autem faciebat uir sanctus disponens adire terram saracenorum et eis uerbum domini predicare, propter quod etiam barbam aliquanto tempore nutriebat. Electus est igitur frater Mattheus et abbatis nomine nuncupatus, post quem in eodem ordine abbas nec surrexit alius nec exsurget. Placuit namque postmodum fratribus ut qui toti preesset ordini non abbas sed magister ordinis diceretur, ceteri uero inferiores prelati priorum et suppriorum, communi scilicet religiosorum uocabulo, censerentur, deuitantes nimirum iuxta apostolum, etsi non prophanas, superstitiosas tamen uocum in omnibus nouitates.

33. Inuocato igitur spiritu sancto dispersit fidelis dispensator et prudens seruus dei Dominicus fratres suos et quosdam quidem in Hyspaniam, quosdam uero Parisius, alios tandem Bononiam destinauit. Illi autem profecti salutarem ubique disseminauerunt scientiam magnas quidem sustinentes angustias paupertatis, et uirtus dei erat ad multiplicandum eos. Ipse uero Romam domino ducente profectus est.

De hiis que ad commendationem ordinis inchoati per beatum Dominicum ostensa sunt.

34 (27). Videtur autem conueniens in hoc loco quedam que diuersis licet temporibus ad commendationem incepti iam per uirum dei Dominicum ordinis diuinitus sunt ostensa connectere ut sic ad alia postmodum narrationis series congruentius dirigatur.

De eo quod ostensum est sacerdoti cuidam qui ordinem intrauit.

35 (28). Sacerdos quidam, uidens aliquando beatum Dominicum cum suis fratribus predicationi tam feruenter insistere terrenisque postpositis solis spiritualibus curam dare, ad eorum uitam pia emulatione suspirans deliberauit prorsus relictis omnibus eorum adherere uestigiis dummodo noui testamenti librum haberet quem sibi ad predicandum necessarium estimabat. Hec autem eo cogitante ecce quidam iuuenis uenale testamentum sub ueste baiulans affuit, quod statim cum magno gaudio sacerdos emit. Verum testamento habito irrepsit ei tentatio hesitareque cepit an illud exsequi quod mente conceperat expediret. Cum ergo in corde ipsius uarie cogitationes excrescerent uisum est ei in eodem libro quem emerat, non quidem quasi sortilegorum detestandis utens prestigiis sed pia quadam intentione prouidentie se summe committens, diuinum flagitare responsum. Fusa itaque ad deum prece impressaque super librum exterius cruce in nomine domini librum aperuit et oculos ad capitulum quod primo se obtulit in

ipsa libri apertione coniecit. Occurrit autem ei mox illud quod in actibus apostolorum beato Petro per spiritum dictum est, Surge, descende et uade cum eis nichil dubitans quia ego misi illos. Statim igitur tanquam diuino certificatus oraculo relictis omnibus secutus est eos.

De eo quod ostensum est Portuensi episcopo apud Bononiam in domo fratrum

36 (29). Accidit etiam quodam alio tempore ut quidam apostolice sedis legatus, episcopus uidelicet portuensis Conradus nomine, uir religiosus de ordine cisterciensi, Bononiam aduenisset. Hic ad domum fratrum predicatorum ueniens debito cum honore susceptus est. Quedam autem hesitatio de hoc ordine, quare scilicet et ad quid esset inceptus, menti eius cepit irrepere. Residens igitur in ecclesia fratrum librum aliquem petiit oblatusque est ei liber missalis. Quem facto signo crucis aperiens in superiori primi folii sicut in animo suo destinauerat parte legit Laudare, benedicere et predicare. Quo tanquam celitus emisso responso statim exhylaratus omnem a se dubietatis scrupulum iam certus abiecit seseque fratribus et totaliter obtulit et deuotissime commendauit.

De conuersione fratris Reginaldi mirabili.

37 (30). Rome igitur uiro dei Dominico posito eodem tempore uir quidam uenerabilis magister Reginaldus sancti Aniani aurelianensis decanus peritus scientia, uirtute conspicuus et opinione preclarus, qui etiam Parisius in iure canonico rexerat annis quinque, Romam una cum aurelianensi episcopo mare transiturus aduenerat. Huius uiri cor tali deus dudum inspiratione tetigerat ut relictis omnibus predicationis officio se totaliter manciparet, quonam autem modo quod mente conceperat ad effectum perduceret necdum aduerterat nec adhuc recens predicatorum ordinis institutio sibi fuerat manifesta. Cum autem a quodam cardinali cui sub quodam familiari colloquio huiusmodi uotum expresserat iam nouum ordinem iuxta desiderii sui propositum institutum eiusdemque ordinis institutorem et patrem, uidelicet seruum dei Dominicum, in eadem urbe predicationis insistentem officio didicisset, accersito eo eiusque mira collocutionis dulcedine uehementer affectus nec minus aspectu sue sanctitatis attractus mentis sue proposito reuelato extunc ipsius ordinis deliberauit ingressum.

38 (31). Nec mora, graui febrium infirmitate corripitur dumque languor fortius inualescens medicine remedia, natura prorsus deficiente, nequaquam admitteret excluserat penitus mors in ianuis spem salutis. At uir dei Dominicus expectate sobolis intempestiua damna non sustinens totum se ad orationem contulit, aures diuine clementie regineque misericordie beate Marie, cui tanquam speciali patrone curam ordinis totam commiserat, importunis cordis clamoribus interpellans ne se tam subito nondum nati sed quodammodo concepti filii consolatione priuaret, tantoque importunius insistebat ut uel saltem eum modico tempore sibi concedere dignaretur quanto certius ipsum futurum uas electionis et gratie nullatenus dubitabat.

39. Eo igitur in orationibus persistente ecce subito reginam misericordie duabus admodum speciosis comitatam puellis Reginaldus uigilans et mortem expectans ad se uisibiliter uenientem aspexit blandaque facie dicentem sibi Pete a me quod uis et dabo tibi. Expauescenti autem ad tam uenerande uisitationis occursum deliberantique quid peteret, una ex hiis que reginam comitabantur puellis suggessit ei ne quid peteret nisi quod regina misericordie dignaretur conferre seseque totum eius committeret uoluntati. Quod cum factum esset tunc illa manum extendens egrotantis oculos, aures et nares, os quoque et manus, renes et pedes salutari quam secum detulerat unctione perunxit, formulas uerborum proprias ad singulas unctiones subinferens. Quorum uerborum ea dumtaxat comperta sunt que ad renum et pedum protulit unctionem. Ad renes quidem ait Stringantur renes tui cingulo castitatis, ad pedes autem Ungo pedes tuos in

preparationem euangelii pacis. Tunc ei habitum ordinis predicatorum ostendens En inquit iste est habitus ordinis tui. Statimque et illa ab egrotantis oculis speciem sue uisionis subtraxit et egrotans languore penitus propulsato conualuit, nimirum utpote quem mater eius perunxerat qui nouit unctiones conficere sanitatis.

40 (32). Hoc autem totum quod erga prefatum Reginaldum presentialiter gestum est seruum dei Dominicum in oratione absentialiter positum deo sibi reuelante non latuit. Mane itaque ad eum ueniens et sanum repperit et ab eodem pariter totius seriem uisionis audiuit. Huius etiam tam stupendi miraculi uir quidam religiosus de ordine hospitalariorum testis extitit qui die tertia eiusdem uisionis seriem eidem Reginaldo, presente quoque uiro dei Dominico, iterato exhibitam ipse simul ibidem presens exsistens propriis oculis deo sibi concedente et uidit et stupuit. Illa autem celestis unctio ita corpus ipsius magistri Reginaldi non solum ab estu febrium uerum etiam ab ardore concupiscentie temperauit quod sicut ipse postmodum est confessus nec primus in eo motus libidinis de cetero pullulauit. Hanc uisionem, hoc insigne miraculum, multis fratribus ex quibus adhuc nonnulli supersunt, maxime post illius transitum, seruus dei Dominicus publicauit.

41 (33). Recepta igitur taliter sanitate deo se et ordini totaliter obtulit uotoque potitus tandem Bononiam adiit predicationi tam ardenter insistens ut quasi alter surrexisse uideretur Helyas, et extunc maxime ad predicationem eius cepit numerus fratrum excrescere et ordo fortius promoueri. Post hec missus Parisius a uiro dei Dominico Christumque predicans uerbo pariter et exemplo non post multos dies obdormiuit in domino et consummatus in breui expleuit tempora multa, sepultus in ecclesia Sancte Marie de Campis eo quod fratres predicatores nondum habebant ius proprie sepulture.

De iis que urbe contigerunt.

42 (34). Sed adhuc libet ab urbe nequaquam diuertere, ea que in ea aliis quoque temporibus per eundem seruum dei Dominicum contigisse didicimus prosequentes.

De resuscitatione nepotis domini Stephani cardinalis de Fossa noua apud Sanctum Sixtum.

43 (35). Die quadam dominus Stephanus de Fossa noua uenerabilis cardinalis ad Sanctum Sixtum ubi tunc temporis uir dei Dominicus cum suis fratribus morabatur accesserat. Cuius nepos adolescens quidam, dum cursu uagus ferretur precipiti equo tandem in foueam precipitato collapsus, collisus grauiter plangentium manibus ferebatur exanimis. Ad hec frater Tancredus, uir probatus satis et famosus in ordine, ad uirum dei Dominicum confidenter accedens Quid inquit agis pater ? Casus iste uirtutis tue experimentum expectat, nostra res agitur ; eia ergo precare dominum, compassionem tuam fiduciamque in domino probet effectus, manifestet prodigium. Tunc ille, tam fratris uiuis animatus sermonibus quam uirtute desuper infusa de futuro signo quasi certus effectus, adolescentis corpus extinctum iam penitus in quandam cameram, que nunc est cellarium sanctimonialium ibidem morantium, fecit seorsum ab omnibus introduci factaque oratione mox mirum in modum adolescentem et uiuum reddidit et incolumem presentauit.

De resuscitatione cuiusdam architecti in eodem loco. ***

44 (36). In eodem loco architectum quendam conductum a fratribus sub cripta quadam ruina desuper resoluta contriuit diuque sub tumulo cadentis macerie iacentem extinxit. Concurrunt fratres ad tam diri casus inopinatum euentum tristes supra modum effecti. Sollicitabat enim eos et defuncti status incerta conditio et tumultuantis populi contra eos ex hoc quod inter ipsos contingerat rumor futurus ambiguus utpote quorum opinio tanto facilius ledi

poterat quanto minus adhuc apud homines status ordinis notus erat. Sed pius pater uir dei Dominicus, cuius cor erat fiduciam habens in domino, desolationem filiorum non sustinens defuncti corpus de cauerna subductum ad se deferri iussit orationumque suarum suffragio statim uite simul et sanitati restituit.

De miraculo panum diuinitus oblatorum in eodem loco. ***

45 (37). Preterea sub silentio pretereundum non est quod, cum fratres predicatores adhuc apud locum Sancti Sixti morarentur in urbe multamque necessariorum propter ordinem apud homines nondum notum frequenter paterentur inopiam, contigit die quadam ut procurator fratrum, frater scilicet Iacobus de Melle romanus, panem quem apponeret fratribus non haberet. Missi uero fratres pro elemosina, cum domos multas more solito circuissent, sacerdotes quidem et leuitas quamplurimos sed samaritanum rarissimum inuenerunt, unde factum est ut panis uix modicum et ualde modicum reportarent. Imminente igitur refectionis hora ad seruum dei Dominicum, qui tunc presens erat, procurator accessit, defectum exposuit. Ipse uero exultans spiritu, uultu alacri, benedixit deum et quasi quadam fiducia infusa sibi desuper confortatus id modicum quod habebatur panis per partes diuidi super mensam mandauit. Erant autem in conuentu tunc temporis fratres circiter quadraginta. Facto itaque signo ueniunt fratres ad refectorium, benedictionem mense letis uocibus prosequuntur, dumque per ordinem residentes bucellam panis quam unusquisque coram se repperit cum gaudio frangerent ecce duo iuuenes eiusdem habitus formeque consimilis refectorium intrauerunt, palliorum sinus que a collo pendebant plenos panibus quales ille pistor qui mittebat nouit conficere deferentes. Quibus in capite unius mense iuxta quam uir dei Dominicus residebat silenter oblatis ita subito discesserunt ut nullus umquam de cetero uel unde uenerint scire potuerit uel quo postmodum diuertissent. lllis uero predictis iuuenibus discedentibus uir dei Dominicus manu ad fratres circumquaque protensa Modo inquit fratres mei comedite. Quod autem hoc diuinitus meritisque serui dei Dominici fuerit procuratum nemo penitus dubitauit sicut quamplures adhuc superstites ex illis qui tunc aderant fratribus attestantur.

Qualiter idem miraculum iterum contigit et de curatione cuiusdam fratris a portis mortis in eodem loco. ***

46 (38). Alia quoque uice in casu consimili miraculum simile, de panibus scilicet diuinitus procuratis, in eadem urbe meritis eiusdem serui dei Dominici eodem fratre Iacobo, uiro siquidem fide digno, procuratore tunc temporis similiter existente et postmodum me audiente narrante contigisse compertum est. (39) A quo etiam aliud quoddam non minus relatione dignum quod ibidem per eundem uirum dei Dominicum circa se gestum referebat audiui.

47. Narrabat namque quod quodam tempore graui quadam infirmitate preuentus morboque inualescente quotidie iam ad extremum uite natura prorsus succumbente deuenerat. Cumque fratres unctionis officio iam premisso circa eum ut egredientem spiritum orando protegerent conuenissent tristesque essent non modicum de subtractione fratris sibi tunc temporis tam necessarii pro eo quod tam notum in urbe fratrem alium non haberent, benignus pater filiorum admodum compassione commotus, seclusis omnibus clausoque hostio super se, super corpus fratris morientis incubuit mensusque se quasi alter Helyseus per menbra singula super eum oratione fusa egredientem spiritum potenter retinuit fratribusque conuocatis reparatum fratrem ipsis per manum restituit suoque officio fratrem incolumem resignauit. In quo nimirum id quod in socru Petri per dominum gestum esse cognouimus manifeste per seruum eius conspicimus innouatum.

De hiis que contigerunt in uia dum iret predicando.

48 (40). Nunc ad aliqua que in uia dum predicando discurreret euenisse comperta sunt aliquantulum sermo breuis excurrat.

Qualiter signo crucis propulsauit a se et a socio pluuiam.

49 (41). Viro dei Dominico aliquando in itinere constituto, adiuncto sibi in socium fratre Bertrando, uiro uite laudabilis et fide digno cuius etiam hoc attestatione probatum est, facta est subito super eos grauis intemperies aeris quam magna statim secuta est inundatio pluuiarum, cumque densus ymber per circuitum terram infunderet uir dei Dominicus signo crucis sic ex omni parte circa se omnem illam inundationis eluuiem propulsauit ut, quasi facto papilione de cruce, eum totam terram prospicerent densa ymbrium infusione madescere nec una gutta ad trium spatium cubitorum uel fimbriam uestimentorum ipsorum contingeret.

Qualiter cum uestibus madefactis pernoctabat in oratione et mane inueniebantur exsiccate. ***

50 (42). Sepe etiam contigit ut in uia superuenientibus pluuiis sua sociorumque quamplurimum madefierent uestimenta, cumque post cenam socii eius remanerent ad ignem ut et uestes ad exsiccandum extenderent et corpora pariter aliquantulum recrearent uir dei Dominicus sancti spiritus igne feruens more suo statim ecclesiam ad orandum, immo in oratione potius pernoctandum, sic cum uestibus quantumcumque uidelicet madefactis intrabat. Mane uero uestibus etiam aliorum qui ad ignem remanserant exsistentibus madefactis uestes eius ita inueniebantur penitus exsiccate acsi in calenti furno tota nocte posite perstitissent.

De denario procurato diuinitus pro mercede nauigii. ***

51 (43). Nec illud a laude uiri dei uacare uidetur quod in partibus tolosanis, sicut per iuratos testes inuentum est. Cum quadam die euangelizando discurrens cum multis aliis transisset nauigio quandam aquam nauta qui eum transuexerat importune denarium ab eo pro mercede transitus exigebat. Cui uir dei pro seruitio sibi exhibito regnum promittebat celorum, addens quod seruus Christi et discipulus eius erat nec aurum nec argentum secum penitus deferebat. At ille promissionem eius non solum ducens pro nichilo uerum etiam ex hoc potius prouocatus acrius et importunius instans ac eum per capam uiolenter trahens. Aut capam inquit dimittes aut denarium michi solues. Tunc uir dei erectis in celum oculis paululumque intra semetipsum orans moxque in terram prospiciens et denarium diuino nec dubium procuratum nutu iacentem uidens, Ecce inquit frater quod postulas, tolle et me liberum in pace dimitte. Qua in re quid aliud in seruo suo dominus ostendere uoluit nisi quod in seipso exhibuit, cum uidelicet pro solutione tributi per ministerium Petri de ore piscis staterem procurauit ?

De dono linguarum impetrato diuinitus. ***

52 (44). Sed et istud relatione dignum non parum est quod etiam per reuerendum patrem dominum Raynerium Sancte Marie in Cosmedin uenerabilem cardinalem in conuentu fratrum in festo eiusdem sancti uiri beati Dominici, presentibus quibusdam episcopis aliisque non paucis clericis, sermocinantem atque referentem uerum prorsus fuisse compertum est. Contigit enim aliquando uiro dei iter agente associari sibi religiosum quendam conuersationis quidem sanctitate domesticum sed loquela lingue penitus alienum. Dolens itaque quod de diuinis uerbis una cum illo mutua se collatione refouere non posset tandem a domino orationum suarum instantia ut unus lingua loqueretur alterius uerbisque sic alterutrum uariatis sese per triduum quo uidelicet simul ituri erant intelligerent impetrauit.

Qualiter mirabiliter liberauit quendam obsessum multis demonibus. ***

53 (45). Nec defuit uiro dei Dominico ad assertionem sanctitatis ipsius uirtus altissimi etiam in demonibus effugandis. Sicut enim idem etiam dominus Raynerius uenerabilis cardinalis in eodem sermone ad fratres coram omnibus supradictis fideli quidem attestatione narrauit, quadam die uiro dei Dominico in quadam ecclesia constituto accidit sibi quendam obsessum diuersis demonibus presentari. Qui accepta stola prius ad collum proprium posuit deinde eadem collum cinxit demoniaci mandans illis ut de cetero illum hominem non uexarent. Ipsi uero in eiusdem obsessi corpore torqueri statim ceperunt fortiter et clamare Permitte nos exire, quare nos hic cruciari compellis ? At ille Non dimitto uos inquit nisi mihi fideiussores dederitis, quod huc ultra nequaquam de cetero redeatis. Quos inquiunt illi fideiussores possumus tibi dare ? Et ille, Sanctos martires quorum corpora in hac ecclesia requiescunt. Qui dixerunt Non possumus quia nostra merita contradicunt. Oportet inquit uos dare, alioquin a cruciatu hoc nequaquam liberos uos dimittam. Tunc illi responderunt ad hoc se daturos operam prout possent. Et interiecto modico interuallo dixerunt Ecce, impetrauimus licet inmeriti quod sancti martyres fideiusserunt pro nobis. Quod signum ait quia hoc uerum sit datis mihi ? Qui dixerunt Eatis ad capsam in qua sunt recondita capita martirum et eam inuenietis inuersam. Mira res et diuinis prorsus ascribenda prodigiis. Quaesitum est et ita inuentum per omnia sicut illi fuerant protestati.

De eodem circa sororem Bene. ***

54 (46). Rem promo quam tanto securius refero quanto per eandem circa quam gesta est, sororem Bene uidelicet ancillam Christi, instructus certius deuote scribo. Hec namque mulier multo tempore mundo dedita carnis illecebris uacabat, sed culpa tandem pena non caruit nam hanc malignus spiritus per interualla temporum grauiter uexare cepit. Erat autem uicina ecclesie in qua tunc temporis predicatores fratres Florentie morabantur. Quo adueniens uir dei Dominicus ipsam primitus ad penitentiam exhortando perduxit, postmodum etiam uexationi ipsius compatiens suis orationibus ut ab ea malignus discederet spiritus impetrauit ita ut que uix interpolatis diebus quietem modicam habere poterat ultra annum uexationis solite molestiam non sentiret. Verum a uexatione carnis libera uexari se deterius in animo deprehendit et medicina corporis sibi facta est protinus morbus mentis, tantoque negligentius a dei seruitio cepit tepescere quanto a carnis illecebra rediuiuis tentationibus fortius trahebatur. Quod ubi uiro dei exposuit illeque beneficium prestitum in ruine scandalum uersum uidit, blande eam an reduci uellet ad statum pristinum requisiuit. Que cum uoluntati dei sueque discretioni committeret, Rogabo inquit igitur dominum filia ut tibi fiat quod saluti tue magis uiderit expedire. Unde factum est ut non post multos dies malignus spiritus super corpus ancille Christi iterato potestatem acciperet quatenus anima salua permaneret, et uexatio que prius pena culpe extitit postmodum fieret conseruationis remedium et cumulus meritorum.

De eodem in partibus tolosanis. ***

55 (47). Inuentum est etiam per illos quibus post obitum uiri dei commissa est inquisitio super miraculis perpetratis per eum in partibus tolosanis sacerdote quodam attestante, quem non solum officium uerum etiam reddebat etatis maturitas fide dignum, quod in sua parrochia homo fuerat qui male dudum a demonio uexabatur. Cum autem causa predicationis illuc uir dei Dominicus aduenisset oratione sua et demonem expulit et hominem liberauit. Addebat preterea quod in eadem parrochia multos a languoribus febrium orationum suarum suffragio restituit sanitati.

De demonio ostenso et fugato in specie catti ad conuersionem quamrundam mulierum. ***

56 (48). Non minus autem ad diuine uirtutis accedit preconium id quod de demonio a quibusdam matronis per spiritum erroris diu uexatis in anima per uirum dei Dominicum in catti specie uisibiliter effugati in eisdem partibus tolosanis per testes iuratos inuentum est. Cum enim aliquando apud castrum quod dicitur Fanum Iouis in predicatione quadam, fidem probans catholicam, hereticorum perfidiam multipliciter improbasset, post predicationem more solito in ecclesia ad orandum remansit et ecce nouem matrone nobiles ex eodem castro intrantes ecclesiam ad pedes eius prociderunt dicentes Serue dei adiuua nos ; si uera sunt que hodie predicasti iam diu mentes nostras erroris spiritus excecauit, nam istis quos tu hereticos uocas, nos autem bonos homines appellamus, usque in hodiernum diem credidimus et adhesimus toto corde, nunc autem in medio fluctuamus. Serue dei adiuua nos et ora dominum deum tuum ut notam nobis faciat fidem suam in qua uiuamus, moriamur, saluemur. (49) Tunc uir dei stans aliquamdiu et intra semetipsum orans post aliquantulum dixit eis Constantes estote et expectate intrepide, confido in domino deo meo quod ipse qui neminem uult perire iam ostendet uobis, quali domino hactenus adhesistis. Statimque uiderunt de medio sui cattum unum teterrimum prosilire qui magni canis preferens quantitatem habebat grossos oculos et flammantes, linguam longam latamque atque sanguinolentam et protractam usque ad umbilicum, caudam uero habens curtam sursumque protensam posteriorum turpitudinem quocumque se uerteret ostendebat de quibus fetor intollerabilis exhalabat. Cumque circa matronas illas se per horam aliquam huc illucque uertisset ad cordam ex qua campana pendebat exiliens et per eam usque ad superiora conscendens tandem per campanile lapsus disparuit feda post se uestigia derelinquens. Conuersus autem ad matronas illas uir dei Dominicus et consolans eas Ecce inquit per hoc quod coram oculis uestris faciente deo figuratiue comparuit potestis aduertere qualis est ille cui hactenus sequentes hereticos seruiuistis. Ille uero deo gratias referentes ab illa hora ad fidem catholicam perfectissime sunt conuerse. Quarum etiam alique apud sorores de Pruliano religionis habitum assumpserunt.

57. Verum quid cattus ille teterrimus tanteque deformitatis uarietas per singula queque significare debuerit, quia cepti non est propositi sermonem componere sed potius hystoriam texere, ad alia properans ad presens omitto, hoc tamen adiiciens quod mentes femineas et tanto tempore in errore fundatas facilius reducere potuit tam terribilis uisio ipsis oculis foris exhibita quam sola uerborum quantalibet persuasio per aures infusa, rursumque nulla tam forma deformis est atque horribilis que illi deformi conuenienter non congruat qui cum esset similitudinis diuine signaculum per superbiam factus est infernale spectaculum.

Qualiter claruit spiritu prophetie.

58 (50). Quanto autem diuine gratie munere etiam in spiritu prophetie uir dei claruerit libet per aliqua de multis elicita breuiter prodere.

Qualiter predixit conuersionem fratris Raymundi qui prius fuit hereticus. ***

59 (51). Predicante aliquando uiro dei Dominico in partibus tholosanis contigit quosdam hereticos captos et per eum conuictos, cum redire nollent ad fidem catholicam tradi iudicio seculari. Cumque essent incendio deputati aspiciens inter alios quendam Raymundum de Grossi nomine, acsi aliquem in eo diuine predestinationis radium fuisset intuitus, Istum inquit officialibus curie, reseruate nec aliquomodo cum ceteris comburatur. Conuersusque ad eum blandeque alloquens Scio inquit fili mi scio quod adhuc licet tarde bonus homo eris et sanctus.

Res stupenda et digne commendanda memorie. Dimissus namque per annos fere uiginti in heretica cecitate permansit, tandem uero dei gratia illustratus relictis tenebris ad lumen uenit, frater etiam predicator effectus in eodem ordine uitam suam et laudabiliter duxit et feliciter consummauit.

Qualiter predixit conuersionem fratris Hugonis de Sexto ad ordinem qui prius fuit ordinis persecutor. ***

60 (52). Apud Florentiam Hugo quidam de Sexto, tunc clericus secularis nunc autem antiquus in ordine predicatorum frater, pro eo quod ecclesia in qua erat clericus collata fuerat fratribus, in qua etiam fratres aliquanto tempore in principio ordinis sunt morati, grauem in eundem ordinem persecutionis tirannidem exercebat. Erat et quedam mulier in eadem parrochia per uirum dei Dominicum de mundo nouiter ad deum conuersa Bene nomine, nunc uero soror Bene dicta, de qua paulo superius sermo est habitus, cui etiam in fratrum odium non paucas quotidie dictus clericus molestias inferebat. Cum itaque frequenter super hoc ad uirum dei Dominicum prefata mulier lamentabiles querimonias detulisset, tandem ille blandis eam consolans sermonibus Patienter inquit age filia sciens quod iste qui et te et ordinem tam insolenter persequitur adhuc et cito bonus ordinis frater erit et in eodem ordine labores non paucos et longo tempore sustinebit. Fidelis sermo. Effectus sequens totum per omnia quod uir dei predixerat comprobauit.

Qualiter preuidit quosdam fratres recessuros ab ordine, quos postea suis orationibus reuocauit.

61 (53). Cum autem esset in Hyspania in loco qui dicitur Gualdafaien, quibusdam sibi fratribus sociatis, temptauit eos sathanas ut a beati uiri societate discederent. Quod uirum dei non latuit sancto sibi spiritu reuelante. Apparuit enim ei per uisum immanissimus quidam draco qui fratres illos qui secum erant absorbere apertis faucibus uidebatur. Intellexit igitur uir spiritu dei plenus graue fratribus temptationis imminere discrimen. Quibus etiam uisionem illam terribilem propalauit hortans eos ut temptationibus futuris constanter resisterent a quibus nemo nisi spontaneus absorbetur. Breui autem spatio temporis interiecto draco ille qui paulo ante fratres illos absorbebat per uisum absorbuit per effectum. Nam omnes qui cum uiro dei Dominico fuerant exceptis tribus, scilicet fratre Adam et duobus conuersis, suadente diabolo recesserunt. Interrogatus autem quidam ex illis a uiro dei an et ipse uellet abire, Absit inquit pater karissime ut relicto capite sequar pedes. Atuero pater misericors erga eos qui recesserant non indignatione sed compassione commotus continuo ad consuetum orationis refugium se conuertit et quos monitis retinere non potuit orationibus reuocauit. Nam paulo post omnes fere ad eum instinctu diuine gratie redierunt.

Qualiter preuidit duos fratres morituros in corpore et duos in anima. ***

62 (54). Preterea, cum adhuc fratres apud Sanctum Sixtum morarentur in urbe et ibidem uir dei Dominicus presens esset, quasi subito facto spiritu domini super eum ad capitulum fratribus conuocatis palam omnibus nuntiauit quatuor fratres ex ipsis in breui, duos uidelicet in corpore, duos autem in spiritu, morituros. Nec mora, uerbum comitatur effectus. Nam non multo post tempore duo fratres carnis debitum exsoluentes migrauerunt ad dominum, duo uero alii ad seculum redeuntes de ordine penitus recesserunt.

Qualiter preuidit mortem regis aragonum. ***

63 (55). Sane demoratus est aliquando uir dei apud Carcassonam in domo episcopi per unam quadragesimam predicationi insistens, ubi etiam uices episcopi tunc temporis exsistentis in

Francia ab eodem sibi commissas in spiritualibus exercebat. Cum autem in diebus illis guerra multum increscerset inter dominum Symonem comitem Montis Fortis pro parte ecclesie et comitem tolosanum comesque tolosanus multum inciperet aduersus ecclesiam preualere, conuersus quidam cisterciensis ordinis uir religiosus ibidem exsistens, dolens quamplurimum super hiis et ad uirum dei Dominicum quadam die sic affectus accedens, Magister inquit Dominice nunquamne finem habitura sunt ista mala ? Cumque uir dei reticeret illeque importunius ageret, non ignorans quod ei multa dominus reuelaret, tandem presente fratre Stephano metensi socio suo tunc temporis, cuius etiam hoc frequenti relatione uulgatum est, Finem ait certe habebit istorum tolosanorum malitia, finem habebit, longe tamen est finis, multorum sanguis interim effundetur, et unus rex in huius guerre certamine interemptus occumbet. Illis autem timentibus ne hoc de rege Francie qui tunc de nouo assumpserat negotium albigense deberet intelligi, Ne timeatis inquit de rege Francie, alius rex erit et cito erit cuius uitam presentis guerre uarietas intercidet. Sequenti igitur anno rex aragonum iuuans partes comitis tolosani in prelio occidit, qui utinam non in perpetuum contra ecclesiam uidelicet dimicando infelicius occidisset.

Qualiter per totam quadragesimam ieiunauit in pane et aqua. ***

64 (56). Addebat quoque idem frater Stephanus quod uir dei Dominicus per totam illam quadragesimam non comedit aut bibit nisi panem et aquam neque lectum intrauit, adueniente autem pascha et fortiorem se esse dicebat pulcriorque et pinguior apparebat.

Qualiter preuidit occasum comitis Montis Fortis.

65 (57). Nec silendum quoque est qualiter uirum dei occasus comitis Montis Fortis per uisionis mysterium diuina sibi reuelante uirtute non latuit. Videbat enim in sompnis, ymaginaria quadam uisione sed intellectu non uacua, arborem quandam quantitate proceram, ramorum expansione diffusam, densarumque frondium uenustate perpulcram, quiescentem quoque in ramis eius auium multitudinem copiosam. Post paululum autem arbor corruit et omnis ille cetus uolatilium dispersus aufugit. Intellexit autem statim uir diuino spiritu repletus comiti Montis Fortis, magno uidelicet principi pupillorumque tutori, mortis excidium proximum imminere sicut et rei postmodum probauit euentus.

Qualiter predixit conuersionem fratris Corradi et suis orationibus ipsum mirabiliter conuertit. ***

66 (58).Viri uite uenerabilis alatrini episcopi fidelissima attestatione quod refero comperi, qui hoc etiam fratri lohanni de Columpna priori fratrum tunc temporis in romana prouincia sollicite perquirenti per suas litteras proprioque sigillo communitas transmisit.

67. Hic cum adhuc esset prior monasterii Casamarie de ordine cysterciensi quodam tempore, dum a bone memorie papa quondam Honorio in Theotoniam missus per Bononiam iter faceret, ad dilectum uirum dei Dominicum cum quo magne familiaritatis notitiam dudum Rome contraxerat uisitandum accessit. Erat autem tunc temporis Bononie magister quidam Corradus theutonicus cuius ingressum ad ordinem fratres mirabiliter affectabant. Cum ergo in uigilia assumptionis beate Marie uir dei Dominicus cum prefato tunc priore, quem intimo diligebat affectu, secretam atque consolatoriam de diuinis uiteque celestis deliciis collationem haberet familiari quadam confidentia exigente materia dixit ei Fateor tibi prior, quod tamen adhuc nulli unquam exposui nec tu alteri quamdiu uixero reuelabis, quod nunquam adhuc a deo in hac uita aliquid petii quod non assequerer iuxta uotum. Ille uero, uehementer admirans et desiderii quod habebant fratres circa conuersionem supradicti magistri Corradi thetonici conscius,

confidenter adiecit Pete ergo pater ut det tibi magistrum Corradum ad ordinem cuius fratres introitum tam ardenter flagitare uidentur. At ipse Rem inquit frater bone difficilem postulasti, si tamen uolueris in hac nocte orationi mecum insistere confido in domino quod nos a petitionis nostre desiderio non fraudabit.

68. Finito itaque completorio fratribus ad quiescendum pergentibus uir dei Dominicus in ecclesia presente dicto priore et uidente remansit et in oratione more solito pernoctauit. Peractis uero sollempniter tam celebrium matutinarum uigiliis illucescenteque die, conuenientibus ad primam fratribus, cum cantor incepisset Iam lucis ortu sydere ecce lucis uere sidus nouum futurus magister Corradus subito ueniens et ad pedes beati patris Dominici se prosternens habitum ordinis et instanter petiit et perseueranter accepit. Quo statim cum fratribus aggregato deus omnipotens serui sui Dominici et precedens uerbum et sequens oratio quam ab effectu suo nequaquam uacua fuerint indicauit.

Qualiter predixit et impetrauit continentiam carnis cuidam decano. ***

69 (59). Decanus quidam de Francia Romam uadens uirum dei Dominicum apud Mutinam predicantem inuenit. Ad quem accedens et de salute anime sue secum conferens hec inter alia sibi dolenter exposuit suumque quasi ineuitabile naufragium esse dixit quod a carnis lubrico continere non poterat, propter quod etiam ab aliis bonis operibus exercendis quasi desperatus abstinebat. Cui uir dei diuina qua plenus erat confortatus fiducia Vade inquit de cetero uiriliter age et de dei misericordia non desperes, ego tibi a domino carnis continentiam impetrabo. Sic dixit et sicut postmodum ueraciter claruit sic euenit. Nam qui fuerat inmundus et lubricus deinceps castus et continens est effectus, dum serui promissio cum promissione domini, qua uidelicet dixit Amen dico uobis si quid petieritis patrem in nomine meo dabit uobis, fine debite concordauit.

Breuis et generalis descriptio morum et conuersationis ipsius.

70 (60). Tanta preterea uenerabilis pater uir dei Dominicus morum honestate pollebat, tanto in omnibus diuini feruoris impetu ferebatur, ut ipsum esse uas honoris et gratie, uas ornatum omni lapide pretioso, nemo qui uitam eius diligenter aduerteret dubitaret. Inerat ei firma ualde mentis equalitas nisi cum ad compassionem et misericordiam turbaretur, et quia cor gaudens exhylarat faciem placitam interioris hominis compositionem manifesta deforis benignitate prodebat ; et cum in eius facie de bone conscientie testimonio procedens semper eluceret hylaritas lux tamen uultus eius non cadebat in terram. Denique per hanc omnium sibi facile uendicabat amorem, omnium sine difficultate mox ut eum aspicerent illabebatur affectibus. Tantam autem seruabat in hiis que secundum deum rationabiliter fieri concepisset mentis constantiam ut uix aut numquam semel enuntiatum cum digna deliberatione sermonem acquiesceret immutare.

71. Ubicumque uersaretur, siue in uia cum sociis aut in domo cum hospite reliquaque familia aut inter magnates et principes uel prelatos, semper edificatoriis affluebat sermonibus, abundabat exemplis quibus ad amorem Christi seculiue contemptum audientium animos inuitaret. Vix ipsa communis eius locutio a uirtutis erat pondere uacua quia cuius cor sese in alta suspenderat nequaquam uerba de ore illius in cassum cadebant. Ubique se uerbo et opere uirum euangelicum exhibebat. Tempore diurno cum fratribus sociisue, saluo quidem in omnibus honestatis tenore, nemo communior, nocturnis horis uigiliis et orationibus per omnem modum nemo instantior. (61) Diem impertiebatur proximis, noctem deo, sciens quoniam in die mandauit dominus misericordiam suam et nocte canticum eius. Sane de suis oculis quasi quendam fontem effecerat lacrimarum fueruntque ei lacrime eius panes die ac nocte, die quidem magis cum

missarum crebra et quotidiana celebraret sollempnia, nocte uero cum super omnes infatigabilibus excubaret uigiliis. *** Frequenter autem quando corpus domini eleuabatur in missa in tantum mentis rapiebatur excessum ac si ibidem presentem Christum incarnatum uideret, propter quod missam cum ceteris multo tempore non audiuit.

72. Erat ei pernoctandi in ecclesiis consuetudo creberrima usque adeo ut uix aut raro certum ad quiescendum lectulum uideretur habere. Tres singulis noctibus recipiebat manu propria de quadam catena ferrea disciplinas, unam uidelicet pro se, alteram pro peccatoribus qui uersantur in mundo, tertiam uero pro iis qui in purgatorio cruciantur. *** Orabat igitur noctibus et perseuerabat uigilans quantum a fragilitate corporis extorquere potuisset, et cum tandem lassitudine succedente sompni interpellaret necessitas, siue ante altare siue alio quocumque loco aut certe super lapidem instar patriarche Iacob capite reclinato quiescens paululum, rursus euigilabat ad spiritus orationisque feruorem.

73 (62). Omnes homines largo excipiebat caritatis sinu et cum omnes diligeret ab omnibus amabatur. Gaudere cum gaudentibus flere cum flentibus sibi proprium uendicabat. Hoc etiam cunctis eum faciebat gratissimum quod simplici gradiens uia nullum unquam uerbo uel opere duplicitatis uel fictionis pretendebat uestigium. Verus erat paupertatis amator utens uilibus indumentis, in cibo quoque temperantissimus delicata uitans et libenter simplici pulmento contentus, habens in omnibus liberam sui corporis potestatem.

74. Mundum denique sibi mundique gloriam sic prostrauit ut cum Petro siccis uestigiis ambulans supra mare nequaquam unquam in eo figeret gressum pedis. Proinde electus aliquando in cozeranensem episcopum omnino renuit contestans se prius terram deserere quam electioni alicui de se facte aliquatenus consentiret, illius nimirum imitatus exemplum qui, cum eum ut regem facerent turbe conquirerent, in montem fugiens manifeste quam sit prelationis officium appetendum ostendit. Interrogatus uero aliquo tempore cur non libentius Tolose in tolosanaque diocesi quam Carcassone in eiusque diocesi moraretur, Quia in tolosana inquit diocesi multos qui me honorant, inuenio, apud Carcassonam omnes e contrario me impugnant.

75. Hec in summa quadam et breuiter de beati uiri Dominici uita perstricta sunt ut non minus quidem ex his quam ex miraculorum prodiigiis quam digne apud deum et homines gloriosus habendus sit luce clarius elucescat. Utrumque autem ad nostrum denique profectum dirigitur, dum et in illis quod admiramur aspicimus et in istis quod nobis ad imitandum proponitur inuenimus, ad honorem uidelicet illius et gloriam qui sanctos suos et meritorum uenustat uirtutibus et quando uult et prout uult etiam miraculis coruscare concedit, Ihesus Christus filius dei uiui, qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in secula seculorum, Amen.

De felici obitu ipsius apud Bononiam.

76 (63). Igitur, appropinquante peregrinationis termino fineque certaminis quo laborum bonorum uir dei Dominicus gloriosum fructum perciperet coronamque uictorie reportaret, constitutus apud Bononiam graui cepit corporis infirmitate languere. Positis autem ex hiis qui tunc aderant filiis coram eo testamentum pacis disposuit in quo precipue tam ipsis quam cunctis per ordinem circumquaque diffusis, salubri quadam ammonitione premissa, caritatis, humilitatis atque paupertatis legitimam successionem legauit. In huius inquam triplicis proprietate thesauri summopere uniuersos filios heredes instituit, per quam nimirum illius regni quod repromisit deus diligentibus se secum fierent coheredes. Illud uero qua potuit districtione prohibuit ne quis unquam in suo ordine possessiones induceret temporales, maledictionem dei omnipotentis et suam terribiliter imprecans ei qui predicatorum ordinem, quem precipue paupertatis decorat professio, terrene substantie ueneno respergere laboraret.

77. Denique circumstantibus fratribus et quasi inconsolabiliter de tanti patris destitutione dolentibus dulciter consolans eos confidenter adiunxit Ne uos mea filii corporalis turbet discessio, nullatenus dubitantes uos utiliorem me mortuum habituros quam uiuum. Grandis sane sed non uana fiducia. Sciebat enim nimirum cui crediderat et de reposita sibi corona glorie certus erat qua percepta tanto fieret ad impetrandum potentior quanto in potentias domini iam securior introisset.

78. Proinde ad extremam horam ueniens, anno ab incarnatione domini .m.cc.xxi. .viii. idus augusti obdormiuit in domino, illius uocis que ad Iohannem in apocalipsi de celo dudum insonuit non solum sonum sed et effectum indubitanter percipiens, Beati mortui qui in domino moriuntur. Interfuit autem eius exequiis uenerabilis tunc quidem hostiensis episcopus et apostolice sedis in Lombardia legatus, postmodum uero papa Gregorius, corpusque eius sacrosanctum cum digna deuotione per semetipsum in ecclesia fratrum sepulture mandauit.

De reuelatione facta fratri Guale eodem die circa transitum eius apud Brixiam.

79 (64). Eadem uero die eademque hora qua beatus pater migrauit a corpore frater Guala eiusdem ordinis tunc prior Brixie, postmodum autem ciuitatis eiusdem episcopus, cum in loco campanilis fratrum in Brixia paululum reclinasset leui quadam somni dulcedine dormitauit uiditque reuelatione diuina uelut aperturam quandam in celo per quam due scale candide submittebantur ad terram. Summitatem quoque unius scale manu tenebat Christus dominus, summitatem uero scale alterius uirgo mater, per utrasque autem descendentes et ascendentes angeli discurrebant. Et ecce in medio scalarum in imo sedes est posita et supra sedem sedens et qui sedebat similis erat fratri habenti faciem uelatam caputio quemadmodum mos est in ordine fratres mortuos sepelire. Scalas autem sursum paulatim trahebant ex una parte Christus dominus et ex altera mater eius donec psallentibus angelis ad summum usque peruenit is qui in sede fuerat collocatus. Receptisque in celo scalis et sede pariter cum sedente illa celi apertura clausa est uisioque disparuit. Excitatus igitur idem frater a sompno, quamuis ex infirmitate precedenti debilis adhuc esset, confestim Bononiam quo beatum patrem egrotasse sciebat iter arripuit comperitque ueniens eundem diem eandemque fuisse horam qua et illa sibi uisio celestis apparuit et uir dei Dominicus de mundo transiens celi gloriam introiuit. Ad cuius rei certitudinem ampliorem mox coram omnibus uisionem huiusmodi publicauit.

*De reuelatione facta fratri Raoni eodem die similiter apud Tybur. ****

80 (65). Verum non inferioris habet stuporis indicium, non minoris certitudinis argumentum, quod de transitu eiusdem beati patris fratri Raoni eiusdem ordinis, uiro prorsus sanctitatis precipue, longius posito luce clarius reuelatum fuisse compertum est. Eadem namque die defunctionis ipsius dictum fratrem Raonem cum fratre Tancredo, de quo in loco alio facta est mentio, de Urbe Tybur contigit accessisse. Peruenientibus autem ipsis ad hospitium solitum hora quasi sexta de mandato ipsius fratris Tancredi frater Rao ad altare missam celebraturus accessit. A quo etiam premissa confessione iniunctionem accepit ut dilecti patris quem egrotasse Bononie nuper audiuerant memor esset. Cum igitur ad illum locum in quo in missa de uiuis consueuit fieri mentio peruenisset iniunctionemque factam sollicitus ad memoriam reuocasset subito factus est in excessu mentis stansque immobilis in altari raptus in spiritu uidit manifesta siquidem uisione uirum dei Dominicum corona quadam aurea laureatum totumque mirabili splendore fulgentem, duobus quibusdam reuerendis uiris comitatum hinc inde, extra Bononiam uia regia procedentem. In eadem uero uisione reuelatione certa sibi dabatur intelligi quod uir dei Dominicus eadem hora, scilicet sexta, sextaque feria migrans a corpore celestem patriam gloriosus adiisset. Visione autem

illa perfecta mox ad se reuersus sibique redditus ab eodem loco quo in excessu factus dimiserat quam inceperat missam prosecutus expleuit.

81. Frater uero Tancredus qui se post euangelium ad terram prostrauerat, siue sompni pre lassitudine uie sopore depressus siue alia quacunque meditatione suspensus, nec interposite more distantiam nec ipsius raptus argumentum aliquod deprehendit. Hanc autem uisionem ex humilitate quadam qua proculdubio plenus erat is qui uiderat frater longo tempore tacuit. Postmodum autem diuina inspiratione premonitus pluribus reuelauit eoque referente frequenter audiui eandemque manu propria michi scripsit.

De translationis sacrosancti corporis eius et mirabili odoris fragrantia.

82 (66). Post transitum quoque uenerabilis patris beati Dominici a multiplicandis miraculis per eius merita diuina potentia incessanter non destitit. Quorum quamplurima indiscreta fratrum humilitas, ne uidelicet sub hoc obtentu notam superbie uel cupiditatis incurrerent, occultauit, sicque sibi tam improuide prouidentes unde fame sue cogitauerunt inconsulte consulere inde quantum dei subtraxerint glorie minus prouidi non uiderunt ; nonnulla uero per negligentiam pretermissa ingratitudinis proles obliuio sub silentio sepeliuit. Sed deus omnipotens qui in sanctis suis gloriosus ostenditur non est passus solem obumbrari sub nubilo nec thesaurum in puluere latitare, ut nimirum lucerna tam inclita super candelabrum ecclesie posita ad profectum omnium coruscaret signis, radiaret exemplis. Quapropter crebrescentibus indesinenter miraculis, cum non posset ulterius beati uiri sanctitas occultari, fidelium dignum duxit deuotio corpus eius humili prius loco repositum ad altiorem debito cum honore transferre, indignum namque uidebatur et erat ut illius ossa uilis teca contegeret cuius merita dei potentia signis tam euidentibus predicaret.

83 (67). In diebus autem illis apud Bononiam multitudo fratrum conuenerat ad capitulum generale. Aderat etiam frater Nicholaus de Iuuenatio, uir uirtute pariter et opinione non mediocriter celebris. Cui, cum intempeste noctis silentio super instanti translatione sollicitus quedam in animo uolueret de futuri casus incertitudine, uidelicet anxius utrumne dominus ad exaltationem sancti sui Dominici signum aliquod dignaretur ostendere, tandem quasi inter soporem et uigiliam constituto uisum est uirum quendam astantem sibi conspicere claraque simul uoce dicentem Hic accipiet benedictionem a domino et misericordiam a deo salutari suo.

84 (68). Statuta igitur hora hii qui ad exequendum prefate translationis negotium interesse debuerant conuenerunt. Erat autem monumentum in quo tam pretiosus thesaurus iacebat reconditus grandi lapide supertectum durissimoque cemento circumquaque conclusum, ita ut nec spiramen quidem uel ab interioribus posset procedere uel ab exterioribus subintrare. Hoc cum fuisset, fracto uix ferreis instrumentis cemento sublatoque lapide, patefactum, tanta subito ex ipso erupit suauissimi odoris fragrantia ut non tam sepulcrum quam cella uideretur aromatum patuisse.

85. O stupendum sed omni prorsus consentaneum rationi miraculum. (69) Decebat namque et omnino decebat ut corpus illud quod in hac uita sicut luce clarius patuit diuina conseruante uirtute perpetua uirginitate illibatum permanserat ipsius uirginitatis etiam mortuum testimonium perhiberet, dum ad honorem et gloriam conditoris unde nullus unquam exalauerat fetor detestande libidinis inde mira suauitas fragraret odoris et quod per incorruptionis munditiam aliarumque possessionem uirtutum super terram positum sancti spiritus odoriferum extiterat organum sub terra reconditum unguentorum fragrantium fieret alabastrum, odorique odor per consequentiam responderet. Odor inquam et talis odor cuius suauitas si illius antiqui quondam patris Ysaac nares forsitan attigisset uere siquidem potuisset exsultare rursus et dicere Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit dominus. Annon uere dominus benedixit

eidem de quo uox ut supra diuinitus illata testata est Hic accipiet benedictionem a domino et misericordiam a deo salutari suo ?

86. Annon inquam uere illi dominus benedixit quem in benedictionibus dulcedinis tot preuenit ? Benedictionibus quidem celi desuper per uirtutum que de celo sunt quibus dum uixit claruit habundantiam, benedictionibus abyssi iacentis deorsum per eam que de tumulo ipsius odoris post mortem erupit fragrantiam, ideoque ipsius memoria in benedictione non immerito perseuerat. Erat autem odor ille tantus tamque terribilis ut inusitata suauitate fragrantie cuncta plane superaret aromata nec alicuius rei naturalis odori similis uideretur. Nec solum ossibus aut pulueri sacri corporis uel capse inerat uerum etiam terre circumquaque congeste ita ut ad longinquas postmodum regiones delata odorem ipsum longo tempore retineret. Fratrum uero manibus maxime aliquid de reliquiis sacrosanctis tangentibus sic inhesit ut quantumcunque lote uel etiam confricate per plures dies conseruate fragrantie testimonium presentarent. Multi etiam de populo concurrente ex eodem sacro conspersi puluere sanitatum beneficia receperunt.

87 (70). Interfuerunt autem huic tam reuerende translationi exceptis fratribus uenerabiles uiri unus archiepiscopus, scilicet rauennas, quatuor episcopi, scilicet mutinensis postmodum uero sabinensis, brixiensis, bononiensis et quidam alius, insuper autem et potestas bononiensis cum suis militibus qui sepulcrum accincti armis, ne quis uidelicet de sacrosanctis reliquiis quicquam subriperet, circumstabant. Hii omnes testes omnium que circa presens negotium uel humanitus gesta sunt uel ostensa diuinitus extiterunt ad honorem et gloriam Ihesu Christi, qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in secula seculorum, Amen.

De miraculis que post hec in diuersis locis ostensa sunt et primum in Ungaria. ***

88 (71). Iam ad aliqua que post hec diuersis in locis per merita gloriosi confessoris beati Dominici ad exaltationem sui nominis ostendere deus dignatus est, nec non et digna sunt testium assertione probata, fidelis narratio subsequatur. Et primum quidem libet ad ea stilum conuertere que in Ungaria facta cognouimus stupenda prorsus maxime circa mortuos suscitatos, parte quadam reliquiarum sacrosancti corporis ipsius illuc delata deuotionem in populo prouocante.

De resuscitatione cuiusdam pueri ad reliquias beati Dominici. ***

89 (72). In Sumlu, que illius prouincie regio quedam est, uir quidam nobilis cum uxore sua deuotionis causa ad reliquias beati Dominici que in domo fratrum habebantur uisitandas accessit. Cuius filius quem secum duxerat paruulus infirmatus ibidem ad extremum uite moriendo peruenit. Quem pater merens ad ecclesiam deferens et coram altari beati Dominici collocans uoce flebili lamentari cepit et dicere Beate Dominice letus ueni ad te, en tristis redeo, cum filio ueni, en orbatus recedo ; redde michi queso filium meum, redde michi letitiam cordis mei. Cumque sic lugens usque ad noctem perseueranter insisteret, circa noctis medium puer reuixit, lac suxit et per ecclesiam ambulauit, tandemque ad domum propriam a parentibus est incolumis cum letitia reportatus.

De resuscitatione cuiusdam iuuenis suffocati in aqua. ***

90 (73). Iuuenis quidam domine Iustine Miche comitis uxoris mancipium, dum in Cris flumine piscationi minus cautus insisteret, in aquam lapsus suffocatus disparuit. Magno autem spatio temporis interiecto eius corpus in profundo fluminis requisitum mortuum est eductum. At prefata domina super subtracti famuli nece tam miserabili condolens pro resuscitatione eius beatum Dominicum inuocauit, promittens se et ad suas reliquias in Sumlu uisitandas personaliter nudis pedibus accessuram et resuscitatum mancipium libertati daturam. Statimque qui fuerat

mortuus in medium uidentibus omnibus uite redditus prosiliuit, quem deuota domina in Sumlu sicut promiserat ueniens priori domus et fratribus et suscitatum retulit et liberum presentauit.

De resuscitatione cuiusdam pueri. ***

91 (74). Cuiusdam uiri nobilis Ladizlai nomine filius paruulus letali febrium infirmitate preuentus per mortis transitum ex hac uita discessit, cuius corpusculum pannis iuxta consuetudinem inuolutum extra domum fuerat iam delatum. Mater uero nobilis domina inter nimiam qua fuerat absorpta tristitiam resumens spiritum accersiri fecit ad se continuo sacerdotem. Coram quo emisso uoto, cum deuote beatum Dominicum inuocasset, quem plorabat mortuum recepit filium uite protinus restitutum. Cum quo in Sumlu reuerenter accedens, presente sacerdote coram quo puer fuerat suscitatus uiroque ipsius, et rei geste ueritatem exposuit et in sancto suo Dominico debitas egit gratias saluatori.

De resuscitatione cuiusdam alterius. ***

92 (75). Vir quidam de Castro Sounuc de uilla Leley Gothart nomine, orbatus filio Thoma nomine iam defuncto, superueniente nocte circa corpus eius plorans et eiulans residebat. Socio tandem qui secum aderat ad quiescendum pergente, cum remansisset solus, accenso lumine iuxta caput adolescentis filii defuncti se collocans habenas lacrimis relaxauit beatum Dominicum ut patri redderet filium incessanter uotis pariter et uocibus interpellans. Factum est igitur ut circa pullorum cantum qui mortuus fuerat se moueret et apertis oculis patri dixit Quid est pater quod sic habeo faciem madefactam ? Cui ille, Lacrime patris tui sunt fili, quia tu mortuus fueras et ego solus remanseram omni gaudio destitutus. Et ille Multum inquit fleuisti pater sed beatus Dominicus desolationi tue compatiens ut tibi uiuus redderer suis meritis impetrauit.

De resuscitatione filii cuiusdam increduli postmodum conuersi. ***

93 (76). Crebrescente per totam Ungariam uirtutum fama quas per merita beati Dominici super uiuos et mortuos manus domini frequentabat uir quidam ad omnia infidelis prorsus et incredulus persistebat. Contigit autem eius filium quem habebat grauiter infirmari, in qua etiam infirmitate tandem ultimum spiritum exalauit. Quidam autem de hiis qui ad consolandum patrem et ad assistendum nocte circa corpus defuncti filii ex more conuenerant dixit ei Crede beatum Dominicum magni esse meriti apud deum uirtutemque dei in ueritate operari per eum miracula que feruntur, necnon et ipsum inuoca toto corde ; forsitan qui plerosque mortuos suis meritis suscitauit tuum etiam filium suscitabit. Tunc ille compunctus corde super incredulitate preterita amare redarguit semetipsum, assumptaque fiducia ab inuocatione beati Dominici per noctem illam cordis gemitibus ac oris precibus non cessauit. Igitur prima hora diei qui iacebat mortuus manum mouit, uelamen abiecit quo eius facies inuoluta fuerat, ac surrexit, tandemque pater cum filio suscitato in Sumlu properans quanta sibi fecerat dominus ad honorem gloriosi confessoris sui Dominici nuntiauit.

De resuscitatione filii cuiusdam honesti uiri. ***

94 (77). Honestus quidam uir Gentus nomine de uilla Pinar, que est sub castro Crassu, cum suis parrochianis ad fratres uenit filium paruulum secum ferens ac dicens Hic est filius meus quem beatus Dominicus iam defunctum a mortuis meritis suis suscitauit. Nam cum a summo mane usque post meridiem in domo mea in medio ululantis familie iaceret exanimis subtraxi me paululum et, recordatus quod deus beato Dominico super mortuos suscitandos tantam gratiam contulisset, sumpta fiducia, locum in quo orare consueueram adii et gloriosum domini

confessorem ut orbato patri unicum redderet filium fusis amarissimis lacrimis inuocaui. Cumque redissem ad corpus pueri et me super eius faciem flens et eiulans incuruassem ecce puer aperuit oculos factus uiuus. Quem ad uos gaudens attuli ad laudem et gloriam saluatoris qui sancti sui Dominici merita tot et tantis miraculis exaltare non cessat.

De quodam languido et ceco curato. ***

95 (78). Languidus quidam et morti proximus lecto decumbens, qui etiam a decem et octo annis lumen amiserat oculorum, cum audisset sacerdotem cum parrochianis suis proficisci uelle ad beati Dominici reliquias uisitandas confortatus spiritu uoluit et ipse pariter proficisci. Cum autem eum sacerdos tanquam rem impossibilem presumentem modis omnibus prohiberet, tandem ualitudinem corporis desiderio cordis exsuperans tanquam temptans ire de lecto surrexit, tantamque subito sibi sensit infundi uirtutem quod passu concito gradi cepit, tanto magis ac magis in conualescentia corporis et oculorum illuminatione proficiens quanto cotidie in itinere procedebat donec tandem ad locum destinatum perueniens perfectum recepit utriusque beneficium sanitatis.

De quadam totaliter et monstruose contracta. ***

96 (79). Quedam mulier de uilla corodinensi ab antiquo tempore dorsum habens monstruose contractum ita ut quasi in dorsum uersa statura cetera corporis uideretur ad reliquias beati Dominici super currum posita ducebatur. In mente autem illi uenit ut, quod petebat facilius impetraret, ex deuotione quamuis non sine multa molestia pedes aliquantulum ambularet. Igitur de curru deposita, dum uix attrahens spiritum cepisset incedere, subito fracto cingulo et in terram fluente corpus eius in directum extensum est et ad statum debitum mirabiliter reformatum. Quam sacerdos suus et ceteri conuicini qui secum uenerant accedentes ad locum fratribus presentarunt tam infirmitatis pristine quam sanitatis taliter subsecute testimonium perhibentes.

Qualiter cuidam curato per ipsum et ingrato apparuit in uisione et pretium curationis exegit ab eo. ***

97 (80). De uilla tituliensis ecclesie quidam Tequeren nomine, cum propter infirmitates graues quas patiebatur in dorso, scapulis atque brachiis, reliquias beati Dominici uisitasset, sanitatem ad integrum de omnibus reportauit. Post paucos autem dies morderi cepit in conscientia quod percepte beneficium sanitatis, quo deo debite gratie redderentur, nequaquam fratribus reuelasset. Unde et se promisit continue rediturum. Cum autem iterum ex negligentia hoc differret nocte quadam apparuit ei dormienti beatus Dominicus et ab eo sanitatis prestite pretium exigebat. Quapropter expergefactus a sompno statim iter arripuit, ad locum uenit et coram fratribus de ingratitudine seipsum digne redarguens quod factum fuerat totum tam de sanitate prius exhibita quam de reuelatione postmodum subsecuta deuote simul et diligenter exposuit audiente quamplurimo qui tunc aderat populo et deo gratias referente.

De curatione cuiusdam in pedibus monstruose crontracti. ***

98 (81). Iuuenis quidam retortos miserabiliter habens pedes, ita quod in superficie pedum cum afflictione non modica plantis contractis et inuersis posterius ambulabat, ad beati Dominici sacrosanctas accedens reliquias curationis est integre gratiam assecutus. Huic non solum mater et cognati uicinique quamplurimi uerum etiam ipsa pedum postmodum superficies figuram plante retinens ingrossate infirmitatis pristine testimonium perhibebat.

De curatione filii cuiusdam comitis. ***

99 (82). Filius cuiusdam comitis curialis diebus plurimis grauiter infirmatus ductus tandem ad reliquias sacrosanctas et tactus eisdem perfectam recepit in uirtute domini sanitatem ita quod post paucos dies occidebat bestias coram rege.

De curatione cuiusdam pueri muti. ***

100 (83). De uilla Oudon puer quidam mutus cuius pater uocabatur Mozir ad tactum reliquiarum beati Dominici loquele protinus beneficium reportauit.

De curatione alterius mute. ***

101 (84). Vidua quedam orodiensis Pita nomine post annum tertium maritalis thori loquele usum prorsus amiserat muta facta. Hec iam uetula tactis sacrosanctis reliquiis lingue officium sibi sensit statim integre restitutum.

De curatione cuiusdam clerici ab antiquo surdi. ***

102 (85). Senex quidam clericus qui ab antiquo grauem aurium incurrerat surditatem cum conuicinis suis ad reliquias beati Dominici uisitandas accessit. Quas cum osculatus esset et ab eisdem iterum iterumque tactus ad auditum integrum proficiendo peruenit.

De quodam alio surdo curato. ***

103 (87). De uilla Reseud uir quidam nomine Tybi filium suum surdum penitus Gurcu nomine ad reliquias sacrosanctas adduxit, quibus tactis audiendi gratiam incunctanter accepit.

De quodam ceco illuminato. ***

104 (87). Cecus quidam Paulus nomine de uilla Urecha in festo beatorum martirum Abdon et Sennen meritis beati Dominici lumen recepit integrum oculorum.

De quodam paralitico curato. ***

105 (88). Eadem die mulier quedam Loseua nomine uxor Vuonec paralitica perfecte sanitatis gratiam est adepta.

De quodam furioso a uexatione furie liberato. ***

106 (89). De uilla Chica uir quidam Bulchim nomine tanta cordis uesania uexabatur quod in omnes homines quos habebat obuiam quasi canis rapidus insurgebat, et fere nichil comedens die noctuque agitatus furiis ferebatur. Hic ad reliquias ductus beati Dominici ad earum tactum sane mentis statim compos effectus est rationi pristine restitutus.

Qualiter cuidam grauiter infirmanti et a demonibus uisibiliter infestato beatus Dominicus affuit in specie fratris, quem et ab infestatione demonum et ab infirmitate statim liberauit. ***

107 (90). De uilla Geneu iuuenis quidam Sandur nomine orodiensis prepositi dapifer grauissima quadam infirmitate detentus est in qua manifeste contra se uidebat irruere multitudinem demonum infinitam nunc ad suspendium eum trahentium, nunc diuersis generibus affligentium tormentorum. Ipse uero inter hec inestimabili timore depressus uoto simul et uoce qua poterat deo se et beato Dominico commendabat. Statimque in forma fratris beatus Dominicus aderat, qui sinu cape collecto importunas ab eo demonum abigebat molestias eorumque impetum uirtuosa potentia cohercebat. Nec mora, simul eundem ab infirmitatis

desperato grauamine penitus liberauit. Quapropter ad reliquias beati Dominici properans et de tanto beneficio coram fratribus gratias retulit et peccata sua humiliter confitens emendationem uite proposuit et promisit.

De miraculo exhibito in candelis cum quibus debebat ad honorem beati Dominici missa celebrari. ***

108 (91). Matrona quedam de uilla Pinnar, etate pariter et honestate prouecta, uotiuam missam ad honorem beati Dominici disponens facere celebrari candelas tres ad hoc ydoneas preparauit, sed hora debita sacerdotem qui missam celebrare debuit non inuenit, quapropter candelas ipsas in uase quodam reposuit manutergio mundo pariter inuolutas. Cum autem aliquantulum diuertisset post horam rediens candelas flammis patentibus ardere uidit. Stupefacta igitur foras exiit, uicinas undique conuocauit. Concurrunt omnes ad mirandum spectaculum tamque diu ibidem trementes pariter et orantes steterunt donec predicte candele ipsis uidentibus penitus arserunt. Sic autem usque ad extremum paulatim ardendo consumpte sunt quod manutergium uel aliquid quod in uase fuerat non leserunt.

De miraculis que in prouincia Lombardie contigerunt.

109 (92). In prouincia Lombardie scolaris quidam nomine Nicholaus de Bosco anglicus uingoauensis diocesis, degens Bononie, graui renum ac genuum dolore uexatus a festo sancti Michaelis usque ad pentecosten nec per se iam poterat surgere nec per domum sine baculo uel alterius sustentationis adminiculo se mouere. Denique inualescente morbi molestia quindecim diebus de lectulo non surrexit. Sed et leuum femur eius uehementi macie attenuatum emarcuit in tantum quod omnis ab eo secundum medicorum iudicia spes curationis abscessit, adhibitis enim quampluribus medicine remediis nichil ei proderat sed magis deterius habebat. Itaque humano destitutus auxilio Christo domino et beato Dominico se deuouit. Volens etiam in signum deuotionis offerre candelam iuxta modum proprie quantitatis cepit filo stuppeo de quo facienda erat candela corporis sui longitudinem et grossitudinem mensurare. Cumque se totum mensus esset in longum, caput etiam et collum ac pectus, deinde renes ac femora, cum tandem genu filo ambiente cinxisset, inuocato ad quamlibet mensurationem nomine Ihesu Christi et beati Dominici, continuo se alleuiatum sentiens, exclamauit Ego sum liberatus. Et exsurgens lacrimabatur pre gaudio currensque sine baculo uel aliquo fulcimento uenit non egens uehiculo ad ecclesiam ubi corpus beati Dominici quiescebat. Distabat autem ecclesia ab eius hospitio quantum iacere potest arcus. Recessit igitur restitutus pristine sanitati Christi Ihesu gratias agens nomini ac beati Dominici testimonium perhibens sanctitati.

De quadam puella curata a graui morbo in maxilla.

110 (93). Quedam puella bononiensis nomine Thomasina grauem morbum et pene incurabilem diebus quindecim in sinistra patiebatur maxilla, cumque multa putredinis sanie ulcerata eius facies fedaretur impossibile uidebatur quin aliqua cicatrice uel deformi macula turparetur. Temptatis igitur frustra uariis medicine remediis ad inuocationem beati Dominici beneficium obtinuit sanitatis. Mane siquidem diei sequentis nec uestigium quidem morbi remansit in facie excepta quadam rubedine nullam prorsus deformitatem prestante sed tanti miraculi memoriam commendante.

De dextro latere restituto cuidam mulieri.

111 (94). Bononiensis quedam domina Ghisla nomine octo annis dextri lateris a cingulo inferius uires prorsus amiserat ita quod nec pedem nec tybiam mouere poterat nisi forte manibus

sicut lignum. Hec inuocato beato Dominico adepta protinus sanitate caruit omni morbo gratias agens deo.

De quodam iuuene curato ab infirmitate omnium membrorum.

112 (95). Iuuenis quidam de Manzolino nomine Manfredinus a festo sancte Agathe usque ad festum pentecostes omnium menbrorum uiribus destitutus nec ambulare per se poterat nec super latus iacere nec in terra nisi alio se deponente sedere nec se nisi alio trahente leuare, tybias quoque proprias frustra et quasi alienas portabat. Is, cum adhibita sibi medicamina expertus esset inania et nociua, inuocauit beatum Dominicum et perfecte continuo sanitatis assecutus est donum.

De brachio arefacto et restituto cuidam mulieri.

113 (96). Ghislina quedam mulier apud Mansolinum commorans ab introitu quadragesime usque ad translationem beati Dominici, graui totius corporis infirmitate detenta, brachii sinistri et usum pariter et sensum amiserat, quod ita erat emortuum et penitus arefactum quod nec uulnus in eo causa minutionis illatum sentire poterat nec ex ipso uulnere sanguinem emittebat, eratque ipsum brachium dextro gracilius quia ipsum nimis extenuauerat longus morbus. Que ut beato Dominico se deuouit statim perfecte curationis beneficium reportauit.

De curatione labii cuiusdam mulieris.

114 (97). Alia quoque manens apud Mansolinum mulier nomine Menacheta, labii iam per anni spatium priuata erat officio ut nec loqui posset nec sine magna difficultate sumeret alimenta eo quod enormiter labium illud intumuerat et quasi emortuum dependebat, inuocauit opem beati Dominici et dudum amisse reddita est continuo sanitati. Nec mirum si labia sanat corporis cuius labiis sepe curate sunt pestes mentis.

De quodam a graui languore curato.

115 (98). Sed et iuuenis quidam nomine Cyminionis, per quattuor annos et amplius graui languore detentus ita ut capillis elapsis a capite et sanie defluente grauissime passionis preferret indicia, beati Dominici meritis potitus est beneficio sospitatis. Cum enim iuuari non posset a medicis inuocato beato Dominico a longo breuiter liberatus est morbo.

De quodam liberato ab arista inherente gutturi eius.

116 (99). Quidam Cambrius nomine de batitoribus apud Pragatuli dum purgaret aream ingressam in guttur atque inherentem reicere non ualebat aristam. Octo denique diebus graui gutturis dolore grauatus, per dies quatuor increscente grauamine nec cibum sumpsit nec sermonem emisit. Cumque sibi medicine remedio subueniri non posset ad inuocationem beati Dominici statim redditus est saluti.

De quodam curato a letali infirmitate.

117 (100). Alius quoque, nomine Marsilius de sua uita desperans, febre continua et graui pectoris dolore uexatus et quasi iam in extrema uite sue regula constitutus, beato se commendans Dominico statim conualuit admirantibus cunctis pre subitatione insperate salutis.

De digito arefacto restituto cuidam mulieri.

118 (101). Quedam mulier nomine Ultramontana usum digiti uiginti annis amissum, incurabiliter siquidem arefactus fuerat et contractus, sancti Dominici deuota inuocatione statim recepit.

De quodam rupto in inguine curato.

119 (102). Rafanellus quidam nomine ruptus in inguine, descendentibus quoque in uirilia intestinis uehementer afflictus, inuocato beato Dominico fuit continuo liberatus.

De eodem in quodam puero similiter curato.

120 (103). Ante translationem autem corporis beati Dominici quidam puer nomine Petriciolus rupturam passus in inguine annis duobus defluentia in ocream intestina gestabat cumque nulla posset medicorum ope curari, matre eius inuocante beatum Dominicum, preter spem diu desperatam recuperauit salutem.

De muliere curata a scrofulis et glandulis et uesicis.

121 (104). Quedam mulier Alda nomine quinque annis habens scrofulas et glandulas sub ascella, uesicas etiam circa mamillas in dextro latere, fetida ualde sanie defluente, graui admodum affligebatur dolore ita ut nec etiam super dextrum latus posset iacere. Hanc quoque ad inuocationem beati Dominici Ihesu Christi pietas continuo liberauit.

De scolari quodam a letali infirmitate liberato.

122 (105). Scolaris quidam nomine Guilielmus de Castro Vauri diocesis tolosane, studens Bononie, duplici tertiana grauiter cruciatus, cum iam incurreret desperationem suis de recuperande remedio sanitatis, is ad ecclesiam Sancti Nicholai ueniens super lapidem superpositum sepulcro beati Dominici iacuit perceptaque continuo sanitate surrexit.

De muliere curata a quodam morbe qui ficus dicitur.

123 (106). Quedam mulier nomine Bonafilia nasi et superioris labii tumore non mediocriter grauabatur. Obortus siquidem morbus qui ficus dicitur sic labium illius et nasum inflauerat quod ad modum oui galline ori eius grossities imminebat ac fetorem horribilem exalabat. Hoc malum igitur perpessa biennio nec unquam proficiens medicorum auxilio beatum Dominicum precibus adiit et diu desideratam salutem protinus impetrauit.

De puero de uita desperato curato.

124 (107). Puer quidam Iohannes nomine grauissima per tres dies discubuit infirmitate. Cumque iam euidenter apparerent mortis indicia, omnes etiam medicine artis periti de eius desperarent uita, mater autem eius beatum Dominicum petiit et ab ipsis mortis ianuis reuocatum et incolumem filium mox recepit.

De muliere curata ab infirmitate omnium membrorum.

125 (108). Mulier nomine Cortesina graui per annum et dimidium et amplius infirmitate confracta omnium fere menbrorum erat officio destituta et inutilis prorsus effecta ita ut non posset quippiam operis exercere. Inuocatione autem facta ad beatum Dominicum liberata continuo uires corporis recuperauit et usum.

De puero a portis mortis reducto.

126 (109). Quidam puer nomine Heyricus per octo dies et amplius grauissima egrotatione decumbens nec loqui iam poterat nec cibum aut potum sumere preualebat totumque corpus eius letali iam pene frigore congelatum uicine mortis euidens preferebat indicium. Cunctis igitur de salute eius desperantibus inuocatur beatus Dominicus et subito rediit salus.

De eodem miraculo in alio puero.

127 (110). Alius quoque puer nomine Petrinus per quindecim dies et amplius grauissime infirmitatis molestiis occupatus miserabiliter intuentium molestabat aspectus. Ab umbilico siquidem inferius grandi tumore inflatus suique impotens erat effectus ita ut nec ire posset aut stare uel aliquatenus se iuuare, nec erat quisquam qui eum cerneret qui non ipsum quasi unum ex mortuis reputaret. Facto autem uoto ad beatum Dominicum contra spem omnium adeptus est celerem sanitatis effectum.

Item idem miraculum in alio puero.

128 (111). Nec silenda est pueri Radulfi mira curatio ad eius gloriam qui ex ore infantium et lactentium perficere nouit laudem ut destruat inimicum sue perfidie defensorem. Languens siquidem per tres septimanas et amplius dictus puer ad portas mortis euidenter et secundum rationem inferioris nature irreuocabiliter appropinquabat. Denique diebus octo nec cibum sumere poterat nec mamillam sugebat eratque iam illud corpusculum summa confectum macie, naturali quoque calore adeo destitutum ut nemo esset qui ipsum ad uitam presentem confideret rediturum. Facto autem pro eius salute a parentibus uoto ad beatum Dominicum inuenerunt eum protinus liberatum.

De muliere a dolore dentium liberata.

129 (112). Adiciendum et hoc laudibus uiri sancti ad conterendas molas obloquentis iniqui. Mulier quedam Gisla nomine apud Ymolam graui dentium urgebatur dolore itaque uehementissimi cruciatus aculeis agitata nec quiescere poterat nec sompnum oculis capiebat sed uelut furiosa continuis clamoribus ululabat. Facto autem ad beatum Dominicum uoto incolumitatem obtinuit in momento.

De quodam a letali apostemate curato.

130 (113). Illud quoque nulla obliuione delendum quod Andulfus nomine de Mazanello in se ipso expertus est patratum miraculum. Periculosa namque admodum apostematis per mensem et amplius inflatione grauatus ab omnibus uidentibus iudicabatur mali illius grauamine moriturus, erat enim apostema illud preturgidum in parte interiori dextri lateris sub ascella, nec uidebatur ulla ei ulla posse succurrere medicina. At ubi facto uoto inuocatus est beatus Dominicus statim sanitatis effectrix affuit dei uirtus. Nam protinus ulcus detumuit et is de cuius uita desperabatur homo sanus euasit.

De duobus pueris mutis a natiuitate curatis.

131 (114). Scribatur et hoc in generatione altera ut populus qui creabitur laudet dominum in Dominico seruo suo et nichilominus Dominicum laudibus attollat in domino qui aperit os mutorum et linguas infantium facit disertas. Duo namque pueri cuiusdam Alberti de Casinato filii muti a natiuitate permanserunt etatis quidem alter supra quintum et dimidium, alter uero supra tertium et dimidium agens annum. Facto autem uoto pater eorum inuocauit beatum Dominicum

et statim utrique datum est diuinitus expedite locutionis officium et uetus absoluit silentium nouum uerbum.

De loquela restituta Berte puelle.

132 (115). Huc accedat et Berte puelle diu quidem perdita sed mira celeritate restituta loquela. Huius enim lingua trans guttur bouis cornupete percussione discissa muti oris inutiliter occupabat claustra coactoque pressa silentio nulla formare poterat prorsus uerba. Inuocato autem beato Dominico fecit uotum et integritatem lingue pariter recuperauit et usum.

De lumine restituto mulieri cuidam.

133 (116). Nec sane pretereundum sanctitatis habundans quidem et euidens argumentum quod beati Dominici meritis non tantumomodo salus egris, gressus claudis, loquela mutis, sed etiam lumen cecis redditur et surdis auditus. Nam quedam mulier Druda nomine oculorum priuata lumine per tres annos et amplius subtracti sustinuit dampna uisus nec ullius potuit medicaminis exhibitione iuuari. Inuocato autem beato Dominico uotum fecit et statim lumen oculorum recepit.

De auditu restituto cuidam mulieri.

134 (117). Quedam autem puella Gilborga nomine surditatem incurrerat ita quod per mensem et amplius nichil prorsus intelligere poterat uel audire. Clamans ergo eius mater ad beatum Dominicum exaudiri meruit et auditum filie impetrauit.

De audito restituto cuidam alteri mulieri.

135 (118). Similiter quedam mulier nomine Riochaldina de Serra diocesis ymolensis per annum et amplius tante surditatis sustinebat incommoda ut nichil auditu perciperet nisi quis super eam auribus eius fortiter inclamaret. Inuocatus igitur ab ea beatus Dominicus clamosis precibus aures prebuit et auditum surdis auribus restaurauit.

De curatione cuiusdam fratris minoris qui prius detraxerat beato Dominico. ***

136 (119). Producendum et hoc in medium quod assertione fratris Nicholai ueronensis de ordine fratrum minorum per eundem etiam scripto demandata compertum est. Nam cum sero quodam, fratre Iacobino de Mantua beatum Dominicum commendante, ipse eum econtrario uerbis stomachantibus despexisset, eodem sero febris eum arripuit quem et uexauit grauissime tota nocte. Ad quem uisitandum cum supradictus frater accederet eique diceret Vide frater ne quia despexisti sanctum Dominicum hoc tibi contigerit, non solum culpam preteritam non agnouit sed indignans potius ad uerba iterum contumeliosa prorupit. Sequenti uero die, cum febris uiolentia non cessaret sed grauius conualesceret in augmentum, hora none cum uehementius estuaret ad se compunctus rediens secum dixit Vere uereor quod hoc idcirco mihi accidit quia in sanctum dei Dominicum blasphemaui ; uoueo igitur deo et sibi quod si me liberauerit usque ad uesperas nunquam de eo mali aliquid dicam de cetero sed dicentibus contradicam. Mirum in modum uix uerba finierat et ab ipsa febre se sensit continue penitus liberatum.

In Sicilia de muliere que beatum Dominicum blasphemauit. ***

137 (120). Ad hoc accedit quod in Sicilia apud Augustam per fratres tunc temporis ibidem manentes contigisse probatum est. In festo namque translationis beati Dominici, cum matrone quedam que in ecclesia fratrum missarum interfuere sollempniis domum redirent, inuenerunt mulierem quandam domus sue sedentem pre foribus et filantem. Quam cum uerbis caritatiuis arguerent quare in festo tanti patris a seruili opere non cessasset, illa protinus indignanti animo et turbata facie dixit eis Vos que estis bizoce fratrum eius festa colite sancti uestri. Statimque oculi ipsius in tumorem cum pruritu conuersi sunt, et ex ipsis ceperunt uermes protinus scaturire ita quod uicina quedam quam ad se perterrita conuocauit .xviii. uermes eduxit ex eius oculis in instanti. Quapropter contrita spiritu ad ecclesiam beati Dominici cum eiulatu cucurrit, ante cuius ianuam se prosternens et peccata sua confitens cuidam fratri, facto uoto quod de cetero sancto dei Dominico nunquam detraheret et festa eius deuotissime custodiret, continuo tumor cum pruritu disparuit et in eius oculis uermes amplius non fuerunt.

De quadam puella a uitio lapidis mirabiliter liberata. ***

138 (121). In eadem ciuitate deuote cuiusdam matrone filia uitio lapidis longo tempore grauiter laborauit. Nullo autem medicine consilio suffragante solum sibi supererat remedium incisure. Cum igitur dies esset statuta qua puellam oportebat incidi mater timens periculum filie precedenti die ad ecclesiam beati Dominici perrexit, orationi se contulit suamque filiam deo et sancto suo Dominico uoto quo potuit commendauit. Sequenti ergo nocte dormienti puelle beatus Dominicus astitit, in manu eius quo torquebatur lapidem posuit et abscessit. Quem puella euigilans et se liberatam inueniens matri dedit et uisionem per ordinem explicauit. Mater uero cum ingenti letitia lapidem ad fratres attulit, rem gestam coram multis exposuit. Quem fratres in ecclesia coram imagine beati Dominici in futuram memoriam tam stupendi miraculi suspenderunt.

139 (122). Multa quidem et alia tam in uita gloriosissimi patris huius quam post obitum perpetrata innotuere miracula que stili non sunt officio designata, hec autem breuiter annotata sunt ad astructionem sanctitatis ipsius, ad edificationem fidelium, ad laudem quoque et gloriam eius qui facit mirabilia magna solus. Qui trinus et unus deus uiuit et regnat per infinita secula seculorum, amen.

Explicit legenda beati Dominici confessoris.

HUMBERT DE ROMANS
LÉGENDE MAJEURE (extraits)
(977-981)

HUMBERTI DE ROMANIS *Legendae sancti Dominici, MOPH* 30, Romae, Institutum historicum ordinis fratrum prædicatorum, 2008, p. 451-532.

5. Qualiter in fronte eius apparuit stella.

(...) Ipse enim quasi stella matutina fulsit in mundo uisaque est cum eo noua lux quedam oriri seculo cuius claritas iam diffusa est ubique terrarum. (...)

13. Qualiter oxomensis episcopus instituit monasterium de Pruliano.

(...) ubi ancille Christi sub clausura perpetua, sub obseruantiis mirabilibus, sub arto silentio, manibus laborantes, in puritate conscientiarum creatori suo iocundum exhibent famulatum. Que cum numero et merito creuerint in inmensum odorem suum longe lateque diffundentes multas deo deuotas ad imitationem sui sanctam feminas prouocarunt ad similia cenobia construenda.

18. Quod pro redemptione proximorum uendere uoluit seipsum.

Clarificatur enim in hoc pater ut discipuli non solum fructum sed et fructum plurimum afferant, et uult ut serui sui pecuniam sibi traditam cum multo reportent fenore usurarum. Et ideo reuocat interdum a bonis minoribus quos dotauit donis celestibus ad maiora.

33. De uisione .vii. stellarum que apparuit cuidam magistro in theologia.

Cum apud Tholosam in theologia regeret magister quidam genere, scientia et fama preclarus quodam mane ante diem dum suas lectiones preuideret oppressus graui sompno caput suum in cathedra paululum reclinauit et dormire cepit. Visumque est eidem eadem hora quod sibi septem stelle presentarentur. Qui dum de nouitate talis exenii plurimum miraretur, subito in lumine et quantitate tantum excreuerunt quod totam patriam et mundum illuminauerunt. Qui statim a sompno excitatus ortum diei percepit et uocatis seruientibus qui libros suos deferrent scolas intrauit. Et ecce beatus Dominicus cum sex sociis eiusdem habitus ad antedictum magistrum humiliter accesserunt intimantes eidem quod fratres essent qui euangelium dei in partibus tolosanis contra infideles et fidelibus predicarent, significantes eidem quod scolas suas uenerant frequentare et lectiones audire auidis cordibus cuperent et optarent. Dictus uero magister multo tempore dictos septem fratres familiares et deuotos habuit et scolares instruxit. Recolens autem uisionem quam paulo ante uiderat beatum Dominicum et socios suos quos stellas lucidas interpretatus est, quos immenso lumine fame et scientie uidit subito clarescere, summa est ueneratione prosecutus, grandi etiam est iugiter extunc dilectionis affectu amplexatus. Hoc autem retulit idem magister fratri Arnulpho de Bethunia et socio eius cum essent in Anglia in curia regis.

50. Qualiter preuidit occasum comitis Montis Fortis.

Nec silendum quoque est qualiter uirum dei occasus excellentis uiri Symonis comitis Montis Fortis specialis amici et familiaris sui, qui pro negociis fidei que strenue agebat in partibus tolosanis ibidem mortuus est, per uisionis misterium diuina sibi reuelante uirtute non latuit priusquam fratres dispergeret de Tolosa.

51. Qualiter preuidit conuersionem fratris Conradi et suis orationibus ipsum mirabiliter conuertit.

Narrauit quoque predictus episcopus quod cum beatus Dominicus ipsum rogaret ut huiusmodi factum secretum haberet dum uiueret, et ipse episcopus responderet quod fortassis prius quam ipse moreretur, respondit beatus Dominicus quod sciret † ipse post eum se † superuicturum, quod et postmodum rei demonstrauit euentus, cum multo plus quam per .xx. annos post beatum Dominicum ipse uixerit.

57. De translatione sacrosancti corporis eius et mirabili odoris fragrantia.

Sic reuera prudenter et suauiter sapientia disposuit redemptoris ut illius corpus emortuum corporum cederet in medelam cuius nimirum uiuentis lingua felix animarum languentium salutaris extiterat medicina, et illius caro sanctissima digne in opinione mortalium uenerabilis haberetur propter coruscantia beneficia sanitatum que per uirginitatis gloriam illibatam germana fuerat angelorum. Quid denique mirum si uirtutes spirituales retinuerunt pulueres illius corporis quod tamdiu largitor uirtutum omnium inhabitauit spiritus dei ?

109. De puero quodam liberato a scrophulis.

Apud Placiam in Sicilia mulier quedam pauper habuit filium qui grauiter affligebatur infirmitate quadam scrophularum quas in collo solent habere pueri. Cum autern super hoc nullum posset remedium inuenire accessit ad ecclesiam fratrum cui uicina erat et uidens fratres laborantes in opere ecclesie fecit uotum beato Dominico et dixit quod faceret gratis in opere ecclesie fratrum filium suum laborare si ei sanitatem apud dominum impetraret. Sequenti autem nocte apparuit ei in sompnis quidam in habita fratris et dixit ei, Mulier cognoscis huiusmodi res ?, nominans ei .iiii. genera rerum, scilicet es uiride et pilatrum et lapacium et succum porri. Et dixit mulier, Cognosco. Tunc ille Vade inquit et accipe hec et conficias ea cum succo porri et pone ea super bambacium et impone collo filii tui et sanabitur. Euigilans autem mulier iuit mane ad apothecam et fecit ut ei dictum fuerat et sanatus est filius eius. Et adducens eum ad fratres fecit eum iuxta uotum gratis in ecclesia fratrum laborare.

THIERRY D'APOLDA
VIE, MORT ET MIRACLES DE SAINT DOMINIQUE (extraits)
(p. 986-998)

THEODORICUS DE APPOLDIA, *Acta ampliora, Acta Sanctorum mensis augustus*, tomus I, Antverpiæ : Apud Jacobum Antonium Van Gherwen, 1733 (mandat de Munio de Zamora p. 371 ; lettre de Thierry d'Apolda au maître de l'ordre Nicolas Boccasino, p. 371-372 ; *Vie de Dominique*, p. 562- 632).

Mandat de Muño de Zamora, le 13 avril (entre 1286 et 1291)

Dilecto sibi in Christo Fratri Theodrico de Appoldia, domus Erfordiensis provinciæ Theutoniæ, Frater Munio Magister Ordinis licet indignus, salutem & augmentum continuum cælestium gratiarum. In remissionem peccatorum & in augmentum nihilominus meritorum vobis injungo, quatenus dictandi Legendam sancti Dominici patris nostri secundum datam vobis gratiam, de qua gero fiduciam in Domino pleniorem, meritum subeatis, ut non in vacuum gratiam Dei videamini accepisse ; hæc inter alias diligentius attendens, ut sit veritate firmissima, integritate completa, gratiosa decore. Volo autem, quod Prior vester, qui pro tempore fuerit, vobis adsit consiliis, auxiliis & solatiis, consolationibus optimis. Valete et orate pro me.

Datum in Urbe veteri Idibus Aprilis.

Lettre de Thierry d'Apolda au maître de l'ordre Nicolas Boccasino (entre 1296 et 1298)

Patri filiorum amabili, <magistro> Nicolao Fratrum Ordinis Prædicatorum venerabili, Frater Theodricus de Theutoniæ provincia per prosperitatem provincialium meritorum pertingere ad æternorum præmia. Libellum, quem de patre divino Dominico & Ordine ab ipso instituto compositum sibi deferri vestra dignatio imperavit, in abjectis cedulis ac vilibus petiis primum jam senex conscripsi, propriis manibus, oculisque caligantibus, & compegi ; de cujus materia ipsius libelli proœmium vos instruet & docebit. Reperto igitur ex chronicis tempore, qui Sancti hujus parentes exstiterunt, ea quæ circa ortum & progressum & exitum vitæ ipsius gesta sunt, secundum decursum temporis disponere curavi ; ita tamen quod propter convenientiam materiæ, postmodum quæ acta sunt, præposui, & quæ ante, postposui subjungendo.

Legi sanctorum Patrum Bernardi & Francisci Vitas, cum multa integritate editas, elegantique stylo compositas, insigni sinceraque devotione probatas, nostrique eximii Patris præfulgentem et prælucidam valde dissimiliter scriptam Vitam. Cupiens igitur, statum Ordinis nostri plenaria certitudine non carere, posterisque nobilitatem aucti generis intimare, paternæ sanctitatis ingenuitatem, prout potui, verbis simplicibus designavi. Multa de verbo ad verbum, sicut in exemplaribus reperi, posui ; quandoque tamen propter consequentiam aliquid immutavi. Cumque ex iis, quæ ad manum habebam, exemplaribus, omnia consummassem, allata sunt mihi ad petitionem meam quædam scripta, quæ & pretio comparavi, propter quæ opus præteritum, ut illa insererem, penitus dissipavi : erant enim illa magnæ auctoritatis, utpote dicta testium juratorum, quæ Papa Gregorius nonus approbavit, magnorumque meritorum & exemplorum sanctitatis præcipue expressiva. Prævenit præterea me littera venerabilis patris nostri Fratris Munionis, tunc Magistri Ordinis, mihi istum laborem injungens & studium pro peccatis.

Non ut volui, nec ut debui, feci tamen quod potui, ut videtis. Verum vos, reverendissime Pater, quod vestrum est, manum peritam apponite, & de hac informi materia opus, sicut scitis, perficite gloriosum. Decreveram certe huic opere superaddendo, immutendo, ornando, ordinando, ulteriorem diligentiam adhibere, si facultas expensarum, & opportunitas temporum adfuisset ; quibus deficientibus, destiti, &, ut aspicitis, dereliqui. Verumtamen quamdiu vivo, iis laborem impendere, si requiritur, non recuso. Ignosce, obsecro, mihi in nomine Jesu Christi : expavi & dolui primum, quod ad aures vestras mea imperitia pertingere debuit, nec credidi, hoc futurum. Spiritus Dei sanctus spiritum vestrum dirigat, & infundat, ut sanctitatis, in hoc libello descriptæ, devotus æmulator, et exsecutor efficax, et in Ordine, vestro regimini commisso, fidelis inveniamini consolator.

Légende de saint Dominique

Prologus primus

1. Multifarie multisque modis olim Deus electos ad aeternum invitans convivium, novissime istis diebus, id est hora undecima, misit servum suum dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia. (...)

Hujus Ordinis primus institutor & pater inclytus exstitit beatus Dominicus, cujus vitam virtutibus plenam, Deoque gratissimam, obitum quoque, & ex parte miracula, et Ordinis ipsius, in occiduis mundi partibus & occasu temporis orientis, exordium rudi quidem, sed veraci stylo perstringere operæ pretium est, opitulante gratia Jesu Christi.

3. Sciendum, quod venerabilis pater noster beatus Jordanus, secundus nostri Ordinis Magister, successor sancti Dominici dignissimus, libellum de initio Ordinis composuit, in quo primorum Patrum & Fratrum sanctorum gesta gloriosa & mirabilia opera conscripsit, ne in oblivionem venirent Patres tam excellentes, eorumque exempla tam eximiæ sanctitatis : de quo libello prima sancti Dominici Legenda conscripta est. Postea de mandato beati Johannis episcopi, qui quartus a sancto Dominico Magister exstitit, Frater Constantinus secundam Legendam edidit, multa insignia superaddens. Sanctus Pater succedens Humbertus, Magister Ordinis quintus, ex prædictis tertiam conflans Legendam, multis superadditis non modicum ampliavit ; qui etiam librum, qui Vitas Fratrum dicitur, sua devotione & diligentia compilavit.

4. Tandem dilectus Pater noster, Frater Conradus [*éd. AASS* : Gerardus], Prior provincialis Theutoniæ, rediens de generali Capitulo, in Luca celebrato, detulit quædam præclara gesta sancti Dominici de Bononia, quæ ex ore Sororis Cæciliæ Romanæ, quam beatus Dominicus ad Ordinem receperat, conscripta sunt ; quæ sicut vidit & audivit, plena fide sincerissime enarravit, quæ usque ad annum Domini millesimum ducentesimum nonagesimum religiosissimam & sanctissimam vitam duxit. Praeterea dicta illustrium virorum, videlicet novem Fratrum, quorum testimonia credibilia nimis, auctoritate domini Gregorii noni approbata, etiam aliis præferenda, Patris nostri eximiam prædicant sanctitatem. Accedunt ad hæc revelationes Sanctorum, quæ spernendæ non sunt, relationesque veterum fidelissimæ, & omni credulitate dignissimæ, per quas et Prædicatorum Ordinis auctoritas, ac Fundatoris ejusdem inclyta merita declarantur.

5. Ex iis omnibus præsentis opusculi materia sumpta, in unum libellum conscripta est fideliter & compacta, cui auctoritatem præstat gestorum veritas, sine qua nulla valet auctoritas. Quis vero prædictis Patribus auctoritatem audeat derogare, quorum hic sententiæ et plerumque verba de verbo posita sunt. Distinctus est autem hic libellus in octo particulas, & subdistinctus

per capitula, ut, quod quærit quis, facilius inveniat, & legendo distincta amplius delectetur. Est autem ex hoc libellus iste prolixior, quod gesta magistri Reynaldi & obitum ejus, & quorumdam aliorum Patrum, & quæ ad commendationem Ordinis spectant, plenius inserta continet et adscripta.

6. Fateor, quod hæc omnia ornatius & ordinatius exprimi poterant & conscribi ; sed concedendum est mihi, quia in iis compingendis nullus mihi affuit, nec propter hunc laborem aliquid, quod regularis observantia exigit, intermisi ; feci autem hanc ex diversis collectam compositionem, ut cum quanta gloria & religione Prædicatorum institutus sit Ordo, & sanctorum Patrum eumdem fundantium eximia devotio & praeclara discretio posteris innotescat. Nec volo, quod Legendæ vocabulo censeatur, sed libellus de Vita & obitu et miraculis sancti Dominici, & de Ordine, quem instituit, nominetur. Pleraque, sicut in prænominatis exemplaribus reperi, de verbo ad verbum hic posui, pauca propter continuationem immutans & prolationis decorem. Oro autem & desidero, ut ad utilitatem sint legentium, cupioque, ut omnis pius lector & devotus auditor attento studio hæc corrigat et emendet.

Prologus secundus

7. Caritas de corde puro & conscientia bona, et fide non ficta, quæ finis præcepti est ; & per occultam inspirationem a Deo Sanctis infunditur, interiorem hominem penetrando sanctificans, ac in eorum cordibus per Spiritum sanctum diffunditur, mentis vires irrorando fœcundans, atque ad utilitatem Ecclesiæ in electorum virtutibus se manifestans effunditur, prout ille unus atque idem omnium artifex vult Spiritus, qui omnia in omnibus operatur. Hujus operatione Artificis divinissima expolitus et perfectus famulus ejus sacer Dominicus in ædificationem corporis Christi, & in opus Evangelii destinatus est inter eos, quos Apostolus ad consummationem Sanctorum datos pastores & doctores enumerat, non infimus computandus : quos enim mellifluis erudivit sermonibus, hos & gratissimis pavit beneficiis, & sanctissimis roboravit exemplis ; cujus sanctitatis præclara præconia, vitæ perfectissimæ merita eximia, signa varia nec non miracula innumera, a diversis multifarie conscripta, præcelsi quidem Praedicatoris laudes personant, nec tamen ad plenum exprimunt, quod intendunt. Impossibile namque est cuilibet spiritualem hominis spiritualis describere vitam, nisi Spiritus vitæ mentem irradians et loquens mysteria, moveat linguam ejus.

8. Quis ergo describet Vitam Dominici, nisi in spiritu Dominici, adjutus per Spiritum Domini ? Nempe erat hic ex iis, qui Spiritu Dei aguntur, filiis, habens spiritum adoptionis filiorum, in quo adorans Patrem postulat pro nobis gemitibus, id est desideriis, inenarrabilibus, clamans fiducialiter : Abba pater. Vere non erat in spiritu ejus dolus, cui primitias & pignus Spiritus habenti testimonium fidele reddebat conscientia sua in Spiritu sancto, quod filius Dei esset. Statuens igitur servire Deo in Spiritu suo, in Euangelio Filii ejus, perfectionis evangelicæ & institutionis Apostolicæ adamavit regulam, quærens eam sponsam assumere, ut ex ea spirituales filios procrearet. Nec fraudatus est desiderio suo : ecce enim jam sterilis euangelica perfectio peperit plurimo, & multi filii desertæ religionis Apostolicæ, magis quam ejus, quæ habet firmamentum temporalis substantiæ : sterilis namque peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est.

9. Infirmata est prorsus opulenta Religio, peperitque plurimos sterilis paupertatis professio. Hujus matris Patrisque nos vere sumus filii, si maternæ paupertatis amatores fieri, & paternæ sanctitatis imitatores studuerimus effici : sicut enim fidem & justitiam sectantes Abrahæ, ejus

solummodo æstimantur filii, ita pietatem matris nostræ Religionis, Patrisque nostri sanctitatem conversationis imitantes, filii merebimur appellari. Imitatione omnino erimus filii carissimi, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulamus, ne spiritualia prædicantes, & carnaliter viventes, efficiamur ab hereditate paterna reprobi, & velut infatuatum sal despectionis pedibus conculcati. Filiis igitur, sicut ille ambulavit, ambulare volentibus ejus vestigia præscripta sunt, ut & manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt, & nobis monstretus via justitiæ, & innotescant semitæ æquitatis, per quas ab hereditatis paternae patriam procedamus, ipso comite & præduce, qui hunc Justum deduxit per vias rectas et mirabiles, ostendens illi gloriam regni sui, qui est via ducens, veritas lucens, & vita indeficiens, Jesus Christus dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in secula seculorum. Amen.

Caput I

10. In nomine Patris, & Filii, et Spiritus sancti. Dominicus humilis servus Jesu Christi, segregatus in Euangelium Dei, sobrie & pie et juste conversatus, dignus factus in partem sortis Sanctorum in lumine, vere est lux mundi ; qui velut stella matutina in medio nebulae coruscus apparens, innocentiæ, pudicitiæ, verecundiæ, simplicitatisque radiis omnes a se puerilis stultitiæ, lascivientis adolescentiæ, petulantisque concupiscentiæ tenebras elongavit. Hic studiis sapientiæ, operibus misericordiæ, perfectioneque Religionis Canonicæ, ut lux splendens, procedens sicut luna plena in diebus suis, se & proximos illustravit, et tamquam sol oriens ad perfectum excrescens diem in altissimis Dei donis, Prædicatorum Ordinem erexit, qui rutilans in virtute sua, per omnia prospexit, opaca illuminans, sterilia fœcundans, frigida calefaciens, & tepida reaccendens. Nunc a claritate in claritatem transfiguratus a Domini spiritu gloriosus effulget in patria, qui in hac peregrinatione admirabilis refulsit in gratia, naturalisque nativitatis ortu humiliter fulsit ex Hispania. Tempus, quo hujus splendidissimi sideris radios super filios terræ Dominus consurgere fecit, sequentia declarabunt.

11. Præsidente Romæ in Sede sancti Petri magno patre domino Alexandro tertio, ac Friderico imperatore hujus nominis primo per orbem rempublicam gubernante, in Hispaniæ partibus villa, quæ dicitur Calaroga, Oxomensis diœcesis, anno Dominicæ Incarnationis MCLXX fuit vir unus, qui vocabatur Felix, & accepit uxorem, nomine Johannam : qui secundum statum seculi satis quidem erant honesti, et ante Deum Christiana pietate devoti ; qui divinæ dispensationis munere præventi, benedictionem in fœcunditate prolis sanctissimæ meruerunt : genuit enim Johanna Dei gratia suo Felici duos filios, qui litteris instructi & probabiliter conversati, gradum sacerdotii conscenderunt. Horum unus in hospitali quodam obsequiis pauperum se dedicans, humilitatis gratia & misericordiæ operibus, aliisque virtutibus in vita sua clarus exstitit, et, ut fertur, post obitum miraculis coruscavit ; alter vero relinquens seculum ad Religionem transiit, in qua multo tempore Domino laudabiliter serviens, vir sanctus et contemplativus beato fine quievit. Tales itaque fructus terra bona profert, quorum unus exhibendo misericordiam, gratiam redolet ; alius contemplando veritatem, felicitatem perpetuam prægustat.

12. Adjecit autem adhuc Dominus, magnificans misericordiam suam cum illis : nempe excellentioris gratiæ filium paritura mater, priusquam conciperet, visione futuri partus indicativa a Domino cælitus præventa est : vidit enim se gestare catulum in utero, qui ardentem in ore faculam bajulabat ; egressus autem ex utero totum mundum ignibus de ore suo procedentibus incendebat. Post hæc visitabat Johannam Dei gratia, & inebrians partus sui fructum, germinare eam fecit, mutliplicans genimina ejus sacra. Impletum est tandem pariendi tempus, & peperit

filium, fratrum decus & matris gaudium, exultantis in Domino, quia prævisum præsagio intuetur & continet in gremio. Cathezizatus ex more infantulus sacerdotali benedictione sanctificatur, unctioneque salutari chrismatis consignatur. Baptizatur in nomine Patris, & Filii, et Spiritus sancti, & nutu ejus, cui Dominus nomen est, Dominicus appellatur. Matri quoque ejus spirituali, feminæ nobili cuidam, sacer infans Dominicus per visum apparuit, stellam præfulgidam habens in fronte, cujus splendore nimio totius mundi facies illuminata radiabat.

13. Attendite nunc infantulum gloriosum. Generatur a patre Felice ; parturitur, nutritur, fovetur a Johanna Dei gratia matre ; renascitur, & Dominico nomine insignitur gratiæ alumnus, divinitatis cupidus, æternæque felicitatis heres futurus. Nondum natus signo veraci præostenditur, renatus nomine reali attollitur, facieque corusca splendore stellæ demonstratur. Flammescit ignis in facula tam copiosus, quo totus mundus ardeat ; fit nomine tam gloriosus, ut adversarios terreat ; luce tam radiosus, ut peccatis tenebrosos illuminet, & inter astra cæli luceat, fervore caritatis igneus, famosa auctoritate solidus, luce scientiæ radiatus. Sed & in ortu suo hic Infans beatissimus præclari, cujus futurus erat pater & princeps, Ordinis forma & signifer exstitit et propheta : nam prædicatio succendens cor peccatoris ad pœnitentiam, ardens catuli facula est ; auctoritas reconcilians in gratiam, potentiæ nomen est ; doctrinæ claritas ad sapientiam ducens, fulgor stellæ est. Errat valde, qui non credit, hæc futura ab aeterno disposita, & sic in hoc tempore cælitus praesignata.

JEAN DE MAILLY
ABRÉGÉ DES ACTIONS
ET MIRACLES DES SAINTS (extrait)
(p. 1005-1016)

JEAN DE MAILLY, *Abbreviatio in gestis et miraculis sanctorum*, ed. Giovanni Paolo Maggioni, Firenze : Sismel – Edizioni del Galluzzo, 2013, p. 288-294.

Beatus Dominicus primus pater ordinis predicatorum ex Hyspania in uilla que dicitur Calaroga Oxomensis dyocesis oriundus fuit. Huius mater antequam ipsum conciperet uidit in sompniis quod de utero suo quidam catulus exiret qui faculam ardentem in ore baiulans totum mundum incendere uideretur. In quo significabatur qualis futurus esset, scilicet egregius predicator qui ignito uerbo predicationis frigescentem in multis caritatem accenderet et oportuno latratu lupos a gregibus arcens dormientes in uiciis ad uirtutum uigilantiam excitaret. Sed et cuidam matrone que eum de baptismo leuauit uisum est in sompniis de ipso quod quasi stellam in fronte gestabat que totam terram suo lumine perlustrabat. Cum ergo pater eius Felix nomine et mater Iohanna puerum religiose nutritum ecclesiastici officii litteris imbui studiose fecissent et ipse post artes liberales in theologia quatuor annos pene semper uigilans uel super terram sicut ab infantia consueuerat dormiens studiosissime peregisset, fame in Hyspania preualente cum studeret apud Pallenciam quidquid habebat in libris et utensilibus uendidit ut fame morientibus subueniret. Huius ergo famam Didacus Oxomensis episcopus audiens fecit eum in ecclesia sua canonicum regularem. Ipsi quoque canonici uirtutum eius excellentiam admirantes licet inuitum sibi constituunt subpriorem. Ipse autem factus omnibus uite speculum religionis exemplum inter alia uirtutum dona specialiter hoc habebat, ut pro miseris et afflictis et animarum pereuntium zelo fleret. Et crebro in oratione pernoctans hoc a domino frequenter petebat, ut daretur ei gratiam qua saluti pereuntium subueniret. Inter hec rogatu regis illius Castelle predictus Didacus episcopus ad Marchias iuit cum sancto Dominico ut filii regis et cuiusdam nobilis puelle matrimonium procuraret. Et cum peruenissent Tolosam sanctus Dominicus quendam hereticum hospitem suum conuertit ad fidem. Cumque redissent ad regem et assensum puelle cum gaudio nuntiarent, rursus cum maiori apparatu ab eodem rege missus Marchias adiit, sed puellam defunctam inuenit. Vnde remisso ad regem nuntio, ipse cum clericis suis Romam petiit ut pontificatum cederet et Comanorum gentem ad fidem conuertere laboraret. Sed cum cessionem impetrare non posset per Cistercium rediens assumpto habitu monachali cum aliquibus monachis in Hyspaniam properare uoluit. Sed in terra Albigensium legatum Innocentii pape cum magno concilio archiepiscoporum et episcoporum et XII abbatum cisterciensis ordinis inuenit. A quibus honorifice suscipitur et quid fieri pro defensione fidei debeat consulitur et ad consilium eius tota pompa in equis et uestibus et uaria suppellectili, assumpta euangelica paupertate deponitur ut fidem Christi uerbis et operibus demonstrarent et sic animas quas heretici falsa uirtutis specie deludebant ad ueritatem fidei reuocarent. Ipse autem primus hoc fecit et retento secum fratre Dominico cum paucis clericis strenue per totam terram illam pedites discurrere et uerbo et opere predicare ceperunt. Sed hoc uidentes et inuidentes heretici et ipsi in contrarium predicando importunius restiterunt. Nam cum inter alios conflictus esset indicta disputatio et heretici et fideles libellos assertionis in inuicem conscripsissent, statuto die presente populo liber beati Dominici pre ceteris comprobatus et liber cuiusdam heretici proferuntur et post longam

controuersiam iubentibus arbitris uterque libellus examinandus in ignem mittitur. Sed libro heretici mox consumpto, liber beati Dominici secundo et tertio flammis iniectus et semper prosiliens incombustus ostendit cuius ueritas et sanctitas certior haberetur. Cum ergo predictus episcopus ad fidem plurimos attraxisset et ad susceptionem uirginum quas parentes pauperes hereticis nutriendas et erudiendas tradebant monasterium construxisset, post biennium in Hyspaniam redire decreuit ut ad necessaria predicti monasterii feminarum pecuniam colligeret et de consensu pape aliquos ad officium predicationis ydoneos ordinaret. Sed cum per Castellam transiens decessisset audito eius obitu ceteri qui Tolose causa predicandi remanserant ad propria redierunt et solus frater Dominicus cum paucis sibi sine uoto alicuius professionis adherentibus constanter in predicatione steterunt. At uero heretici uirum sanctum multipliciter deridebant, et conspuentes in eum et lutum proicientes et a tergo ei pro derisu paleas alligantes. Cum minarentur ei mortem et ille penitus nil timeret, « Quid », inquunt, « fecisses si te in illis et in illis insidiis cepissemus? ». « Rogarem uos », ait, «ne me breui et leui morte occideretis, sed paulatim et successiue membra singula mutilantes et ipsos tandem oculos eruentes semiuiuum et truncum corpus permitteretis in suo sanguinem uolutari uel prorsus ad libitum necaretis ». Ad hec heretici stupefacti ultra eum persequi destiterunt.

Ipse autem tanta caritate et misericordia plenus erat quod se ipsum uenumdare uoluit ut quendam qui pro paupertate hereticus factus erat conuerteret, sicut et in patria sua pro fratre cuiusdam femine se uendendum obtulit ut illum a paganis captiuum redimeret. Totam etiam quadragesimam cum socio suo in pane et aqua transegit et super nudas tabulas ligneas semper in cilicio modicum somnium cepit. Mansit autem sic beatus Dominicus apud Tolosam annis decem et tunc cum Tolosano episcopo qui eum tenerrime diligebat propter generale concilium iuit Romam et rogauit papam Innocentium tertium quatenus ordinem qui predicatorum diceretur et esset fratri Dominico eiusque sequacibus confirmaret.Tunc papa hortatus est fratrem Dominicum ad fratres suos redire et de communi eorum consensu regulam aliquam iam approbatam eligere et sic ad curiam rediret et que petierat impetraret. Finito concilio reuersus beatus Dominicus uerbum pape fratribus patefecit et statim regulam beati Augustini concorditer elegerunt et quasdam sibi arctioris uite consuetudines in uictu et uestitu insuper addiderunt. Defuncto interea papa Innocentio tertio Honorius sublimatur et accedens ad eum beatus Dominicus quicquid petierat confirmatur anno domini MCCXVI.

Bis sex centenus sextus decimus fuit annus
cum sub Dominico cepit qui predicat ordo.

Sequenti anno moriente Symone comite Montis Fortis sicut beato Dominico uisum fuit sciens uir sanctus quod semina dispersa fructificant congesta putrescunt, noluit fratres de cetero simul esse, sed conuocatis fratribus dixit se uelle omnes fratres licet adhuc paucissimos per diuersa spargere regiones eligens eis fratrem Matheum in abbatem cuius arbitrio ceteri regerentur ; ipse autem causa predicationis pergeret ad gentiles. Iste frater Matheus primus abbas et nouissimus in hoc ordine fuit, quia placuit fratribus ut humilitatis gratia qui toti preesset ordini non abbas, sed magister ordinis diceretur. Ceteri uero inferiores prelati priorum uel subpriorum uocabulo censerentur. Ex hiis fratribus quidam in Hyspaniam, quidam autem Parisius, quidam uero Bononiam perrexerunt et in multa angustia paupertatis cum uirtute dei multiplicati sunt.

Ipse autem frater Dominicus Romam petiit. Vbi cum esset magister Reginaldus sancti Aniani Aurelianensis decanus, uir magne scientie et uirtutis qui etiam in iure canonico rexerat Parisius quinque annis cum episcopo Aurelianensi mare transiturus Romam deuenit. Qui iam

inspirante domino proponebat ut relictis omnibus predicationi uacaret, sed quomodo ad melius ageret nesciebat. Super hoc ergo cum quodam cardinali familiariter colloquens suum ei propositum reuelauit. Tunc ille : « Eu », inquit, « nouus ordo predicatorum exoritur qui secundum quod appetis et predicationis officium et paupertatem uoluntariam profitetur. Magister quoque ipsius ordinis in hac Romana urbe predicans demoratur ». Statim magister Reginaldus fratrem Dominicum accersiri fecit et cogitationem suam ei ostendens illectus uerbis et uultu beati Dominici ex tunc ordinis ipsius deliberauit ingressum. Sed mox graui morbo corripitur ita quod deficiente natura a medicis desperatur. Cum autem pro ipso beatus Dominicus instantissime domino supplicaret ipsi magistro Reginaldo uigilanti et uehementi ardore febrium estuanti beata uirgo uisibiliter cum duabus pulcherrimis puellis apparuit dicens : « Pete a me quid uis et dabo tibi. » Deliberanti uero quid peteretur, una ex illis puellis suggessit ei ne quid peteret nisi quod regina miseriordie dare uellet. Posuit ergo totum in electione beate uirginis ut sibi daret quid uellet. Tunc illa extensa manu egrotantis oculos, aures et nares, os quoque et manus, renes et pedes salutari quam secum detulerat unctione perunxit. Et ad renes quidem dicebat : « Stringantur renes tui cingulo castitatis ». Ad pedes autem : « Vngo pedes tuos in preparatione euangelii pacis ». Et cum dixisset : « Die tertia mittam tibi ampullam restitutionis plene sanitatis », ostendens ei habitum ordinis predicatorum : « Ecce », inquit, « hic est habitus ordinis tui ». Mane facto uenienti ad se beato Dominico et querenti qualiter se haberet, « Sanus », inquit, « sum ». Et cum uir dei de sanitate anime intelligeret et ille de sanitate corporis replicaret, narrata per ordinem uisione, ambo deo gratias reddiderunt et medici de subita salute illius mirati sunt, cuius uitam nullatenus sperauerunt. Die autem tertio sedente beato Dominico cum magistro Reginaldo erat cum eis quidam religiosus de ordine hospitalariorum qui uidit a parte beatam uirginem uenientem et totum corpus magistri Reginaldi manu propria perungentem. Illa uero celestis unctio sic carnem predicti magistri non solum ab estu febrium, sed etiam ab ardore concupiscentie temperauit; quod sicut ipse postea confessus est, nec primus in eo motus libidinis de cetero pullulauit. Statim beato Dominico professionem faciens ad instantiam Aurelianensis episcopi cum licentia beati Dominici transfretauit ; et reuersus Bononiam plurimos predicando conuertit et inde Parisius ueniens in breui uitam istam finiuit.

Sanctus autem Dominicus cum esset Rome adolescentem consanguineum domini Stephani cardinalis equo lapsum et mortuum suscitauit et iter faciens signo crucis obiecto multis secum gradientibus pluuiam propulsauit. Et cum esset in Hyspania uisum est ei quod quidam maximus draco fratres illos qui secum erant apertis faucibus absorbebat; et sic intellexit uir sanctus quod grauis temptatio dyaboli fratribus imminebat. Quod cum illis dixisset et dyabolo resistere fortiter monuisset, omnes preter tres a sancto Dominico recesserunt. Sed cum uir sanctus pro illis incessanter orasset, paulo post fere omnes inspirante domino redierunt. Cum autem beatus Dominicus fratres adhuc paucos et modicum litteratos ad predicandum dispergeret et eos orando protegeret, quidam sacerdos uidens sanctum Dominicum cum fratribus postpositis omnibus predicationi feruenter insistere, illos pie emulans cum illis esse prorsus uoluit si saltem nouum testamentum haberet. Et ecce quidam ei uenalem obtulit librum talem; et statim empto libro hesitare cepit utrum quod facere cogitabat exequi expediret. Vnde uisum est ei ut responsum a domino flagitaret. Facta ergo prece librum signans aperuit et mox occurrit ei quod in actibus apostolorum beato Petro de Cornelii nuntiis spiritus sanctus dixit: 'Surge descende uade cum eis nichil dubitans, quia ego misi illos'. Et statim sacerdos relicto seculo secutus est eos.

Quidam etiam Rome legatus Portuensis episcopus ordinis cisterciensis monachus Bononiam uenit; et cum honore susceptus a fratribus cogitare cepit quid sibi uellet ista noua et inaudita religio et an esset ex hominibus an ex deo. Sedenti igitur ad altare oblatum sibi missalem

in nomine domini cum signo crucis aperuit et in superiori primi folii parte legit: 'Laudare, benedicere et predicare'. Quo tamquam celesti responso cum gaudio certificatus toto corde ordinem dilexit et se fratrum orationibus commendauit. Nec tamen hoc dicimus ut per hoc diuinos et sortilegos approbemus. Nam aliud est futurorum certitudinem arte dyabolica diuinando presumere, aliud in ambigibus humano deficiente consilio diuinum orando fideliter oraculum expectare. Sancti etenim patres in necessitate frequenter dominum consulebant, unde et Iudei semper signa petebant.

Denique beatus Dominicus post uniuersas uirtutes in quibus se magis mirabilem quam imitabilem exhibebat, in fine uite sue apud Bononiam grauiter egrotauit. Et conuocatis fratribus per uirginitatem quam deus in eo seruauerat se eis posuit in exemplum, summopere monens omnes ut suspecta cauerent consortia et colloquia omnium feminarum, maxime iuuencularum. Fecit etiam fratribus non terre nec pecunie, sed celestis gratie testamentum, ut scilicet caritatem haberent, humilitatem seruarent, paupertatem uoluntariam possiderent, districte prohibens ne quis in hoc ordine possessiones temporales induceret, maledictionem dei et suam terribiliter imprecans ei qui ordinem paupertatis diuitiarum puluere macularet. Eius autem exequiis uenerabilis Hostiensis episcopus tunc Romane sedis in Lombardia legatus, postmodum uero papa Gregorius, qui sanctitatem eius nouerat et amabat, interfuit; sanctum corpus eius in ecclesia fratrum Predicatorum Bononie, quorum primus pater extiterat, honorifice sepeliuit anno domini millesimo ducentesimo uicesimo.

Eadem die eademque hora mortis eius frater Walla prior Brixie eiusdem ordinis, postmodum autem eiusdem ciuitatis episcopus, cum sub campanili fratrum in Brixia se dormiendo paululum reclinasset, uidit celum apertum et duas candidissimas scalas ad terram submitti. Quarum unam desuper tenebat dominus et alteram mater eius et angeli lucis ascendebant et descendebant per eas; et inter utramque scalam sedes posita erat in imo, et supra sedem sedens; et qui sedebat similis erat fratri habenti faciem uelatam capucio, sicut in ordine moris est fratres mortuos sepeliri. Trahentibus autem scalas paulatim domino et matre eius, trahebatur pariter et sedes cum sedente donec psallentibus angelis celo illatus est. Euigilans frater ille statim uenit Bononiam et inuenit eandem diem et horam fuisse qua sancta anima beati Dominici migrauit a corpore.

Post autem obitum quoque sancti Dominici deus per eum miracula multa fecit. Quorum quidem plurima indiscreta quorundam humilitas occultauit, plura uero per negligentiam aboleuit, multa tamen conscripta sunt et diligenter discussa et coram papa Gregorio fideliter approbata. Nam cum uirtutum et miraculorum numerositate non posset ultra beati Dominici sanctitas occultari, placuit deuotioni fidelium corpus eius adhuc humi depositum ad altiorem locum reuerenter transferri. Effracto igitur ferreis instrumentis cemento durissimo et sublato lapide, tumulo patefacto, tantus ex ipso subito suauissimus erupit odor ut cuncta superaret aromata. Nec solum ossibus aut pulueri sacri corporis uel capse inerat, sed etiam fratrum manibus horum quippe qui tangentium adherebat. Qua in re pensandum est quam immensis in celo deliciis perfruatur spiritus cuius tanta suauitate redolet adhuc in puluere iacens corpus. Translatus est beatus Dominicus anno domini MCCXXXIII.

BARTHÉLEMY DE TRENTE
LIVRE DE RÉSUMÉS SUR LA VIE DES SAINTS
(extraits)
(p. 1019-1033)

BARTOLOMEO DA TRENTO, *Liber epilogorum in gesta sanctorum,* ed. Emore PAOLI, Firenze : Sismel, Edizioni del Galluzzo, 2001, p. 128-129 ; 209-215.

DE TRANSLATIONE SANCTI DOMINICI. Translationem sancti Dominici, qui ordinem predicatorum instituit, cui ipse interfui, fideliter cupio elucidare.

Anno Christi MCCXXXIII, indictione VI, Bononie ad capitulum generale multi fratres dicti Ordinis cum pie memorie magistro ordinis Iordano, sancti Dominici successore, convenerunt. Crebrescebant tunc in ecclesia, ubi sacratum eius corpus satis humiliter erat reconditum, miracula et devotio populorum exuberabat. Vocatus est Ravennas archiepiscopus et alii episcopi quamplures, inter quos dominus Wilihelmus, tunc Mutinensis post autem Sabinensis cardinalis episcopus, vir quasi Thomas miraculorum incredulus, qui tamen postea, sicut ipse audivi, testimonium perhibuit veritati. Hiis ex parte domini Gregorii fuit iniunctum ut glebam sacri corporis honestius collocarent ; iacuerat enim annis fere duodecim altius terre suffossum et sepius pluvie et nivi monumentum patebat. Nono igitur kalendas Iunii, que tunc tertia feria post Pentecosten erat, propter nimiam multitudinem populorum nocte pontifices cum fratribus aliquibus et aliis devotis conveniunt, ut sibi iniuncta exequantur. Instrumentis ferreis vix grandem lapidem superpositum elevant et inveniunt cementum fortissimum, quod cum difficultate eiecerunt ; demum capsam ligneam inveniunt. Cuius operculum removentes, tantam suavitatem odoris omnes persenserunt ac si apotheca paradisi eructuasset. Erat autem odor ille aliis odoribus fragrantia dissimilis et, ut liquido dominici eloquii predicatorem Dominicum pateret in agro Ecclesie Christi bonum odorem fuisse, videbatur odor agri pleni, cui Deus benedixit. Et merito : nam viola pollebat humilitatis, liliis virginitatis albescebat, vernabat rosa patientie in ipso ; botrum iocunde predicationis in calice sui regis expresserat, salutaris unguenti apotheca extiterat et bone fame balsamum ac nitorem conscientie servaverat illibatum. Hoc etiam erat mirabile, quia non solum sacris membris aut aliis rebus eis proximis odor imminebat, verum sive manu sive pannis ossa tangerentur, odor diutius in hiis remanebat.

Mane populorum frequentia cum summa devotione accelerat, chorus voce altissona 'Accipite iocundidatem glorie vestre' intonat et cum gaudio divina peraguntur. Denique, consurgunt miracula que coram summo pontifice fuerunt fidelissime comprobata ; que et post vitam beati viri suo loco scribentur.

DE SANCTO DOMINICO ORDINIS FRATRUM PREDICATORUM. Dominicus, qui Domini custos vel a Domino custoditus ethimologizatur, vel quia precepta Domini custodivit, vel quia Dominus custodivit eum ab inimicis, a vico Calaroga dyocesis Oxomensis provincia Yspanie, patre Felice, matre Iohanna editus, ante suam prefiguratus est nativitatem. Vidit enim se mater sua catulum gestare in utero, qui egressus faculam ore gestabat, ex qua totum mundum succendere videbatur ; nam eloquium eius sicut facula ardebat, sicut postea patuit manifeste. Bone erat indolis et, in cunis posito, examen apum circa os volitabat infantis, et matrone que eum de baptismo levaverat, ostensus est stellam habens in fronte.

In puerili etate ab avunculo suo archipresbytero ecclesiasticis officiis imbuitur ; deinde Palentiam mittitur, ubi liberalibus studiis eruditur. Fame grandi ingruente, libros suos vendens, pauperes pavit et multos ad idem induxit. Non se cum ludentibus miscuit, carnem suam immaculatam servavit, decem annis a vino abstinuit, in lapide vel super terram sepe solitus fuit dormire. Ecclesias libentissime visitabat, divina devotissime audiebat, theologiam audiens eam opere adimplebat.

Didachus igitur Oxomensis episcopus eum in sua ecclesia canonicum fecit sub regula Augustini ; qui, inter fratres post pauca proficiens, eis prelatus efficitur. Post hec rogatu Aldefonsi regis Castelle episcopus cum beato Dominico pro coniugio filii sui Ferrandi proficiscuntur. Apud Tholosam hospitantur in itinere, in qua tunc heresis valde pullulabat, et sanctus Dominicus hospitem suum convertit.

Post hec Romam veniunt ; abinde redeuntes visitant Cistercium, ubi episcopus Oxomensis assumpsit habitum. Deinde Tolosam veniunt, ubi tunc, legato Romane ecclesie cum multis prelatis concilium celebrante contra hereticos, de consilio dicti episcopi Didachi et sancti Dominici omnes pompas superfluas abiciunt et in paupertate pauperem Christum predicabant.

Heretici e contra se muniunt ac libellos contrarios fidei scribunt. Apud Fanum Iovis fit sollempnis disputatio sub iudicibus constitutis, et dum nimia esset verborum altercatio, libellus unus approbatus ab hereticis et libellus alius a sancto Dominico compositus approbatus a catholicis hinc inde examinantur. Sed cum veniret in dubium iudicibus quem libellum approbarent, placuit ut examine ignis comprobarentur : liber heretici mox consumitur, liber Dominici, ter igni iniectus, ter prosiliit illesus ipsius et scientiam et sanctitatem et fidei approbans puritatem.

Dum igitur multi pre inopia filias suas in partibus illis hereticis alendas traderent, Didachus apud Privilianum monasterium instituit ancillis Christi, et Tolose excidium predicens, apud Castellam obiit et multis claruit miraculis.

Beatus vero Dominicus Tolose remansit, ubi ab hereticis multa perpessus, in tantum martyrium sitiebat, ut desideraret membratim disrumpi pro zelo fidei. Caritate in tantum fervebat, ut se ipsum proximorum necessitate vendere sepius esset paratus. Per totam Quadragesimam cilicio indutus in pane et aqua ieiunavit, ut vera parsimonia vinceret hereticos, qui falsa parsimonia multos seducebant.

Adheserunt tunc quidam viro Dei, inter quod frater Petrus de Sela et frater Thomas viri gratiosi. Episcopus Tolosanus Fulco, sanctum Dominicum diligens, sibi et suis redditus bonos dedit et insuper de consensu capituli sextam partem omnium decimarum totius dyocesis sue.

Rome tunc ab Innocentio III generale celebratur concilium ; ad quod cum dicto episcopo sanctus Dominicus perrexit et Ordinem qui fratrum Predicatorum diceretur et esset impetravit. Assumpta ergo sancti Augustini regula, [*la virgule est ici certainement mal placée*] de consilio fratrum Tolose ecclesiam sancti Romani anno Christi MCCXVI fratres sex decem sunt ingressi.

Obitum comitis Montis Fortis sanctus previdit Dominicus, arbore sibi perpulchra in visu apparente, in qua multitudo avium quiescebat, sed succisa corruit et aves disperguntur. Dispersit igitur et ipse paucos quos habuit fratres et multi appositi sunt ad eos.

Honorius itaque papa Ordinem confirmavit et ne pusillus grex timore quateretur, miraculis et revelationibus Deus eos cepit consolari. Nam quidam, qui frater Dominicus simplex dicebatur, a quadam illecebrose temptatus inter duos rogos accensos et vicinos se proicit et nil lesus miseram convertit.

Pater bonus Dominicus multis etiam cepit miraculis clarere. Nam, Romam eundo, signo crucis a se et fratre Bertrando pluviam in circuitu inundantem depulit, ut nec gutta eos contingeret.

Fratrem Reginaldum, decanum Sancti Aniani Aurelianensis, a desperata infirmitate sanctus Dominicus per illam, que vite medicinam mundo attulit, orando liberari impetravit. Visibiliter enim mater misericordie, duabus pulcherrimis comitata puellis, egrotanti apparuit, dicens : « Pete a me quod vis et dabo tibi. » Deliberanti ne [*nous corrigons ici la ponctuation de l'édition*] quid forte indiscrete peteret, una ex domicellis suggessit ut se totum Domine nostre committeret voluntati. Quod dum fecit, regina celi manu virginea oculos, aures et nares, os, manus, renes et pedes saluberrima quadam unctione perunxit, hiis utens verbis : « Strigantur renes tui cingulo castitatis, et ungo pedes tuos in preparationem evangelii pacis » : addiditque : « Die tertia mittam tibi ampullam restitutionis plene sanitatis ». Statimque habitum ordinis, quo nunc fratres Predicatores utuntur, ei ostendit, dicens : « Ecce habitus ordinis tui ». Hanc visionem liberatus illico sancto patri retulit et habitum prout viderat assumpsit ; nam ante superpelliciis utebantur. Die tertia sollicita suorum mater Dei affuit et totum corpus Reginaldi regina angelorum perunxit et non solum ardorem febrium, verum etiam motus libidinum in eo prorsus extinxit. Hic postea Bononie, Parisius et alibi Iesu Christo plurimos attraxit et post pauca in pace quievit.

Claruit eisdem temporibus sanctus Franciscus, qui ordinem fratrum Minorum instituit, et tanta caritate huic sanctus Dominicus fuit coniunctus, ut idem velle et idem nolle esset utrique ; dilatantur ergo sub hiis patribus duo ordines.

Nec invidi hostis versutia defuit, quin decipulam poneret pedibus multorum. Sanctus nempe Dominicus, dum esset in Yspania, vidit in visione draconem immanissimum fratres, qui secum venerant, absorbere. Unde factum est ut, exceptis tribus, omnes alii abscederent ; quos, dum sanctis persuasionibus retinere non valuit, orando reduxit. Sic et cuiusdam delicati novitii ad seculum redire volentis oratione ardenti vestes incendit, ut ignem temptationis extingueret in eodem. Conversum, qui sine licentia et benedictione potum sumpserat, a demone qui eum invaserat liberavit.

Ludibria demonum sepe ipse pertulit : nam aliquando post completorium diutius oranti in specie fratris demon apparuit. Cui dum ex compassione diceret : « Vade, dormi », ille insultans : « Fregisti silentium » inquit. In refectorio aliquando demones de mensa ad mensam salientes et dicentes repetendo intellexit aut plus, aut minus.

Duorum fratrum [*nous avons corrigé ici le texte de l'édition*] mortem in anima, qui ordinem exierunt, duorum in corpore in eadem ebdomada predixit. Duos mortuos suscitavit Rome : nepotem domini Stephani cardinalis de Fossanova, qui in equo lasciviens et corruens expiraverat, sicut a suis parentibus in Campania ego ipse audivi ; alterum operarium, quem apud Sanctum Sixtum moles monticuli oppresserat, orando similiter a morte revocavit.

Fratribus in mensa dum panis deesset, patre sancto orante adveniunt duo iuvenes omnibus ignoti albissimos panes apportantes, et conventui capita inclinantes ; ultra non comparuerunt : id a fratre qui intererat intellexi

Denique patris huius opus inchoatum Deo beneplacitum esse, non solum suis, sed et aliis est demonstratum. Quidam enim sacerdos ordinem istius intrare proponens, dum nullam aliam dilationem quereret nisi quod Novum emeret Testamentum, subito quidam affuit et ei vendidit quod optabat ; quo empto, mox venit in ambiguum quod prius fuit peroptatum. Ex ipso ergo libro a Deo querit oraculum et facta cruce librum orando aperit et in prima apertione invenit verba Domini dicentis ad Petrum de nuntiis Cornelii : « Surge, descende et vade cum eis nil esitans, quia ego misi illos ». Certus igitur factus, adiunctus est sancto.

Dominus etiam Chunradus Portuensis episcopus, cui in dubium venerat utrum hic ordo a Deo esset an ex hominibus, oravit a Deo certificari, et aperto missali in prima linea legit : ' Laudare, benedicere et predicare ' ; unde, omni ambiguitate exiliata, devotissimus Ordini deinceps extitit.

Sic et dominus Wilihelmus, tunc Mutinensis, nunc autem Sabinensis cardinalis episcopus, mores sancti Dominici sedule explorans, se in confratrem ordinis ab eo petiit recipi. Cui sanctus pater annuens, eidem tamquam patri ordinis negotia recommisit : quod idem episcopus ferventer observat usque in hodiernum diem.

Denique, venerabilis vir Dominicus, plus de divina gratia quam humana sapientia presumens, fratres quos ad predicandum emittebat sedulis orationum suffragiis prosequebatur. Quantum autem oratio iusti valeat loco omnium duos introducam. Hii pro Deo incarceratam visitarunt. Quorum illa iuvenilem elegantiam intuens, hesitare cepit vix tales aut horum similes immaculatos ab hoc seculo posse custodiri. Anxiatur pro talibus et devote oranti astitit regina, merentium consolatrix, protectrix suorum, virgo Maria, et inenarrabile pallium, quo circumamicta videbatur, coram anxia expandens, pro quibus erat sollicita iuxta se astantes ostendit dicens : « Ne sis pro hiis anxia aut horum similibus, quia mei sunt et michi eos servabo ». Merito tanta spe fulciti clamant assidue : « Vita, dulcedo et spes nostra, salve ! ».

Hiis ergo et multis aliis copiis virtutum in se et in filiis beatus pater effulgens, cupiebat dissolvi et esse cum Christo. Qui, ad annum Christi MCCXXI Bononie constitutus, dissolutionem sui corporis novit imminere ; vidit enim iuvenem pulcherrimum hiis verbis se vocantem : « Veni, dilecte mi ; veni ad gaudia, veni ». Convocatis itaque duodecim fratribus, spondet securrime se post mortem corporis utiliorem ordini fore, quam in vita, Virginitatem sui corporis eis in exemplo relinquens, caritatis, humilitatis et voluntarie paupertatis condens testamentum, intravit in gaudium domini sui.

Venerabilis autem pater dominus Hugolinus, tunc Hostiensis episcopus et apostolice sedis legatus, postea vero nonus papa Gregorius, eum in ecclesia Sancti Nicolai, que nunc suo nomine intitulatur, inter duo altaria sepelivit.

Hora sui exitus frater Guala pie memorie, tunc prior fratrum Predicatorum Brixie, postmodum autem episcopus eiusdem civitatis, in campanili ecclesie fratrum, capite ad murum inclinato et levi sompno occupatus, vidit celum aperiri et duas scalas candidas ad terras submitti, quarum summitates Iesus cum matre sua virgine tenebat, et angeli per eas iubilando ascendebant et descendebant. In medio scalarum, in ymo posita, erat sedes et super eam sedens frater velato capite ; Iesus autem et Maria scalas sursum trahebant, et psallentibus angelis sedenti in celum elevato, apertura clausa est, que antea videbatur. Expavit is qui viderat et pandens ea fratribus Bononiam festinat et visionis ac transitus eandem horam invenit. Hoc ipsum episcopum in festo Dominici, Bononie, coram omnibus in nona lectione devote legentem audivi ; hoc, cum michi Dei et sui gratia esset familiarissimus, coram multis protestantem sepius intellexi.

Frater Rao michi narravit quod Rome in ecclesia Sancti Sixti, cuius festum imminebat, missam ea hora celebrabat, et dum in canone ubi vivorum memoria agitur more solito pii patris devotam memoriam habere proponeret, vidit ipsum reverendo collegio associatum et corona adornatum glorie per amenissimam incedere viam et, licet eum tunc transisse nescierit, horam tamen notans, reperit sanctum eadem hora transisse. Unde, de hac visione idem frater antiphonam composuit, quam in dicti Sancti Sixti domo ex ore eius audivi.

Alter adolescens michi familiaris Bononie tunc existens in secreto veritate fidei retulit invocata se quidem obitum sancti novisse sed sepulturam prorsus ignorasse. In visione igitur noctis vidit sanctum Dominicum in throno glorioso inter duo altaria sedentem, sacerdotalibus

indumentis gloriossissime adornatum. Cui dum diceret : « Mi domine, nunc mortuus non estis ? », respondit : « Fili, non sum mortuus, quia bonum habeo Dominum, cum quo vivo in eternum ». Mane is qui viderat, dum ecclesiam intrat, in eodem loco sepultum reperit, ubi eum viderat sedentem.

Crebrescebant ibidem miracula, sed quorundam fratrum insulsa simplicitas ymagines cereas ob curationum vota illuc delatas frangebat, dicentes sub sanctitatis specie cupiditatis vitium subrepere posse. Verum Dominus ad tempus talia sustinuit ; sed dum de translatione eius, quam supra memini, ageretur et canonizatione, tanta eruperunt miracula ut celari non possent.

E quibus probata et approbata quedam breviter tangam : Nicolaus Anglicus, sicut ipse vidi, a gravi et multiplici paralisi curatus, coram nobis omnibus astantibus tanquam cervus prosilit letus et gaudens. Alios etiam paraliticos diversimode infirmos diversimode curatos probatum est. Apostemata incurabilia quatuor probata et approbata, et multa alia eius meritis Christus curavit ; allophitium apostematicum similiter eum curasse probatum est. Prefocatum arista in gutture, quatuor diebus nec cibo nec loquela potito, invocato Dominici nomine, et sanatum cognovimus. Febricitantes plurimos, votis ad eum emissis, Iesus Christus meritis servi sui Dominici liberavit. Corruptos in intestinis plures suis meritis Iesus Christus redintegravit. Tres desperatos et morti proximos, sicut probatum et approbatum est, vite restituit et sanitati. Puerum pro mortuo a cunctis habitum per plures dies, voto ad sanctum Dominicum facto, restituit vite presenti. Mutorum quatuor et multorum aliorum linguas absolvit, cecis visum restituit, surdis auditum.

Multa quidem et alia signa et miracula Iesus Christus per hunc sanctum servum suum Dominicum fecit, que longum esset enarrare ; ista autem ad fidelium edificationem et sancti viri commendationem sufficiant, quia sine dubio plura sunt sanctitatis eius indicia quam narrentur.

JACQUES DE VORAGINE
LÉGENDE DORÉE (extrait)
(p. 1038-1039)

IACOPO DA VARAZZE, *Legenda aurea*. Edizione critica a cura di Giovanni Paolo Maggioni, 2 vol., Firenze : Sismel-Edizionidel Galluzo, 1998, p. 718.

DE NOMINE. Dominicus dicitur quasi domini custos uel a domino custoditus. Vel dicitur Dominicus quantum ad ethimologiam huius nominis, quod est dominus. Dicitur autem custos domini tribus modis, scilicet custos honoris domini quo ad deum, custos uinee domini uel gregis domini quo ad proximum, custos uoluntatis domini siue preceptorum domini quo ad se ipsum. Secundo dicitur Dominicus quasi a domino custoditus ; dominus enim custodiuit ipsum quantum ad triplicem statum suum, in quorum primo fuit laicus, in secundo regularis canonicus, in tertio uir apostolicus. Nam in primo eum custodiuit faciendo ipsum laudabiliter incipere, in secundo feruenter proficere, in tertio perfectionem apprehendere. Tertio potest dici Dominicus per ethimologiam huius nominis, dominus ; dominus namque dicitur quasi donans minas uel donans munus uel donans minus. Sic beatus Dominicus fuit donans, id est condonans, minas per iniuriarum dimissionem, donans munus per libertatis largitionem, quia non solum sua pauperibus tribuit, sed etiam se ipsum pluries uendere uoluit ; donans minus per corporis macerationem, quia corpori suo semper minus dabat quam appetebat.

RODRIGUE DE CERRATO
VIES DES SAINTS (EXTRAITS)
(p. 1043-1045)

Annalium ordinis prædicatorum, auctoribus Thoma Maria Mamachio, Francisco Maria Pollidorio, Vincentio Maria Badetto et Hermanno Dominico Christianopulo, Romæ : Ex typographia Palladis, 1756, p. 312-334.

RODRIGO DE CERRATO, *Vida de santo Domingo de Guzman*, dans : Venancio Diego CARRO, *Domingo de Guman. Historia documentada*, Madrid : Editorial OPE, 1973, p. 775-801 (l'édition du P. Carro, que nous suivons, est corrigée grâce à l'édition précédente).

2. Fuit autem pater eius uir uenerabilis et diues in proprio suo. Mater uero honesta, pudica, prudens, miseris et afflictis ualde compaciens, et inter omnes mulieres terre illius bone fame prerogatiua refulgens.

4. Mater enim eius ualde misericors, nam quodam tempore forsitan iam predicto, cum uir uenerabilis Felix, pater beati Dominici <...>, mater ipsius, uidens afflictorum afflictiones, multis datis de rebus suis, dolium quodam illo loco notissimum, quod habebat plenum uino, distribuens pauperibus erogauit. Redeunti igitur uiro et Calerogam apropiquanti exierunt obuiam uicini sui, ex quibus quidam suaserunt ei de uino pauperibus erogato [*édition Carro* : arogato]. Ueniens igitur domum dixit uxori sue, uicinis presentibus, ut de uino predicti dolii faceret ministrari. At illa, timens confusionem non modicam, intrauit illico cellarium ubi erat dolium predictum, et flexis genibus, rogauit Dominum dicens : Domine Ihesu Christe, etsi non digna exaudiri propter merita mea, exaudi me propter famulum tuum, filium meum, quem tuis obsequiis mancipaui. Nouerat enim mater filii sanctitatem [*édition Carro* : sanitatem], et surgens plena fide, statim iuit ad dolium, et inuenit eum optimo uino plenum. Que, gracias agens graciarum omnium largitori, fecit de illo uino uiro suo et aliis largissime propinari. Et mirati sunt universi.

50. Cum auditum esset in Hyspania quod canonizatus esset beatus Dominicus, frater Mames, germanus ipsius, uenit Carologam, et predicans populo induxit eos ut in loco illo ubi natus fuerat beatus Dominicus ecclesiam hedificarent, addiditque : « facite nunc ecclesiam paruulam [*édition Carro* : peruulam], quia ampliabitur cum placuerit fratri meo ». Quod cum libenti animo suscepissent, et de domo in qua natus fuerat uir Dei Dominicus certi essent, sed locum penitus ignorarent, nutu Dei apertum est cacumen tocius tecti et, tota domus compluta pluuiis, locus ille in quo natus fuerat beatus Dominicus siccus totaliter remanebat. Quod cum aliqui prudenter aduerterent ut certius hoc probarent, haurientes aquam de fonte que ibi prope ecclesiam perhemnis oritur super predictum loculum proiecerunt, mira res, aqua ex urceo effussa huc illucque circumquaque diffugiens locum illum siccum totaliter relinquebat. Gaudentes igitur ecclesiam ibidem iuxta uerbum uiri paruulam construxerunt, et illo in loco ubi natum fuisse beatum Dominicum diuinitus nouerant pro signo lapidem posuerunt ; de loco terra assumpta, ad diuersas mundi partes delata, diuersis languoribus remedium fit salutis. Quod uero uir uenerabilis frater Mames spiritu prophetie predixit, ecclesiam illam paruulam ampliandam paruulam (*sic*) nunc in presenciarum cernimus esse completum, quia dominus Alfonsus, illustrissimus rex Castelle et Legionis, fecit [*édition Carro* : facit] ibi fieri monasterium iuxta magnificenciam principalem, ubi religiose femine nostri ordinis Domino famulantur. Erat autem ille frater Mames

predicator feruidus, honestus moribus, mitis, humilis, ylaris et benignus. Obiit autem in monasterio sancti Petri de Gomiel et in ecclesia honorifice est sepultus.

57. Sacerdos quidam dum cantaret missam ad altare beati Dominici in Sumlu [*nous rétablissons ici le texte que l'édition Carro n'a pas retenu*], eleuato corpore Christi et a populo adorato, signare [*édition Carro* : figurare] uolens illud super illo loco Panem sanctum uite eterne, corpus abesse uidit. Qui stupefactus clericos circumstantes uocauit et malum quod ei acciderat indicauit. Quibus in cassum gementibus supprior illius loci uocatus uenit et corpus domini querens et non inueniens, uertens se ad populum, ait : « Corpus Christi quod modo adorastis, uel propter peccata uestra uel sacerdotis non comparet ». Quo audito fleuerunt multum. Sacerdos uero confessus est predicto suppriori. Cui subprior ait : « Flectere et ora deum et hoc indicio scies peccata tua ese dimissa si aparuerit corpus Christi. » Quo facto corpus domini apparuit, propter quod fratres et populus laudes cum letitia Domino reddiderunt.

BERNARD GUI
MIROIR DES SAINTS (extraits)
(p. 1050-1051)

Bernardi Guidonis scripta de sancto Dominico, ed. Simon Tugwell, MOPH XXVII, Romae : Apud Institutum historicum ordinis fratrum prædicatorum, 1998, p. 253, 292.

32. Defuncto interea Innocentio papa, Honorius post eum in honorem apostolicum sublimatur. Ad quem accedens seruus dei Dominicus confirmationem ordinis et quicquid a predecessore eius Innocentio postulauerat ad uotum plenissime impetrauit. Fuit igitur confirmatus ordo predicatorum eidem sancto Dominico et fratribus suis, regularem uitam professis in perpetuum, per eundem Honorium papam III Rome, pontificatus sui anno primo, in crastino sancti Thome apostoli, uidelicet XI° kalendas ianuarii dominice incarnationis anno M°CC°XVI°, sicut liquet in litera confirmationis eiusdem que sub bulla in conuentu Tholosano habetur et seruatur. Deferebant autem tunc temporis sanctus Dominicus et eius socii superpellicium sicut canonici regulares quod postmodum fuit pro scapulari albo reuelatione ostensa diuinitus permutatum.

108. Tempore uenerabilis patris fratris Iohannis de Vercellis magistri ordinis fratrum predicatorum corpus beati Dominici fuit translatum secunda uice de tumulo marmoreo, in quo in prima eius translatione fuerat collocatum, fuitque transpositum in capsam pretiosam candidi marmoris super columpnas eleuatam, quam uocant archam sancti Dominici, sub anno dominici M°CC°LXIIII°. Tunc uero frater Franciscus de Esculo ciuitate socius prefati magistri ordinis dentem unum beati Dominici clam accepit, quem postea de ipsius magistri licentia dedit et posuit in conuentu fratrum predicatorum de Esculo pro reliquiis uenerandis. Ubi ad contactum ipsius dentis meritis sancti Dominici multa miracula sunt patrata, ex quibus unum duximus subnectendum.

PIERRE CALO
LÉGENDIER (extraits)
(p. 1056-1059)

Petri Calo legendae sancti Dominici, éd. Simon Tugwell *MOPH* 26, Roma : Apud Institutum Historicum Ordinis Fratrum Prædicatorum, 1997, p. 221-296.

49. Apud Regium in prouincia Lombardie domina quedam, uxor cuiusdam ciuis honorabilis, desolata non modicum sterilitate diutina, beato Dominico pro obtinendo filio se deuouit. Post dies paucos exaudita est eius oratio et intercessoris sui meritis conceptum peperit filium. Qui cum ad etatem annorum duodecim peruenisset, infirmitate grauatus defunctus est. Tunc mater eius tristis effecta nimium beati Dominici merita fideliter inuocauit, ut qui eum impetrauerat nasci mortuo quoque uitam similiter impetraret, uouens quod si uite eum restituere dignaretur annuatim in uita ipsius in festo ipsius eum duceret ad domum fratrum predicatorum et ad pondus corporis eius ad altare ipsius frumentum offerret. Voto facto corpus defuncti filii ad altare beati Dominici deferri fecit, ubi in multorum presentia beatum Dominicum fideliter inuocans, eius meritis quod postulabat obtinuit. Nam post modicam horam cunctis uidentibus puer qui mortuus fuerat aperuit oculos et surrexit, dans deo et beato Dominico gloriam, cuius oratione uite et incolumitati fuerat restitutus.

50. Mulier quedam apud Bononiam lauabat pannos in flumine Reni. Filiam autem paruulam quam habebat super ripam fluminis sedendo locauit, persuadens illi ut nullatenus se moueret. Cum igitur lotioni pannorum intenderet, puella, que omni discretione carebat, manibus reptans et pedibus peruenit ad aquam, matre eius pre occupatione alia penitus non uidente. Et cum ignara periculi inclinasset ad aquam, subito in flumen cecidit et submersa est atque per spatium non modicum a fluuio rapta fuit. Mater uero, que uicina erat, ad cadentis sonitum eleuata et submersam filiam trahi uidens a flumine, per se huic periculo nequaquam obuiare presumpsit, metuens ne si ingrederetur in aquam ipsa similiter necaretur. Cumque omne humanum remedium sibi penitus deesse conspiceret, eo quod nullus in uicino erat cuius auxilium inuocare posset, subito occurit illi memoria beati Dominici, ad quem deuotionem magnam habebat, cuius etiam audierat multa et magna miracula predicari. Quem flexis genibus cepit inuocare instanter, ut succurrere dignaretur filie pereunti. Mira res, ab eo tamen facta cuius nutui obediunt uniuersa. Breui oratione facta, statim puella ad beati Dominici inuocationem Christi uirtute de aqua surrexit et super pedes suos super aquam fluminis se erexit. Quod uidens mater ipsam uocauit ut in nomine beati Dominici ueniret ad se. Tunc puella super aquas quasi super terram solidam ambulauit intrepida, ac leta et incolumis uenit ad matrem, illius hoc operante uirtute qui beatum Petrum apostolum super maris undas ambulare precepit.

51. Cum in festo beati Dominici populus ciuitatis Regii prouincie Lombardie cum deuotione magna ob ipsius reuerentiam ad domum fratrum predicatorum conflueret, matrona quedam ciuitatis eiusdem ipso mane caput suum lauare cepit, festiuitatis reuerentia pretermissa. Cum autem uicina quedem illius adisset, scire uolens an ad ipsum festum uellet accedere, illa uoce despectiua respondit dicens : Fratres isti de festiuitatibus suis multa tedia populis faciunt ; propter quod ad istud festum eorum ire nolo neque capitis mei lotionem uolo omittere. Quod dicto cepit in inchoata capitis lotione procedere. Et ecce subito, iusto iudicio dei faciente, tantus dolor cutem capitis eius inuasit, acsi omnes capilli illius de eius capite forti uiolentia traherentur. Qui etiam capilli sic fuerunt in unum mira connexione conserti ut omnes sibi inuicem adherentes in

texturam unam filtro similem uiderentur esse compacti. Cumque diligens adhiberetur conatus ut disiungerentur ab inuicem, nulla penitus arte uel ingenio discriminari seu distingui ab inuicem potuerunt. Ob quam causam necesse fuit matrone ipsius caput radi ne rem tam stupendam et indecentem ferret in capite. Cognito igitur quod ob hoc id illi euenerat, quia festum beati Dominici honorare contempserat, ipsi humiliter se deuouit, promittens se festa illius quamdiu uiueret reuerenter celebraturam, si eam a dolore cutis capitis liberaret. Voto igitur emisso statim omnis dolor euanuit, et confestim ad fratrum predicatorum ecclesiam uadens capillos illos condensatos in unum populo ostendi in publica predicatione fecit, et ad dei gloriam et beati Dominici reuerentiam omnibus enarrauit miraculi seriem.

61. Dum operarius quidam apud Tholosam in die translationis beati Dominici mane boues duceret et foras exiret ut operaretur in agro, obuiauit quibusdam deuotis uiris, qui ad domum fratrum predicatorum ibant ad festum. Qui caritatiue corripuerunt illum pro eo quod tanto patri in die translationis eius reuerentiam non exhibebat. Ille autem dei timore postposito beatum Dominicum, quem reuereri debuerat, stomachanti responsione despexit, et boues stimulo agitans in contemptum eius ceptum iter uelocius perficere conabatur. Statim autem iusto dei iudicio pedes ipsius ambi sic retorti sunt, ut calcanei retorquerentur anterius, anteriores uero pedum partes retrograde posterius uerterentur. Qui uidens dignam punitionem sue malitie, beato Dominico quem superbe despexerat humiliter se deuouit, promittens quod ipsum et festa ipsius perpetuo ueneraretur, si eum ab illo dei iusto iudicio liberaret. Voto facto statim pedes eius restituti fuerunt ut prius, et mens eius, que ex irreuerentia sancti distorta fuerat, ob reuerentiam quam deinceps ad deum habuit ad debitam rectitudinem est reducta.

64. Anno domini m°ccc°xiii° quedam domina de Padua, filia domini Aldreuandini quondam domini Ugonis Denarii, habens duos lapides in uesica et eos non ualens nec uirtute nature nec remediis medicorum emittere, cepit mortis angustias pati pre dolore quem lapides illi causabant. Ipsa autem quasi seminece intra manus matris sue iacente, mater obdormiuit et uidit in somnis beatum Dominicum dicentem sibi, Fac quod filia tua se mihi deuoueat et statim liberabitur. Euigilans igitur dixit filie quod uiderat et suasit quod se deuoueret ei. Que facto uoto ad beatum Dominicum emisit sine lesione duos lapides fere magnos ut sunt parua oua galline et statim liberata est. Vocati igitur medici uisa magnitudine lapidum dixerunt quod omnino impossibile erat per uias urinales eos exisse et hoc solo dei miraculo contigisse. Ipsos autem lapides ipsa fecit argento cooperiri et misit unum Bononiam ad altare beati Dominici et alterum suspendi fecit Padue ante altare beati Dominici in domo nostra.

VIES DES FRÈRES, LIVRES I, II ET IV
(extraits)
(p. 1069-1110)

Fratris Gerardi de Fracheto O.P. Vitae Fratrum Ordinis Praedicatorum nec Cronica ordinis an anno MCCIII usque ad MCCLIV, ed. Benedictus Maria Reichert, Lovanii : Typis E. Charpentier & J. Schoonjans, 1896.

Notre traduction se fonde sur l'édition provisoire que nous a généreusement communiquée le P. Simon Tugwell dans laquelle l'ordre des chapitres est légèrement modifié par rapport à l'édition Reichert Les numéros des paragraphes sont ceux de son édition provisoire, suivis entre parenthèses des anciens numéros de l'édition du P. Reichert).

Liber I

(24) Retulit idem frater quod cum quadam die defecisset uinum in quodam uasculo infirmorum, nam sani aquam plerumque bibebant, ueniens infirmarius cum multa compassione nunciauit beato Dominico, qui tunc aderat, infirmorum defectum. Qui statim suo more ad orationem recurrens fratres ad idem monuit uerbo et exemplo. Post modicum autem dixit prior conuentualis infirmario quod illud uasculum eleuaret ut illam diem quocumque modo transirent. Qui ueniens ut iuxta mandatum faceret illud inuenit plenum usque ad summum. Unde fratres glorificauerunt deum qui curam habet de suis.
('Idem frater' est fr. Radulphus quondam capellanus ecclesiae s. Nicolai bononiensis)

Liber II

Secundus liber de beato Dominico xxxv. rubricas habet et totidem capitula.
72 (1). De progenie eius sancta.
73 (2). De paciencia hylari qua hereticum conuertit.
74 (3). De submersis oratione eius restitutis
75 (4). De libris eius qui per triduum in aqua fuerant et hamo illesi reperti sunt.
76 (5). De uino augmentato.
81 (10). Quod theutonice dono dei locutus est.
82 (11) De feruore orationis eius qua recedentem fratrem ad reditum compulit.
84 (13). De eo quod ianuis clausis bis intrauit ad fratres.
83 (12). De puero suscitato et matre eius quartana sanata.
85 (14). De diabolo qui iecit super eum lapidem sed ab oratione non retraxit.
86 (15) De demone qui eum frangere de nocte silencium fecit.
88 (17). De carta quam sanctus dyabolo abstulit.
87 (16) De demone quem circueuntem officinas inuenit.
89 (18) De modo et feruore orationis beati uiri.
91 (20). De panibus multiplicatis.
92 (21) De angelis quos ad custodiam fratrum uidit.
93 (22). De fratre guloso quem a demone liberauit.
94 (23). De compassione eius ad peccatores.
95 (25). De cautela eius et abstractione ab exterioribus

96 (26). De studio eius in libris karitatis.
97 (27). De lubrico carnis odore manus eius restricto.
98 (28). Quod obitum suum predixit.
99 (29). De socio quem ad Christum uocauit defunctus.
100 (30). De scolari qui absens sepultum eum in gloria uidit.
101 (31). De demoniaco qui ibi curatus est.
102 (32). De fratre ab emorroidis et post a ruptura ad inuocationem eius sanato.
103 (33) De surda que ad inuocationem eius recuperauit auditum.
104 (34). De literis canonizationis eius que non sunt aquis destructe.
105 (35). De liberatis a periculo maris.
106 (45§1) De fratre minore ab eo sanato.
107 (36). De sanctimoniali mirabiliter curata.
108 (37). De ydropico sanato.
109 (38). De uino ad inuocationem eius mirabiliter augmentato.
110 (39). De iuuene a scrofulis sanato.
111 (39). De ydropico eius medicina curato.

72 (1). De progenie eius sancta.

Non debet uideri superfluum si ea que ab ipsis compilatoribus legende beati patris nostri Dominici fuerunt obmissa uel ignorata quasi spicas elapsas de manu metencium colligamus. In primis igitur ad sanctitatis ipsius argumentum dicimus quod non solum parentes habuit honestos et pios sed et duos fratres germanos, uiros ualde perfectos, quorum unus presbiter operibus misericordie in quodam hospitali se totum exponens in obsequium pauperum fertur in uita et post miraculis claruisse, alter uero frater Manens dictus, uir contemplatiuus et sanctus, deo diu in ordine seruiens beato fine quieuit. Duo eciam nepotes eorum in ordine sanctissime uixerunt.

73 (2). De paciencia hylari qua hereticum conuertit.

Indicta fuit generalis contra hereticos aliquando disputatio, ad quam cum episcopus loci uellet cum pomposa societate procedere, Non sic ait beatus Dominicus, non sic domine pater contra tales oportet exire. Pocius humilitatis et aliis exemplis uirtutum sunt heretici conuincendi quam exteriori apparencia uel pugna uerborum. Armemus igitur nos deuotis orationibus et uere humilitatis indicia preferentes discalciatis pedibus contra Goliat procedamus. Credidit episcopus uiro dei et dimissis equitaturis discalciati sunt omnes. Distabat autem locus per miliaria multa. Dum autem irent et iam aliquantulum dubitarent de uia, quesierunt a quodam quem credebant catholicum sed re uera hereticus erat. Optime ait et libenter non solum uiam ostendam sed eciam uos illuc perducam. Ducens ergo eos per quoddam nemus fecit eos in tantum maliciose errare per spinas et uepres ducendo quod pedes eorum et crura fuerunt sanguine cruentata. Vir igitur dei totum hoc pacientissime ferens et in quandam laudem dei iocundam prorumpens omnes ad laudem dei et pacienciam hortatus est dicens, Karissimi sperate in domino quod uictoria nobis proueniet ; iam enim peccata nostra per sanguinem purgantur. Ille ergo hereticus cernens mirabilem et letam eorum pacienciam et uiri dei bonis uerbis compunctus fraudis uenena detexit et heresim abiurauit. Venientibus igitur ad locum omnia prospere successerunt.

74 (3). De submersis oratione eius restitutis.

Antiquus quidam et honestus ciuis Caturci narrauit fratribus, hoc paratus iurare, quod ipse uidit cum esset in obsidione Tholose quod peregrini de Anglia limina beati Iacobi uisitare uolentes, propter excommunicationem uitantes intrare Tholosam, barcam modicam ascenderunt ut fluuium pertransirent. Pre multitudine autem, nam fere quadraginta erant, absorta est barca et

submersi sunt omnes ita quod nec eciam eorum capita apparebant. Ad clamorem autem pereuncium et circumstantis exercitus excitatus beatus Dominicus, qui in quadam ecclesia prope fluuium erat orans, exiuit ; et uidens periculum toto prostratus corpore, manibus in modum crucis expansis, amarissime flens ad deum clamauit ut suos peregrinos liberaret a morte. Et post paululum surgens, sumpta de deo fiducia, imperauit in Christi nomine ut ad ripam uenirent. Mira res sed ab eo facta qui facit mirabilia solus. Statim, uidentibus multis qui ad tam triste spectaculum aderant, super undas apparuerunt. Tunc undique accurrentes extenderunt eis hastas et lanceas et uniuersos de fluctibus incolumes et laudantes dominum extraxerunt.

75 (4). De libris eius qui per triduum in aqua fuerant et hamo illesi reperti sunt.

In eisdem partibus tholosanis accidit quod beatus Dominicus, qui causa predicationis discurrebat frequenter, transiret uado fluuiolum qui uocatur Aregia et in medio eius libri quos in sinu portabat, cum se succingeret, ceciderunt. Qui deum laudans uenit ad domum cuiusdam bone matrone nuncians ei suorum perditionem librorum. Tercia autem die post piscator quidam in aquam illam hamum proiciens, cum magnum piscem se habiturum speraret, dictos libros extraxit sic penitus illibatos ac si in armario aliquo fuissent cum magna diligencia custoditi. Quod fuit ultra modum mirabile cum nec pannum nec corium nec aliquod conseruatorium libri illi haberent. Suscipiens autem illos dicta matrona cum gaudio beato patri apud Tholosam transmisit.

76 (5). De uino augmentato.

Quadam die cum in partibus illis cum multis fratribus iter ageret et ad prandium non nisi unum ciphum uini haberent, beatus pater compaciens aliquibus qui in seculo multum fuerant delicati iussit illud modicum fundi in uase magno et aquam in habundancia superfundi. Erant autem octo fratres. Qui omnes habunde biberunt aquam uinum factam ualde bonum, et superfuit illis.

81 (10). Quod theutonice dono dei locutus est.

Idem beatus pater de Tholosa uadens Parisius per Rupem Amatoriam transiens in ecclesia beate Marie pernoctauit deuote habens socium itineris, sanctitatis et deuotionis fratrem Bertrandum, qui fuit primus Prouincie prior. In crastinum autem quosdam peregrinos theutonicos obuios habuerunt in uia, qui audientes eos psalmos et letaniam dicentes eis adheserunt deuote, et ad uillam peruenientes inuitauerunt eos et more suo dapsiliter procurarunt ; sicque fecerunt per quatuor continuos dies. Quadam igitur die ingemiscens beatus Dominicus dixit socio suo, Frater Bertrande uere conscienciam habeo quod istorum peregrinorum carnalia metimus cum eis spiritualia non seminemus ; unde si placet flexis genibus oremus dominum ut lingue ipsorum intellectum det nobis pariter et loquelam ut eis dominum Ihesum annunciare possimus. Quod cum fecissent, stupentibus illis, intelligibiliter theutonice sunt locuti, et per alios quatuor dies ambulantes cum eis et loquentes de domino Ihesu tandem uenerunt Aurelianum ; cumque dicti theutonici uellent ire Carnotum, dimiserunt eos in strata parisiensi eorum se orationibus humiliter commendantes. Altera uero die dixit beatus pater fratri Bertrando, Ecce frater ingredimur Parisius ; si sciuerint fratres miraculum quod dominus fecit nobis credent nos sanctos cum simus peccatores, et si ad seculares uenerit multe patebimus uanitati. Unde per obedienciam prohibeo tibi ne hoc ante mortem meam alicui dicas. Sicque seruatum est. Post mortem enim beati patris hoc dictus frater Bertrandus deuotis fratribus enarrauit. Et hoc tangit responsorium cum dicit Lingua uerba transformat uaria, licet non ita plane.

82 (11). De feruore orationis eius qua recedentem fratrem ad reditum compulit.

Recepit idem beatus pater quendam apulum qui dictus est frater Thomas, quem ob innocenciam et simplicitatem in tantum dilexit sancto quodam amore quod a fratribus filius beati Dominici uocabatur. Quadam autem die socii eius quidam satellites diaboli captantes

oportunitatem uiolencia et fraudulencia ipsum in quandam traxerunt uineam et uestes seculares induerunt, claustralibus spoliantes. Quo audito currunt fratres ad patrem. En inquiunt filius uester ad seculum trahitur a consociis suis. Mox sanctus ecclesiam intrans se in oratione prostrauit. Nec frustra, nam quante fuerit uirtutis eius oratio patuit per effectum. Statim enim ut dictus iuuenis camisia fuit indutus ad carnem, clamare cepit fortiter dicens, En estuo, en ardeo, en totus exuror ; nec aliquo modo quiescere potuit quousque exutus camisia religiosis uestibus est indutus et ad claustrum reductus. Vixit autem multo tempore frater utilis et admodum graciosus.

84 (13). De eo quod ianuis clausis bis intrauit ad fratres.

Venit aliquando beatus pater ad quendam religiosum conuentum postquam omnes lectos intrauerant, et timens eos inquietare prostratus ante portam cum socio rogauit dominum ut sine ipsorum inquietudine suis necessitatibus prouideret. Mira res. Sic enim prostratos ut erant foris statim inuenerunt se intus. Hoc idem ei accidit cum esset in conflictatione hereticorum cum quodam conuerso ordinis cisterciensis, uiro ualde deuoto. Venit enim sero ad quandam ecclesiam et clausam inuenientes, cum orassent ad hostium, subito se deintus inuenerunt, et totam illam noctem orationi dederunt.

83 (12). De puero suscitato et matre eius a quartana sanata.

Cum idem pater Parisius uadens castrum Castellionis uenisset, contigit filium sororis capellani qui eum receperat hospicio de solario cadere et exanimem a matre et parentibus plangi. Quibus beatus Dominicus compassus se in oratione cum lacrimis prostrauit, et exauditus a deo puerum reddidit incolumem matri sue. Tristicia igitur conuersa est in gaudium. Sacerdos auunculus pueri fecit conuiuium magnum multis deum timentibus inuitatis. Cum autem mater pueri aliis anguillas edentibus non gustaret quia paciebatur quartanam, beatus Dominicus frustum anguille signans sibi dedit in nomine Christi dicens, Comede in uirtute domini saluatoris. Comedit et ab omni febre sanata est.

85 (14). De dyabolo qui iecit super eum lapidem sed ab oratione non retraxit.

Dum quadam nocte uir sanctus in oratione prostratus iaceret, dyabolus inuidens ei de tecto ecclesie lapidem magnum proiecit tam fortiter iuxta eum ut per totam ecclesiam sonitum faceret, ut scilicet eum ab orationis instancia deturbaret. Venit autem lapis tam prope ut eciam tangeret capucium cappe eius. Cumque uir sanctus immobilis in oratione persisteret, diabolus mox uoce terribili eiulans confusus abscessit.

86 (15). De demone qui eum frangere silencium de nocte fecit.

Existente item ipso in oratione dum iam fratres dormirent uenit dyabolus in specie fratris quasi orans coram quodam altari. Sanctus autem miratus quod frater ultra signum remanserat manu ei innuit quod cubitum iret. Cui ille capud inclinans recessit. Post matutinas autem monuit sanctus fratres ne post ultimum signum in ecclesia remanerent. Sic tamen falsus ille frater et secundo et tercio fecit. Tercia igitur nocte cum orationem iterum fingeret, accedens beatus uir et increpans eum dixit, Quanta inobediencia ista est ! Iam tociens dixi quod nullus remaneret et te iam tercio deprehendi. Tunc ille cachinnans Modo inquit te feci silencium frangere. Cuius uir sanctus deprehendens astucias audacter respondit, Noli letari miser de eo quod tibi non proderit, quoniam ego super silencium sum et possum cum michi uidebitur loqui. Ad quod ille recessit confusus.

88 (17). De carta quam sanctus diabolo abstulit.

Alia uice inuenit sanctus dyabolum manibus quasi ferreis tenentem cedulam et ad lampadis lumen legentem. Qui querenti ab eo quid legeret ait, Peccata fratrum tuorum. Precepit ergo sanctus illi in Christi nomine ut cartam dimitteret, quod et fecit. Inuenit autem ibi plura super quibus fratres correxit.

87 (16). De demone quem circueuntem officinas inuenit.

Alia iterum uice inuenit sanctus pater diabolum omnia loca domus circueuntem, cumque quereret quare hoc faciebat respondit, Propter lucrum quod recipio inde. Dixit ei sanctus, Quid lucraris in dormitorio ? Respondit, Facio eos nimis dormire, tarde surgere sicque a dei officio remanere, necnon et cum possum carnis stimulos et illusiones immitto. Inde traxit eum sanctus ad oratorium et ait, Quid in tam sancto loco lucraris ? Respondit, O quot feci tarde uenire, cito exire et se interim obliuisci. De refectorio quoque interrogatus respondit, Quis non plus, quis non minus ? Hinc ad locutorium ductus respondit cachinnans, Hic locus est totus meus; hic ueniunt risus, hic rumores et uerba proferuntur in uentum. Cum autem ultimo ipsum traxisset ad capitulum cepit fugere et horrescens ait, Iste locus michi infernus est et quicquid lucror alibi hic totum perdo, nam hic monentur, hic confitentur, hic accusantur, hic uerberantur, hic absoluuntur ; unde hanc domum super omnes detestor.

89 (18). De modo et feruore orationis beati uiri.

Frater Iohannes bononiensis, uir discretus et sanctus, dixit quod septem noctibus uigilauerat ipse ut uideret qualiter beatus pater se habebat in nocte. Dixit ergo quod in oratione modo stans, modo ingeniculans, modo prostratus in tantum perseuerabat quousque sompnus eum arripiebat. Et cum euigilasset statim uisitabat altaria. Et ita usque circa mediam noctem agebat. Tunc autem fratres dormientes quietissime uisitans discoopertos cooperiebat. Quo facto rediens in ecclesiam continue orabat. Dixit idem frater quod cum frequenter iuuaret eum ad missam uidit quod cum post sumptum corpus dominicum se uertebat ad uinum et aquam semper fluebant lacrime ab oculis eius.

91 (20). De panibus multiplicatis.

Narrauit frater Raynaldus domini pape penitenciarius et post archiepiscopus almachanus ualde religiosus quod ipse presens fuit Bononie quando procurator accedens ad uirum dei Dominicum cepit conqueri quod non haberet quid apponeret ingenti fratrum multitudini nisi tantummodo duos panes. Quos domini imitator Dominicus iussit in modica frusta comminui, dataque benedictione, confidens in domino qui diues in omnes qui inuocant illum implet omne animal benedictione, fecit seruitorem circueundo per mensas apponere duo uel tria frusta dicti panis. Cumque sic circuisset et adhuc superesset de pane, secundo ciruiuit ac tercio de dictis frustis parum similiter apponendo, et iterum quod modicum fuerat habundauit. Quid plura ? Tociens circuiuit et apposuit fratribus quod omnes saciati sunt, et multo plus de pane sublatum est diuino munere quam per homines appositum foret.

92 (21). De angelis quos ad custodiam fratrum uidit.

Legista quidam Bononie ciuis intrauit ordinem. Quem cum de domo carnales eius amici uellent uiolenter extrahere, timentibus fratribus et uolentibus mittere ad quosdam milites patronos ut defenderent domum, ait beatus Dominicus, Non indigemus auxilio militum, quia ego plus quam ducentos angelos uideo circa ecclesiam qui missi sunt ad custodiam fratrum. Recesserunt ergo illi confusi et nouicius consolatus permansit.

93 (22). De fratre guloso quem a demone liberauit.

Quidam conuersus ad seruiendum infirmis Bononie positus carnes que remanebant frequenter et sine licencia comedebat. Quodam ergo sero cum hoc faceret a diabolo correptus cepit fortiter et terribiliter acclamare. Concurrentibus igitur fratribus beatus pater aduenit, et compaciens fratri qui grauiter uexabatur arguebat demonem quod corpus fratris sui intrauerat. Dixit autem diabolus, Intraui in eum quia meruit, nam carnes infirmorum sine licencia et occulte manducabat contra ordinationem constitutionum tuarum. Tunc beatus Dominicus ait, Ego

auctoritate dei absoluo eum a peccato quod fecit ; tibi autem demon precipio in nomine domini nostri Ihesu Christi ut exeas ab eo et amplius non uexes eum. Statimque liberatus est frater.

94 (23). De compassione eius ad peccatores.

Super peccatis hominum mirabiliter sanctus pater compaciens, quando appropinquabat uille uel ciuitati quam posset a longe uidere recogitans miserias hominum et peccata que fiebant in illa totus in lacrimas soluebatur. Cum autem post laborem itineris diuertebat ad seculare hospicium extinguebat primo sitim ad aliquem fontem uel aquam uicinam, timens ne ex siti que ob laborem uie accenditur plus bibendo notam incurreret, quam non solum in hoc sed in omnibus supra modum cauebat.

95 (25). De cautela eius et abstractione ab exterioribus.

Amorem eciam suum ita tenebat affixum in deum quod a rebus exterioribus non solum magnis sed eciam paruis et uilibus affectum retraheret, ut uestibus, libris, calciamentis, cingulo, cultellino et aliis huiusmodi que uilia habebat, et curiositatem uel nimiam decenciam in illis reprehendebat frequenter.

96 (26). De studio eius in libris caritatis.

Quesiuit quidam scolaris ab eo in quibus libris studuerat amplius. Videbat enim eum optime predicantem et de scripturis ad placitum disserentem. Cui uir sanctus respondit, Fili in libro caritatis plus quam in aliquo studui ; hic enim de omnibus docet.

97 (27). De lubrico carnis odore manus eius restricto.

Quidam scolaris Bononie admodum labilis uenit in quodam festo ad domum fratrum ut missam et sermonem audiret. Qui cum beato Dominico celebrante ad oblationem accederet cum sociis, subito in osculatione manus eius beate tantam sensit fragranciam quantam in uita sua non senserat unquam. Miranda res de odore percepto, sed admiranda magis de lubrico carnis in eo restricto. Sicut enim ipse testatus est, extunc tantam sensit temperanciam carnis quod sibi fieret facile continere, cum id prius sibi impossibile uideretur. Hoc autem congruum fuit ualde ut tactus manus uirginee fetorem luxurie aboleret.

98 (28). Quod obitum suum predixit.

Visitauerat ipse beatus pater scolares quosdam sibi multum familiares, cumque recedere uellet eis inter cetera transitum suum predixit. Vos inquit karissimi modo uidetis me sanum, sed antequam ueniat assumptio domine nostre ego submotus ero de uita ista mortali. Quod rei probauit euentus, nam parum ante assumptionem domine a domino est assumptus.

99 (29). De socio quem ad Christum uocauit defunctus.

Cum beati Dominici corpus in ecclesia positum a filiis psalmis et canticis spiritualibus cum lacrimis plangeretur, felicis memorie frater Albertus prior sancte Katherine affuit. Qui cernens amicum planctum in iubilum commutasse et ipse cepit gaudere. Verum sui miseratus ad corpus accedens in amplexus et oscula ruit, nec inde surrexit donec mortis meruit habere responsum. Unde surgens priori fratrum bononiensium gaudens et letus ait, Boni rumores prior, magister Dominicus amplexatus est me dicens quod hoc anno ibo post ipsum ad Christum. Quod sequens probauit euentus.

100 (30). De scolari qui absens sepultum eum in gloria uidit.

Contigit autem quendam honestum scolarem ab exequiis eius quadam occasione deesse, qui tamen obitum eius audierat. Nocte igitur subsequente cernit beatum Dominicum in ecclesia beati Nicholay sedentem in cathedra gloria et honore mirifice coronatum. Cui dixit, Nonne uos estis magister Dominicus qui mortuus estis? Respondit, Non sum mortuus fili, quia bonum dominum habeo cum quo uiuo. Mane facto pergens ad ecclesiam fratrum in loco illo sanctum sepultum reperit ubi eum inthronizatum in sompnis uiderat. Quod tamen prius penitus ignorabat.

101 (31). De demoniaco qui ibi curatus est.

Narrauit frater Chabertus de terra Sabaudie, feruens et graciosus predicator, qui post mortem multis dicitur miraculis claruisse, quod cum esset scolaris Bononie in crastinum sepulture beati patris Dominici uidit cum aliis multis quendam demoniacum ad sepulcrum beati patris adduci. Qui cum esset ingressus, clamare cepit demon, Quid michi uis Dominice ?, frequenter clamans et replicans Dominice. Et sic super sepulcrum positus est a demonio liberatus.

102 (32). De fratre ab emorroidis et post a ruptura ad inuocationem eius sanato.

Frater quidam plus quam sexagenarius in conuentu lemouicensi cum uiginti annis emorroidas passus esset, auditis miraculis que fiebant ad tumulum beati Dominici antequam canonizatus fuisset, ante altare se prosternens humiliter ait, Domine Ihesu Christe qui per magistrum Dominicum ad hunc ordinem me uocasti, si uera sunt que audio et dictus pater potest aliquid apud te sicut et uere credo, queso ut eius meritis ab hac turpi infirmitate me sanes. Statim igitur sanatus deo gracias egit, nec unquam postea, cum per septennium uixerit, est illa infirmitate fedatus.

Idem frater in caturcensi conuentu positus, ubi et obiit, cum beatum patrem canonizatum audisset et cum fratribus Te deum laudamus ob hoc deuote cantaret, a ruptura quam aliquibus annis habuerat est subito et perfecte curatus cum hoc tantum dixisset, O beate pater Dominice qui me ab alia turpi infirmitate curasti, ab hac quoque graui meam libera senectutem.

103 (33). De surda que ad inuocationem eius recuperauit auditum.

In eodem conuentu cum prior fratrum de miraculis beati Dominici populo predicaret, quedam monialis que multis annis surda fuerat beatum Dominicum inuocans plene recuperauit auditum.

104 (34). De literis canonizationis eius que non sunt aquis destructe.

Dompnus Bartholomeus cantor tanus et ueneranda persona retulit quiddam memoria dignum. Cum enim transfretaret et fratres ei tradidissent literas canonizationis beati Dominici de nouo facte transmarinis fratribus deferendas, contigit ex ui uentorum et tempestate nauem circa portum quendam fractionis sustinere iacturam, unde omnia que supra et infra erant fuerunt turpata et multipliciter lesa ; litere autem predicte non sunt lese in aliqua parte, cum secundum naturam solo tactu aliorum que madefacta erant saltem debuissent deturpari. Quod non sine miraculo dei prouidencia creditur euenisse, ut honor dei in sancto suo in populis Syrie non subtraheretur. Nam si litere delete fuissent, annus et plus transiret antequam alie uenissent.

105 (35). De liberatis a periculo maris.

Cum quedam nauis recessisset de Trapena ciuitate Sicilie ut Ianuam perueniret, orta est tempestas tam ualida et tanta insuper inundancia pluuie quod et naui fractura et omnibus mortis periculum imminebat. Iam uelum cum temone perdiderant, iam nauem alleuiabant ab oneribus que tamen cara plurimum erant, iam omnes alterutrum sua confitentes peccata sanctos quos in maris periculis inuocari mos est flentes uberrime inuocabant. Contigit autem ibi esse quendam ordinis predicatorum fratrem, qui in illis inuocationibus nullam audiens de beato Dominico fieri mentionem quodam sancto zelo succensus eos ad inuocandum beatum Dominicum hortabatur. Et dum respondissent se non consueuisse nec eum cognoscere, frater de sancti meritis concepta fiducia dixit, Inuocate illum ex toto corde et uouete aliquam reuerenciam uos ei facturos, et pro certo eius auxilium sencietis. Emiserunt igitur omnes uotum communiter quod si eis sanctus succurreret omnes simul cum cereis ardentibus nudis pedibus ad eius ecclesiam uenirent. Emisso itaque uoto cum omnes simul clamarent Sancte Dominice adiuua nos, mox serenatur aer, tranquillatur mare, cedit tempestas redditurque ipsa facies ponti iocundior. Fit post merorem leticia, exultatio post lamentum, aguntur deo gracie in communi et sanctus eius Dominicus

commendatur. Cum autem omnes sani et incolumes Ianuam peruenissent, non immemores uoti statim cum ipso fratre et socio quod promiserant impleuerunt, processionaliter discalciati cum cereis ardentibus ad locum fratrum et ad altare beati Dominici deuotissime uenientes.

106 (35§1). De fratre minore ab eo sanato.

Quidam frater minor Bononie septuagenarius uel amplius defluentibus in oceum intestinis multum affligebatur. Qui inuocans beatum Dominicum de nouo canonizatum, post prolixam orationem aliquantulum soporatus uidit ipsum beatum Dominicum colligentem in anteriori parte scapularis sui defluencia intestina ipsius. Et statim expergefactus sensit se omnino curatum, et gracias agens deo et beato Dominico hoc totum suis fratribus indicauit, per quos diuulgatum est miraculum ad gloriam saluatoris.

107 (36). De sanctimoniali mirabiliter curata.

Est apud Tripolim ciuitatem Syrie quoddam monasterium feminarum quod dicitur Magdalene, ubi quedam monialis nobilis nomine Maria de Bello Mundo magne simplicitatis et innocencie fuit. Hec post multas graues infirmitates quibus fuerat probata tandem in femore et pede tanta percussa est passione quod per quinque menses se non potuit uertere nec sustinere quod ab aliis uerteretur sed iacebat continue resupina, ex adhesione lecti carnibus iam consumptis. Illorum autem quinque mensium tribus primis tam acutis cruciabatur doloribus quod eius clamoribus miserabilibus multum inquietabantur sorores. Unde pre doloris uehemencia septem diebus languit sine cibo, et singulis horis expectabatur exitus, maxime quia deficiente spiritu et uultu in pallorem conuerso aliquando sine sensu iacebat et motu. Verum post illos septem dies cepit aliquantulum respirare quia femur cum tybia et pede factum est quasi mortuum et quasi lignum insensibile puluinari innixum immobile iacebat. Igitur de consilio medicorum mater eius et consanguinei ordinauerunt ut eam de monasterio deportarent ad domum propriam ut liberius foueretur balneis et unguentis et aliis remediis medicine, petita super hoc licencia et obtenta a quodam abbate qui erat illius ordinis uisitator. Quod ubi intellexit puella religiosa recusauit omnino extra monasterium in domo secularium preter statuta et consuetudinem ordinis commorari et, ne in periculosum exemplum traheretur, membra uirginea per uicos et plateas ad balnea deportari. Super quo cum corriperetur a sorore germana que erat eiusdem monasterii monialis, et per ironiam diceret, Modo sanabit te deus propter sanctitatem tuam, matre eciam asserente non esse modo tempus antiquum in quo deus miracula faciebat, recesserunt propter illius pertinaciam indignanter, eam sibimet reliquentes. Ipsa autem formidans ne eam iuxta quod ordinauerant deportarent, totam se dedit ad dominum deprecandum humiliter dicens, Mi domine deus non sum ydonea te rogare nec digna exaudiri a te, sed rogo dominum meum beatum Dominicum seruum tuum ut sit mediator inter me et te et suis meritis et precibus michi impetret beneficium sanitatis. Et tanta precum instancia tantaque habundancia lacrimarum interpellauit beatum Dominicum, cui multum erat deuota, quod data est ei in corde certa fiducia optinendi. Siquidem pater harum uirginum uir nobilis dum uiueret multum deuotus fuerat beato Dominico et ei filias et totam commendauerat domum suam. Cum igitur dicta sanctimonialis in nullo se sentiret alleuiatam, cepit familiari quadam obiurgatione beatum inclamare Dominicum eo quod eius preces non statim exaudisset. Quem iteratis precibus et lacrimis interpellans in mentis extasi posita uidit ipsum cum duobus fratribus aperta cortina que ante lectum eius pendebat intrantem. At illa cum datum esset ei illum cognoscere suppliciter de sua sanitate rogabat. Cui cum sanctus diceret, Quare tantum optas sanari ?, respondit quod ut deo deuocius seruiret, si tamen sue expediret saluti. At ille, Extende inquit tibiam tuam in nomine Christi. Cui cum illa diceret se nullo modo posse, ille de sub cappa proferens unctionem mire et inconsuete fragrancie manu sancta perunxit. Et statim perfecte sanata tibiam extendit libere et retraxit. Postmodum ait beatus

Dominicus, Hec unctio preciosa et dulcis est necnon et ualde difficilis. Cuius uerbi cum puella quereret rationem sanctus respondit, Hec unctio dilectionis dei signum est et figura, que reuera preciosa est quia nullo precio comparari potest et quia in donis dei nullum est melius, dulcis est quia nichil dulcius karitate, difficilis est quia cito perditur nisi ualde caute custodiatur. Ipsa autem nocte apparuit beatus Dominicus sorori sue in dormitorio quiescenti dicens, Ego sanaui sororem tuam. Que statim ad sororem currens inuenit eam sanatam plene, deo et sancto Dominico gracias referentem. Cum autem dicta puella inueniret se unctam eciam sensibili unctione, extergens cum bombace per dies plures apud se ex humilitate illam unctionem retinuit, nulli dicens. Tandem cogente consciencia et reuerencia matri sue et confessori suo uiro religioso aperuit, ut docerent quid faceret de tam sacra apud se reposita unctione. Cum autem protulisset quod in bombace habebat, ipse confessor et mater et soror tanta et tam noua suauissimi odoris fragrancia sunt perfusi ut nulla ei possent aromata comparari, sicut quatuor persone honeste senserunt. Puella uero sicut extra sanata est ita intus est celesti unctione perfusa et diuino amore succensa, in humilitate multa domino seruiens et feruore. Hoc miraculum cum multa diligencia examinauit et scripsit frater Iuo prior prouincialis fratrum in terra sancta, uir tocius sanctitatis et religionis, apud deum et homines graciosus et in linguis pluribus optimus predicator.

108 (37). De ydropico sanato.

Fratres quidam transeuntes per terram de Pede Montis predicauerunt quedam miracula de beato Dominico, quorum predicationi interfuit quidam qui habebat fratrem ydropicum monstruose inflatum. Et rediens domum narrauit fratri illa que audierat miracula, monens eum ut se beato Dominico deuoueret ut sibi sanitatem conferret. Quod infirmus deuotissime fecit. Et ecce illi dormienti apparuit beatus Dominicus, uentrem eius aperuit, immundicias extraxit non inferens molestiam aut dolorem, et iterum manu sua sancta uentrem consolidauit. Igitur expergefactus infirmus et se sanum inueniens uisionem omnibus enarrauit, et contra omnium medicorum opinionem sanus et gracilis manens deo et beato Dominico curatori suo gracias multas egit.

109 (38). De uino ad inuocationem eius augmentato.

In Sicilia insula, uilla que dicitur Plana, fuit mulier multum deo deuota et fratribus ualde obsequiosa, uiro tamen suo non modicum aduersante. Contigit autem ut estiuo tempore uinum conuentui fratrum deficeret, unde ipsa nesciente uiro singulis diebus eis uinum mittebat. Cum ergo processu temporis tum propter familie proprie tum propter fratrum multitudinem uinum in uegete defecisset, contigit uirum dicte femine uinum petere de uase illo; et cum missum fuisset et nichil aliud quam fex ibi reperiretur, stupet ancilla et domine sue clanculo nunciat. Quod audiens iterum remittit ad uegetem ancillam et, timens uehementer ne maritus tumultum faciat et inuenta occasione eam a fratrum deuotione retrahat, genibus in terra positis beatum Dominicum inuocat, et firmam de meritis eius fidem concipiens tercio ad uacuam uegetem ancillam remittit. Que murmurando rediens tantam uini habundanciam reperit ac si nunquam aliquid fuisset extractum. Mira res et a domino uere facta. Vinum enim quod illi familie ad mensem et dimidium sufficere consueuerat tam familie omni quam fratribus per quatuor menses deo illud multiplicante suffecit. De quo cum uir eius miraretur quam plurimum, audiuit quendam fratrem tacitis personis in statione publica predictum miraculum predicantem. Iam enim domina illa fratribus narrauerat illud totum. Unde domum reuersus requirit quomodo uinum illud tantum durare potuerit, cum quadam cautela miraculum deridens. Mulier autem ipsum pie redarguens deo et fratribus fecit esse deuotum. Quod miraculum ualde notum est in partibus illis.

110 (39). De iuuene a scrofulis sanato.

In eadem uilla fuit iuuenis, arte figulus, scrofulis in tantum grauatus quod ex corrosione iam non posset potum sumere quod non statim efflueret per guttur. Quem mater cernens morti proximum beato uouit Dominico ut quem medicorum ars sanare non poterat beati uiri merita liberarent. Dicte igitur matri beatus Dominicus apparuit in sompnis dicens, Surge et accipe folia porri, piretrum et uiride es et commisce omnia simul terendo et cataplasma in carta de bombace super locum uulneris per nouem dies dimittens, et sanabitur filius tuus. Surgens ergo mulier sicut sanctus ei dixerat fecit et infra trium dierum spacium filius eius conualuit plene.

111 (39). De ydropico eius medicina curato.

In eadem patria, castro quod dicitur Iohannis, fuit iuuenis quidam qui ydropisis morbo uentrem mira turgitate inflatum ceteris membris tanta gracilitate debilitatis habebat ut iam mortem expectaret uicinam. At tamen paupertate grauatus cogebatur exire ad campos ut fasciculum de lignis apportaret qui se ipsum uix portare ualebat. Cum autem quadam die in campo iaceret et suam miseriam querulosis uocibus deploraret, inter fletus recolens quod beatus Dominicus ad se clamantibus subueniret, fecit uotum intra se quod fratribus eius commorantibus in Plana seruiret per annum si eius meritis sanaretur. Igitur antequam de loco surgeret in quo iacebat, uidit uigilans fratrem unum astantem sibi qui extendit manum suam uersus arborem sambuci sub qua idem iacebat et ait, Accipe folia huius sambuci et tere et bibe succum eius et sanaberis. Quo dicto disparuit. Surgens autem statim cum lapidibus triuit, expressit, bibit et ylico uenter eius solutus est et ipse plene curatus, et fascem magnum de lignis baiulans incolumis ad sua rediit, miraculi seriem omnibus narrans. Et ualedicens matri ad domum fratrum de Plana uenit et eis per annum ut uouerat deuote seruiuit. Per omnia benedictus deus. Amen.

Liber IV

169 (4,1). Temporibus enim duorum patrum Dominici et Iordanis tantus fuit feruor in ordine quod nullus sufficiat enarrare. ...

In predicando autem uerbum dei, ad quod ordo a principio deputatus est, deus suum super eos effuderat feruorem ita quod multi eorum non cum tuta consciencia comedere illa die audebant nisi uni uel pluribus predicassent. In quibus spiritus sanctus supplebat ex interiori unctione quod eis extra deerat ex sciencia acquisita. Nam multi multos conuerterunt ad penitenciam solum cum textu septem canonicarum, quas cum ewangelio beati Mathei beatus Dominicus frequenter fratribus imponebat.

176 (4, 2, 3). Dum iret quidam frater conuersus ad quandam sibi iniunctam obedienciam, obuiauit beato Dominico a predicatione redeunti. Post aliqua ergo uerba quesiuit ab eo sanctus an aliquam portaret pecuniam ; sensit enim eum in spiritu non regulariter ire. Dictus ergo frater se deprehensum uidens humiliter se habere confessus est. Quod statim iussit proici et ei condignam penitenciam iniunxit.

196 (4, 7, 4). Quidam frater magne auctoritatis in ordine, uite et fame preclare in prouincia Lumbardie narrauit quod cum esset nouicius tempore beati Dominici, et quadam nocte post matutinas ante altare paululum obdormisset, audiuit uocem dicentem sibi, Vade et rade iterum capud tuum. Qui euigilans interpretatus est quod moneretur iterum confiteri et melius dicere circumstancias omnes. Unde ante beatum patrem Dominicum se prosternens confessus est ei omnia cum contritione et maiori attentione quam prius fecisset. Qui postmodum cum paululum recepisset quietis uidit angelum descendentem de celo et in manu portantem coronam auream

miro modo ornatam, et appropinquans posuit in capite eius. Euigilans ergo frater se multum consolatum inuenit et gracias egit deo.

233 (4, 15, 1). Antequam fratres predicatores essent in prouinciis pluribus in quibus nunc per graciam dei sunt et fructum faciunt qui non perit, contigit duos uenire Bononiam ad capitulum generale, quibus occurrit quidam ut cursor succinctus ad iter, et adiungens se dictis fratribus quesiuit quo irent. Qui responderunt quod Bononiam ad capitulum generale. Quesiuit iterum quid debebat fieri in capitulo illo. Responderunt quod fratres debebant ibi ordinari qui predicarent per diuersas prouincias mundi. Quesiuit iterum an aliqui in Ungariam uel in Greciam irent. Responderunt, Ibunt deo dante quamplures. Tunc cursor ille dedit saltum in aera exclamans terribili uoce, Ordo uester confusio nostra. Et statim euanuit quasi fumus. Venientes autem fratres Bononiam narrauerunt omnia beato Dominico et fratribus ad capitulum in nomine domini congregatis.

243. In conuentu Bononie contigit quendam fratrem conuersum subito a demone grauissime uexari. Conuersi ergo surgentes, quia iam lectos intrauerant, uocauerunt magistrum suum, dehinc beatum Dominicum qui tunc in domo erat; qui mandauit eum ad ecclesiam deferri. Quem uix decem fratres potuerunt portare. In ingressu autem ecclesie exsufflans extinxit omnes lampades uno flatu. Cum ergo multis modis eum demon uexaret dixit ei beatus Dominicus, Adiuro te per Christum ut dicas quare uexas hunc fratrem et quando et quomodo huc intrasti. Qui respondit, Vexo eum quia meruit ; bibit enim heri in ciuitate sine licencia et sine signo crucis, unde tunc intraui in eum in specie bibionis, ymo ipse me bibit cum uino. Inter hec factum est signum ad matutinas et ait demon, Amodo hic remanere non possum ex quo surgunt capuciati ad deum laudandum. Et recedens dimisit fratrem quasi mortuum iacentem in terra. Fratres autem tulerunt eum ad infirmitorium, et mane sanus surrexit nesciens quid actum fuisset.

306 (4, 25, 5). Duo fratres yspani missi ad predicandum uenerunt ad Madritum ad sorores quibus beatus Dominicus dedit habitum sancte religionis. Cum ergo alter eorum in quadam domuncula de uerbo domini proponendo sororibus cogitaret, gallus quidam sui cantus frequencia fratris animum perturbabat, et licet frater inportunum gallum fugasset pluries nichilominus rediens suis eum cantibus tediabat. Frater igitur motus arrepto fuste gallum percussit, qui interiit statim. Quod cum frater uidisset, considerans leuitatem suam et dampnum sororum, dolens ex eo quod fecerat, accepit mortuum gallum in manibus et ait, Domine Ihesu Christe resuscita illum tu qui eum fecisti et omnia potes, et per graciam tuam ego cauebo michi de cetero ab huiusmodi leuitate. Statim gallus de manibus eius auolauit in terram et excussis alis cantauit, non tamen importune ut prius. Hoc frater Egidius hispanus, uir sanctus et uerus, inter cetera scripsit, qui ab ipso fratre cui acciderat hoc audiuit, cui tanquam sibi fidem adhibuit eo quod esset frater uerax et bonus.

[*Autres récits ajoutés au livre II en 1259* (chapitre de Valenciennes)]

90 (19). De efficacia uerbi eius et operis.

Interdixit aliquando fratri Bertrando socio suo ne suas sed aliorum culpas defleret, attendens quod pro peccatis suis se nimis affligebat. Et tante uirtutis uerba fuerunt quod ex tunc pro aliis habundanter fleret, pro se autem flere non posset etiam uolens.

Cuidam usurario sibi mentienti iustitiam et petenti eucharistiam sacram porrexit hostiam, que mox quasi carbo ignitus eius palatum adurere uidebatur ut mulcebris ignis, qui puerorum refrigerauit uiscera et combussit caldei nequitiam. Unde compunctus conuersus est, que male acquisierat restituens uniuersa.

112 (40). De quibusdam tactu reliquiarum eius sanatis.

Ciuis quidam leodiensis uillicus eiusdem urbis morbum patiebatur in collo, pro quo loca sanctorum uisitauerat multa, et cum minime curaretur rogauit priorem fratrum predicatorum ut secreto reliquias beati Dominici poneret super morbum. Quo facto perfectam recepit continuo sanitatem. Hoc ipse prior michi narrauit.

113 (40). Alius de ditioribus eiusdem ciuitatis morbum grauem cum tumore magno et ulcere terribili patiebatur, ita quod de uita eius sui penitus desperabant. Tantus enim erat eius dolor et cruciatus quod nec palpationem medici poterat sustinere. Frater autem Lambertus, cum uideret eius afflictionem permaximam, induxit eum ut haberet deuotionem ad beatum Dominicum, quia per eum dominus fecerat mirabilia multa. Ille statim deuote rogauit ut afferretur ei aqua ablutionis reliquiarum beati Dominici. Qua super locum aspersa statim cepit dolor minui et tumor euanescere, et sic est perfecte curatus.

[Autres récits ajoutés au livre II en 1260 (chapitre de Strasbourg)]

77 (6). De pluuia quam a domino impetrauit.

Tempore quo beatus Dominicus in Yspania apud Segobiam domum accepit, accidit ut die quadam extra muros dicte ciuitatis ingenti conuocato populo predicaret. Non autem latebat eum populum pro defectu pluuie multa tristitie materia innodatum, cum instaret festum natiuitatis dominice et deficiente pluuia nondum agricole seminare cepissent. Post sermonis igitur sui primordia uir dei diuinitus inspiratus in hec uerba prorupit. Nolite expauescere fratres, confidite de dei misericordia, quia hodie habundanti concessa nobis pluuia tristitia hec uestra in gaudium conuertetur. Sane tunc temporis nullum pluuie apparebat indicium, quin potius totus aer solaribus radiis claritate fulgentibus nec cuiusquam nubis oppositione fuscatis serenessimus effulgebat. Eo igitur cepto sermone, ecce subito tanta tamque uehemens descendit pluuia ut propter aque inundationem uix possent ad ciuitatem redire certatim domos proprias repetentes. Aguntur gratie deo ab omni populo qui facit mirabilia magna solus quique serui sui Dominici promissum tam uelociter uoluit perducere ad effectum.

78 (7). De impediente sermonem, cuius mortem predixit.

Per idem tempus cum idem seruus dei Dominicus uellet quodam die festo in concilio iam dicte ciuitatis proponere uerbum dei omnesque qui conuenerant regales que tunc temporis eis misse fuerant litteras audiuissent, ait, Nunc usque fratres mei terreni et mortalis regis audistis edicta ; iam igitur mandata celestis et immortalis audite. Ad quam uocem nobilis quidam secundum seculi fastum sensu carnis inflatus, non solum audire contempsit, uerum etiam in uerba indignationis prorupit dicens, Nunquid non esset malum quod uerbosus iste detinens diem sermonibus nos a prandio impediret ? Dixit, atque incontinenti equum cui insidebat uersus domum suam que prope erat dirigens abiit murmurando. Cui beatus Dominicus ait, Ecce nunc quidem receditis, sed antequam anni circulus euoluatur, equus uester proprio qui ei nunc insidet sessore carebit et ad turris uestre elaboratum presidium occupante interfectore non poteritis peruenire. Quod uerbum ex dei sententia fuisse prolatum sequens euentus manifestissime conprobauit. Nondum enim anno peracto idem nobilis eodem loco quo ibat cum sententia proferretur fuit a suis emulis cum proprio filio ac consobrino atrociter interemptus, dum ad turrim quam sibi edificauerat ut posset euadere festinaret.

79 (8). De fratre famelico cui panem celitus obtinuit.

Post hec gloriosus pater in Ytaliam rediit, quodam fratre Iohanne conuerso sibi associato. Qui frater Iohannes inter Alpes Lombardie subito cepit pre fame deficere, ita ut nec ultra posset

procedere nec de terra pre lassitudine se leuare. Cui pius pater ait, Quid est fili quod non potes ire ? Et ille, Pater sancte fames inuasit me. Cui iterum sanctus ait, Confortare fili et procedamus paulatim, et perueniemus ad locum ubi aliquam refectionem inuenire possimus. Cui cum ille nequaquam se posse procedere responderet, sed usquequaque deficere, uir sanctus pietate qua plenus erat ac fratris miseratione commotus ad solitum se conuertens refugium breuiter orauit ad dominum, ac conuersus ad fratrem ait, Surgite fili et ite ad locum illum et quod ibi inueneritis huc afferte. Surrexit ille quamquam cum multa difficultate et gressu quo potuit ad locum, qui ad iactum lapidis distare poterat, tandem perueniens panem unum miri candoris candidissimis mappis inuolutum reperit, assumptoque eo ad sanctum dei rediit ac de eius mandato de eodem pane comedens ad sufficientiam uires recepit. Interrogatusque a uiro dei an iam fame fugata refectus posset incedere, respondit se et sufficienter refectum et optime posse prosequi ceptum iter, qui paulo ante non poterat se mouere. Surgite ergo inquit fili et residuum panis mappis inuolutum in loco quo inuenistis reponite. Quo facto ceptum iter ire ceperunt. Cum autem aliquantulum processissent frater ad se reuersus ait intra se, Deus meus quis panem illic posuit aut unde illic allatus fuit ? Annon et ego lentus pariter et ignarus, qui nichil super hoc hactenus requisiui ? Tunc ait ad sanctum, Pater sancte panis ille unde allatus fuit aut quis eum illic posuit ? Tunc uerus humilitatis amator et conseruator fratrem interrogauit dicens, Fili comedistis quod sufficit uobis ? Et ille ait, Comedi. Si inquit quod uobis suffecit comedistis, deo gratias agite ut dignum est, et nequaquam amplius inquiratis. Hoc dictus frater Iohannes cui contigit postmodum in Hyspaniam rediens fratribus enarrauit. Qui tandem, associatus fratribus qui de domini pape mandato ob fidem katholicam predicandam Affricam ibant, Marrochium perueniens migrauit ad dominum cursu feliciter consummato.

80 (9). De tunica eius que ignem repressit.

In ciuitate segobinensi fuit quedam mulier deo deuota, apud quam aliquando sanctus dei Dominicus hospitatus saccineam, qua loco cilicii ad tempus usus fuerat, deposuit, inuento asperrimo cilicio et iuxta uoluntatem suam admodum pungitiuo. Quam tunicam mulier multa cum deuotione suscipiens in arca sua inter potiora queque reposuit et diligentius quam regalem purpuram custodiuit. Accidit igitur ut quadam die dicta mulier ad negotium expediendum egrediens solam ac clausam relinqueret domum suam, relicto ibidem siue propter festinantiam siue alia ex causa igne accenso. Quo paulatim inualescente quicquid in pauimento domus erat exustum est, nisi sola arca lignea in qua sancti seruabatur tunica, que in medio incendii posita non solum non arsit sed nec fumo fuit aliquatenus obfuscata. Rediens igitur mulier ac de tam uehementi miraculo obstupescens, primo quidem gratias egit deo et beato Dominico hospiti sue, qui cum tunica sua etiam totam substantiolam suam, quam pene totam in arca habebat repositam, ab incendio reseruauit, ac detentis ad deuotionem tunice manicis partem reliquam fratribus reseruandam tradidit, que usque hodie in conuentu fratrum pro reliquiis conseruatur.

114 (41). Frater quidam in conuentu methensi ab osse quod supercreuerat ei in iunctura que est inter pugnum et brachium grauiter patiebatur in manu, ita ut timeret probabiliter amittere usum manus. Super quo frequenter a medicis et cirurgicis habuit responsum quod non posset curari nisi per incisionem, quod tamen periculosum erat propter uenarum et neruorum ibidem concursum. Contigit autem in uigilia beate Marie Magdalene patrone in conuentu predicto quod duo fratres uenientes de remotis partibus Theutonie hora qua parabatur altare post nonam introirent chorum ad benedictionem. Frater autem qui patiebatur in manu unus erat de parantibus cum sacrista. Qui dimittentes altare fratribus benedictionem dederunt et surgentes a benedictione dixerunt, Detulimus nobiscum de pulueribus beati Dominici patris nostri. Frater autem ille qui patiebatur in manu audito nomine beati Dominici et aduentu reliquiarum eius

repletus deuotione et mentis exultatione non modica cepit dicere corde et ore, Pater pater bene ueneris ad nos, et sequendo fratres sacras reliquias ad altare deferentes plaudens manibus post eos incessanter, Pater pater bene ueneris clamitabat. Et accedens ad altare, reliquias accipiens cum duabus manibus et eas deosculans subito est ab ossis illius periculo liberatus, et cum recederet ab altari uidens quasdam immunditias circa lampadem in medio chori tangendo et mundando lampadem manus aliquantulum sordidauit. Et uadens ad lauatorium dum manus lauaret sciuit tunc primo ab ossis illius periculo se curatum, et pre gaudio illotis manibus currens ad priorem qui erat in capitulo curatum in aduentu reliquiarum beati Dominici se ostendit.

Quod cum esset mirabile in oculis fratrum et diuulgaretur per domum, frater quidam decumbens in infirmitorio, qui tortionibus uentris grauissime torquebatur, hoc audiens petiit deuote sacras reliquias beati Dominici sibi deferri et ad tactum earum alleuiatum se a suis doloribus asseruit et sanatum.

115 (42). De quartana ad eius inuocationem fugata.

Quidam frater conuersus in conuentu eodem febre quartana diutissime laborans et iam grauissime afflictus et ualde turpiter habens caput inflatum, dum in uigilia primi festi beati Dominici horam sue accessionis expectaret, prior eum uisitauit. Et dum quereret ab eo, Frater quomodo uobis est ?, respondit, Accessionem meam expecto. Et prior ad eum, Potens est dominus meritis beati Dominici uos ab hac et ab aliis accessionibus misericorditer liberare. Et frater conuersus ad priorem, Credo firmiter quod si uos preceperitis febri ex parte dei et ex parte beati Dominici ne me amplius uexaret quod curarer. Tunc prior sumpta de dei bonitate et meritis beati Dominici fiducia imperauit febri quod dimitteret eum et ne amplius affligeret fratrem illum, et continuo dimisit eum febris nec illam accessionem nec aliam sensit postea frater ille. Similiter et ab inflatione capitis est plene liberatus. Et hec retulit prior predictus frater Iacobus, uir magne fame, magistro ordinis.

ÉTIENNE DE BOURBON
TRAITÉ SUR LES MATIÈRES PRÊCHABLES
(extraits)
(p. 1115-1135)

Le traité a d'abord été édité sous forme d'extraits par Albert LECOY DE LA MARCHE, *Anecdotes historiques, légendes et apologues tirés du recueil inédit d'Etienne de Bourbon dominicain du XIIIe siècle*, Paris : Librairie Renouard, 1875.

L'édition critique par Jacques Berlioz est en cours. Sont parus : STEPHANI DE BORBONE, *Tractatus de diversis materiis predicabilibus*. Prima pars. *De dono timoris,* CCCM 124, Turhout *:* Brepols, 2002 ; Secunda pars. *De dono pietatis,* CCCM 124A, Turnhout : Brepols, 2015 ; Tertia pars. *De dono scientiae*, CCCM 124B, Turnhout : Brepols, 2006 .

Nous nous sommes fondés pour les trois premiers dons sur l'édition critique publiée de Jacques Berlioz (CCCM 124, 124A, 124B), qui nous a généreusement fourni son édition, toujours en cours, préparée en collaboration avec Christine Boyer, du don de force, et celle préparée en collaboration avec Luc Ferrier, du don de conseil.

Prologus

Quomodo beatus Dominicus apud omnes habundabat exemplis.

Propter hanc tantam utilitatem exemplorum, ille tantus zelotypus animarum salutis, beatus pater noster Dominicus, apud omnes et de omni materia habundabat in loquendo uerbis edificatoriis et exemplis, ut dicitur in Vita ipsius, in epilogo uirtutum ipsius, ubi legitur sic : Vbicumque conuersabatur beatus Dominicus, siue in uia cum sociis, aut in domo cum hospite reliquaque familia, aut inter magnates et principes uel prelatos, semper effluebat edificationis sermonibus, habundabat exemplis, quibus ad amorem Christi seculive contemptum audientium animos inuitabat ; et uix ipsa communis eius locutio a uirtutis pondere uacua erat.

1. De dono timoris

Quintus titulus de timendo purgatorio futuro

Capitulum VI : Quod pena purgatoria timenda sit propter qualitatem tortorum et paucitatem subvenientium

Qualis apparuit beato Dominico.

Item, de horrore demonum, de quo supra, audivi a fratre Romeio, viro perito et religioso, qui aliquando fuit prior provincialis fratrum Predicatorum in provincia Provincie, et in Legenda nova beati Dominici legitur, quod cum dictus sanctus predicasset apud Fanumiovis contra hereticos, cum esset in ecclesia orans, accesserunt ad eum ix matrone procidentes ad pedes eius et dicentes : « Serve Dei, illos homines contra quos predicas usque modo credidimus et vocavimus bonos homines ; et cum adhuc vacillemus, rogamus te ut Deum roges, ut ostendat nobis in qua fide salvemur, cui adhereamus. » Tunc, cum aliquamdiu apud se orasset, ait eis : « State intrepide ; ostendet vobis Dominus cui domino hactenus servivistis. » Et hiis dictis, catus teterrimus in medio earum prosiliit, habens quantitatem unius magni canis et oculos grossos et flammantes, linguam latam et longam et sanguinolentam et protractam usque ad umbilicum, caudam curtam sursum protensam ; posteriorum turpitudinem, quocumque se verteret, ostendebat ; de quibus fetor intolerabilis exhalabat. Cum autem per horam aliquam circa illas matronas huc illuc se

vertisset, ad campanule cordam prosiliens ascendit, post se feda vestigia derelinquens. Ille autem a sancto confortate, ad fidem catholicam perfecte sunt converse, et quedam earum apud Prulianum sororum habitum assumpserunt.

2. De dono pietatis
Primus titulus de verbo dei
Capitulum VI

X° incendit. Ps. Ignitum eloquium tuum vehementer. Eloquium Dei inflammavit eum. Iere 23 f. Numquid uerba mea sunt quasi ignis ardens ? Prou, 30b : Omnis sermo Dei clipeus ignitus. Ideo de Helya dicitur, Eccli. XLVIIIa, quod surrexit quasi ignis et uerbum illius quasi facula ardebat. Ideo dabatur Spiritus Sanctus in linguis igneis, Ac. 1, propter ignitum eloquium designandum.

De beato Dominico in figura catuli sibi monstrato.

De beato Dominico patre nostro dicitur in Legenda eius quod uidebatur matri eius pregnanti quod habebat in utero catulum, facem in ore portantem et mundum inflammantem ; quod fuit ei signum quod filium haberet qui lupos hereticos impugnaret, gregem seruaret, uitiis oblatraret et linguam medicinalem haberet et facem igniti eloquii portaret quo mundum illuminaret et inflammaret.

Capitulum VIII

In vita beati Dominici, de Didasco episcopo dimittente equos exemplum.

Item, cum Dydascus, Ozoniensis episcopus, uenisset ad terram Albigensium cum summariis et equis episcopalibus et audiret terram infectam, predicauit in quodam castro contra hereses. Heretici autem assurexerunt contra eum, non habentes fortius argumentum ad defensionem sui erroris sicut fastum apparatus episcopalis. Et dixerunt suis credentibus : "Isti et suis similibus quomodo potestis credere, qui uobis predicant Christum humilem et pauperem cum tanto fastu, diuitiis, somariis et equitaturis? Nos autem, dixerunt, predicamus in paupertate et humilitate et abstinentia : que ore uobis diximus, opere exhibemus." Confusus ad hoc, episcopus equos et fastum dimisit et paratum remisit, et pedes cum beato Dominico, et pauper in terra illa predicare cepit. Et hec fuit causa ordinis nostri instituendi. Et hoc audiui a prioribus fratribus qui cum beato Dominico in terra illa fuerunt.

Quintus titulus de diversis effectibus, comparationibus et exemplis crucis et passionis Christi.

Capitulum IX

De alluvie beati Dominici.

Cum beatus Dominicus de Roma ueniret cum fratre Bertrando et irrueret super eos tempestas aque, signum crucis dictus sanctus opposuit quod eos, quasi sub papilione, ab ista alluuione contexit intactos, cum undique circumquaque pluuia ita inundaret.

Sextus titulus de beata Maria
Capitulum XVII : quod temptationes carnis refrigerat

Exemplum ad hoc de liberatione magistri Reginaldi ab infirmitate et incentivo.

Item, legitur in Vita beati Dominici quod cum magister Reginaldus, decanus Aurilianensis, ei deuotus, Rome laboraret in extremis et esset ab omnibus medicis quasi desperatus relictus, apparuit ei beata Virgo cum duabus puellis, quarum altera portabat ordinis Predicatorum habitum, qui ordo nouus erat et incognitus, et altera unguentum quem inunxit beata Virgo supra membra singula, exprimens certam formam uerborum, et ostendit ei habitum ordinis predicti, quem monuit eum suscipere. Et cum pedes inungeret, dixit Virgo : "Vngo tibi pedes in preparatione ewangelii pacis" ; cum renes, dixit : "Constringantur renes isti cingulo castitatis", et promisit ei quod die tertia rediret et plenam sanitatem ei daret. Cum autem die tertia, coram dicto magistro esset beatus Dominicus et quidam frater hospitalarius, affuit beata Virgo que etiam non solum liberauit dictum Reginaldum ab infirmitate corporis, sed a temptatione carnis, ita ut postea factus frater Predicatorum ordinis et egregius predicator, primum etiam motum carnis ex ipsa unctione eius non sentiret ut ipse postea fuit confessus.

Capitulum XX : Quod in tribulatione confortat, maxime in morte.

De beato Dominico ad celum evolato per duas scalas.

Item, legitur in uita beati Dominici qui multum fuerat ei deuotus quod illa hora qua migrauit ad Dominum, frater Guala prior tunc Bricie fratrum Predicatorum, postea episcopus eiusdem urbis, uidit duas scalas a terra usque ad celum prominentes. In ymo earum erat beatus Dominicus. Harum capita et summitates <unius> Dominus Ihesus Christus tenebat, alterius uidelicet beata Virgo summitatem, et paulatim sursum ferebant eas, et per eas in celum cum eis et in eis beatum Dominicum eleuabant. Et hoc uidit in Bricia dictus frater illa hora et die qua beatus Dominicus migrauit apud Bononiam, et hoc predixit.

Titulus septimus de operibus misericordie
Capitulum XI : De visitatione et misericordia incarceratorum

De beato Dominico.

De beato Dominico audiui a domino Bartolomeo de Clusa archidiacono Matisconensis et canonico Carnotensi - a quo etiam audiui, quod ei Rome fuit confessus et quod ei predixit quod nollet intrare ordinem, multaque ei, ut dicebat, postea acciderunt - quod ipse beatus Dominicus <cum> esset Rome postquam officium suum audierat, fere singulis diebus, muros urbis circuibat et alia loca ubi erant immurati et eis monita salutis dabat, similis Thobie de quo legitur eiusdem I c : Pergebat per omnes qui erant in captiuitate et monita salutis dabat eis.

De eodem.

Item, de eodem beato Dominico dixit mihi idem archidyaconus quod cum ipse esset Rome canonizatus, et ipse presens esset in canonizatione beati Dominici, cum ipse esset tunc Tripolitanus cantor et deberet transfretare, rogauerunt eum fratres predicatores, qui tunc erant Rome, quod ferret litteras canonizationis beati Dominici ad fratres transmarinos. Quod cum faceret, in quodam loco cum applicuisset, submersa est nauis et omnia que erant dicti archidiaconi cum aliis, et quecumque erant in eius cophinis repleta sunt <aqua> in qua diu

iacuerunt et lesa. Littere autem dicte inuente sunt illese sole ab aqua in qua diu iacuerant in medio aque, ac si eas aqua omnino non tetigisset.

3. De dono scientie
Titulus quintus de discreta satisfactione
Capitulum primum

Contra carnis concupiscentiam est carnis afflictio, vel ex duritia et asperitate lectorum, ut faciebant Helyas, et Iohannes Baptista, et Paulus primus Heremita, qui pro lecto molli cubabant in antris, et beatus Germanus Autissiodorensis, et beatus Dominicus qui super duram humum [cubabant].

Titulus septimus de oratione satisfactoria
Capitulum I

Item de beato Dominico audivi a quodam fratre quod cum ipse per maximam partem noctis pernoctasset apud Bononiam in oratione, tunc ascendebat super quasdam caulas vinimeas que erant iuxta lectum dicti fratris. Cum autem audiret gemitus crebros eius et rugitus, et numquam ita tarde intraret lectum quod eum ibi inveniret, nec ita cito surgeret, tunc quesivit a quodam alio fratre quod poterat hoc esse ; qui dicebat ei quod erat beatus Dominicus qui ibi, cum esset prope matutinas, veniebat ad aliquantulum pausandum.

Decimum <capitulum>

Item audivi et in Legenda nova legitur, de oratione beati Dominici et pane misso, quod cum beatus Dominicus esset in conventu fratrum nec haberent panem quem servitores fratribus preponerent, sanctus dictus in Domino confisus sedit ad mensam vacuam et fecit fratres sedere. Cum autem videret mensam a pane omnino vacuam, inclinavit caput ad orationem. Quo orante, intraverunt per refectorium homines speciosissimi, apportantes cophinos plenos panum candidissorum; quibus depositis, inclinantes recesserunt.

<Octavus titulus> de perseverantia
<Capitulum> primum

De monacho et drachone.

Legitur in Vita beati Benedicti quod cum quidam monachus, eius leuitate animi ductus, exuisset ordinem et recederet, vidit drachonem uolentem eum deuorare. Cui cum clamaret et fratres aduenirent, liberatus orationibus sancti Benedicti, rediens, perpetuam stabilitatem promisit et seruauit. Idem fere est in vita beati Dominici qui quosdam fratres vidit a drachone absordendos, qui postea ordinem exierunt, quorum aliquos orationibus revocavit.

4. De dono fortitudinis

Septimus titulus de septem viciis et eorum speciebus, et primo de superbia.

De fratribus deuoratis a drachone per uisionem beati Dominici.

Item, de beato Dominico legitur quod cum edificaret quemdam fratrum conuentum in Hyspania, uidit in uisione quod quidam dracho magnus absorbebat quosdam de fratribus quos secum habebat et quos uiderat absortos per uisum. Vidit absorberi per effectum quia ipsi ab ordine egressi per inobedientiam a dyabolo sunt absorti. Hos autem per orationes sedulas beatus Dominicus cito postea a faucibus demonis ad ordinem reuocauit.

De monacho quem dracho uolebat absorbere

Item, in uita beati Benedicti et II Dyal. XXV dicitur quod cum quidam iuuenis leuis moribus factus monachus, dissuadente beato Benedicto et corripiente, exiret ordinem, in itinere drachonem uolentem se deuorare inuenit et magna uoce clamare cepit : « Succurite fratres ! » Quibus aduenientibus eum clamantem pro drachone audierunt et trementem et palpitantem secum reduxerunt, drachonem autem ipsi non uiderunt. Reductus autem promisit se numquam de cetero a monasterio regressurum.

De heresi

Item, probat etiam aliquando Dominus fidem per ignem et approbat heresi reprobata sicut legitur fecisse tempore beati Dominici in terra Albigentium in qua, cum conuenissent heretici disputantes contra catholicos coram iudicibus communibus et multa essent uerba hinc et inde, de mandato iudicis quilibet libros scripserunt inter quos iudex preelegit rationes beati Dominici. Et cum adhuc uacillarent iudices, consenserunt ut fieret ignis in medium et proiecerentur in eo duo libelli, ille beati Dominici et alius qui uidebatur melioribus fultus rationibus ex parte hereticorum ut ignis probaret que fides melior et certior esset. Cum autem liber beati Dominici proieceretur, resiliuit ter illesus ; liber autem heretici continuo ut iniectus est totus combustus est.

Undecimus titulus de avaritia

De usura

Item, legi in libro cuiusdam antiqui fratris quod in Lombardia uisitauit ad preces aliquorum quemdam legistam magnum aduocatum et usurarium, quem grauiter infirmum rogauit in presentia sacerdotis quod usuras suas restitui preciperet beatus Dominicus. Qui nolebat acquiescere, dicens quod filios et filias nolebat pauperes relinquere, et ideo recessit sanctus Dominicus cum aliis et cum corpore Christi. Confusi autem sunt amici, rogauerunt eum ut promitteret usquequo communionem reciperet et ne christina sepultura careret quod fecit, sic eos decipere credens. Eis autem recedentibus, postquam communionem receperat, cepit clamare se totum succendi et quod posita erat gehenna in os eius : « Ecce totus ardeo ! » et eleuata manu, dicebat : « Ecce tota ardet ! » et sic de aliis membris, et sic mortuus et consumptus est.

Tredecimus titulus de vicio gule

Hoc faciebant sancti contra ebrietatem, nihil uinum omnino non bibebant uel ualde temperate eo utebantur ad nature indigentiam, sicut legitur de beato Dominico qui per decennium cum uinum non bibisset, postea cum propter stomachi frigiditatem ab episcopo suo bibere compelleretur, ita linfatum bibebat quod uix uini saporem retinebat.

5. De dono consilii
Secundus titulus de temperancia
De amore paupertatis

Dominus pauperes spiritu secum recipit in domum suam, et, quia propter eum hic sustinuerunt ignominiam et penuriam, ibi habebunt abundanciam omnium bonorum.... Ad hoc etiam facit hoc quod frater Guala vidit, cum esset prior in Brisia civitate, cujus fuit episcopus, animam beati Dominici in transitu suo inter duas scalas sedentem in celum recipi, quarum alteram beata Maria, mater Domini, sursum manibus trahebat, filius ejus Jesus alteram, angelis per eas ascendentibus et descendentibus et psallentibus. Merito autem celos optinuit, qui, cum nil haberet terreum (tantum [erat] amor paupertatis), testamentum fecit et fratribus suis erogavit perpetuo ista tria jure hereditario possidenda, scilicet charitatem, humilitatem et paupertatem, inhibens fratribus suis ne aliquibus terreis possessionibus votum paupertatis in posterum fedarent, quod emiserant et ordinem elegerant paupertatis.

Item, eadem die et hora quod beatus pater Dominicus migrauit ad Dominum, frater Raon subprior et frater Tancredus, de urbe recedentes alibi, hora sexta, cum vellent celebrare, dictus Raon rogatus est a fratre Tancredo quod patris Dominici, quem audierat infirmari apud Bononiam, in canone suo haberet memoriam orando pro eo. Qui [cum] hoc sollicite faceret, in loco ubi in missa fit memoria pro vivis, raptus in spiritu, vidit manifesta visione beatum Dominicum hinc inde a reverendis viris et splendidis cum maximo fulgore ad partem dexteram deduci, laureatum coronaque aurea decoratum ; qui missam finivit, et inquirens invenit quod eadem hora, sexta scilicet, et feria sexta, beatus Dominicus migraverat ab hoc mundo ; qui eciam manu sua scripsit sicut hoc dixit.

THOMAS DE CANTIMPRÉ
LE BIEN UNIVERSEL TIRÉ DES ABEILLES
(extraits)
(p. 1139-1143)

Thomæ Cantipratani S. Theol. Doctoris, Ordinis Prædicatorum et Episcopi suffraganei Cameracensis Bonum universale de apibus, ed. Georgius Colvenerius, Duaci : Ex typographia Baltazaris Belleri, 1627.

Nous nous sommes servis de l'édition de Douai de 1627, et avons procédé à certaines vérifications à partir du manuscrit Paris, BnF, lat 14535.

Liber primus : De prelatis
Capitulum nonum.

3. Quomodo Parisiis fratres Prædicatores visitavit, & ad quid institutus sit ordo Prædicatorum.

Hic [Conradus] cum legatus in Allemaniam, vnde nobilissime natus erat, a sede Apostolica mitteretur, venit Parisios. Et videns fratres ordinis Prædicatorum, qui de nouo illuc aduenerant, visitauit eos. Dubium autem quid gerens de eis, orauit Dominum, vt sibi, ad quid Ordo iste venisset, ostendere dignaretur. Nec mora, oblato & aperto libro, ad quid Prædicatorum ordo venisset responsum est cogitationi eius ; laudare scilicet, benedicere & prædicare. Qui statim effusus in laudem Christi, coram omnibus dixit, Licet alterius professionis sim habitu ; frater tamen vester ero quamdiu subsistam in vita, nec vlla vnquam a vobis aduersitate diuellar.

4. Ratio nominis ordinis Prædicatorum.

Et hinc quidem nacta occasione, videndum est, Predicatorum ordo qualiter tali nomine sit vocatus. Cum enim Ordo confirmari ab Apostolico debuisset, precepit notario, vt in inscriptione ordinis fratres Prædicantes poneret. Qui ordinans litteram confirmationis, fratres Prædicatores posuit recto modo. Littera ergo inspecta, Apostolicus dixit Notario, vt quid, secundum quod tibi dixeram, non posuisti fratres Prædicantes ; sed Prædicatores ponere voluisti ? Tunc ille constanti vultu respondit. Prædicantes, inquit, nomen est adiectiuum, licet participio substantiuari posse concedatur, & est commune nomen in actu : Prædicatores vero nomen est proprie substantiuum, & est nomen verbale simul & personale, in quo nomen officii manifestissime declaratur. Vide ergo, lector, quam veridice notarius ad obiecta responderit. Prædicans enim numquam significat rem suam, nisi per modum actus ; Prædicator vero significat rem suam per modum habitus, licet non sit semper in actu : & ideo debuit poni congrue Prædicator. Consentiente ergo domino Apostolico euidentissimæ rationi, Ordo intitulatus est nomine Prædicatorum, & inter Cardinales solemniter confirmatus.

Liber secundus de inferioribus

Capitulum primum

Quomodo in elevatione corporis sancti Dominici subito a pedibus ad caput semel iterumque translatus sit.

Praeterea fratre ordinis praedicatorum narrante cognovi, dictum fratrem Ioannem venerabilem elevationi corporis Dominici cum ceteris fratribus in Bononia interfuisse. Posito autem quodam episcopo Cardinali ex parte capitis in elevatione corporis sacri, dictus frater Ioannes positus est ad pedes. Et subito facta est mirabilis et inexcogitabilis conversio. Ut ipse frater ad caput, episcopus vero ad pedes subito videretur. Repositus est autem episcopus ad caput et frater ad pedes; iterumque subito conversio facta est, stupentibus universis. Quis autem dubitat, in hoc facto sancti viri merita divino iudicio placuisse, qui eum in digniore parte corporis sacri episcopo praetulit collocandum ?

Capitulum X

Privilegia non impune damnata

Quidam nostro tempore papa, cuius nomen propter sanctae sedis reverentiam silentio pertransimus, cum, sicut ab illis indubitanter accepimus, qui Romae in curia tunc fuerunt, litteras dedisset contra privilegia a seipso et suis predecessoribus, quatuor apostolicis, obtenta duorum ordinum, quorum unum per Zachariam prophetam conditor ab eterno decorem vocavit, predicatorum scilicet, alterum vero funiculum, quo lucidissime intelligas et minores, eadem die paralysi percussus obmutuit nec umquam postea invaluit aut surrexit. Qui etiam a quodam sanctissimo viro extra muros urbis Romae, manifestissime visus est mortuus dari sanctis Dei Francisco atque Dominico iudicandus.

BERNARD GUI
PRÉAMBULE AU DOSSIER SUR L'HISTOIRE DE L'ORDRE DES PRÊCHEURS
(p. 1151-1156)

STEPHANUS DE SALANIACO et BERNARDUS GUIDONIS, *De quatuor in quibus Deus Prædicatorum ordinem insignivit*, éd. Th. Kaeppeli, MOPH XXII, Roma : Istituto Storico Domenicano, 1949, p. 3-6.

[Lettre de Bernard Gui à Aymeric de Plaisance]

Preambulum ad sequentia.

Reverendo patri in Christo fratri Aymerico, magistro ordinis fratrum Predicatorum, fr. Bernardus Guidonis, in conventu fratrum eiusdem ordinis in Castris sancti Vincentii servus modicus, obedientie debite munus exiguum sed devotum.

Iussum vestrum, promissum meum, nuper a vobis tamquam a patre filio impositum vobisque a me oblatum ut debitum in capitulo generali Tholosano, de hiis que subiecta sunt fui sollicitus adimplere, eo maiori desiderio quo cupio a melioribus que desunt suppleri et perfici et adici potiora ac optans pariter et expectans ut per vestram paternam sollicitudinem, quam circa hec et similia religioni devota vicinioraque saluti animadverti deditam et intentam, sic debeat in posterum provideri, ut de toto Predicatorum ordine, cui inibi prefici vos vidimus loco dei, colligantur que superaverunt fragmenta memoria et laude digna, ne oblivione omnino pereant aut neglectu, quibus refici queant esurientes pauperes et nutriri habeantque devoti in quibus sua devotio amplius augeatur, indevoti vero unde tepor accendi et pigritie torpor valeat excitari, cuncti quoque noverint sui status primordia et progressus et circa ipsum agnoscant clarius divine clementie bonitatem. Hec autem sunt que subiecta sunt :

Primo tractatus quidam brevis religiosi viri vite venerabilis fratris Stephani de Salanhaco, mee Lemovicensis dyocesis, de quatuor in quibus deus Predicatorum ordinem insignivit, quem de manu sua conscriptum, nondum tamen ad plenum usque digestum neglectumque ab omnibus curavi sollicite recolligere ne periret, cum videretur penitus derelictus, ipsumque compingens quasi noviter reformavi. In quo secundum exigentiam materie nonnulla que obmissa fuerant et plura que postmodum evenerunt superaddidi locis suis, prout ipsemet in principio innuit faciendum et de similibus fieri poterit in futurum. Addita vero sepius in margine sunt signata.

Secundo addidi tractatum novum de tribus gradibus prelatorum in ordine Predicatorum.

Ubi primo compigitur catalogus magistrorum ordinis successive.

Secundo series et ordo priorum provincialium in provincia Provincie quondam, nunc vero in provincia Tholosana, in quibus de singulis quedam propria sunt notata que communiter alicubi non habentur. Que omnia tam de magistris quam de prioribus provincialibus recollegi partim ex quibusdam que legi in diversis gestis beati Dominici patris nostri, quorum gestorum compilationes quinque penes me habebam in uno collectas volumine sed distincte, et in actis capitulorum que prius in unum collegeram quantum potui reperire, et in quibusdam ab aliis prenotatis ; quedam vero fideli relatione et attestatione didici seniorum. In singulis autem annos et tempora annotavi, quantum scivi et potui invenire.

Tertio vero loco priorum conventualium XXVII conventuum fratrum et trium monasteriorum sororum ordinis, qui tantum remanent in provincia Tholosana, numerus et ordo

subnectitur seriatim, in singulis fundationis locorum tempore primitus prenotato de hiis que usque nunc potui invenire.

Quarto quoque loco numerum et nomina conventuum fratrum ac monasteriorum sororum in singulis provinciis totius ordinis recollegi.

Quinto vero acta capitulorum generalium et provincialium nostre provincie que ab initio usque in presentem annum potui reperire in uno conscripsi volumine ex diversis antiquis rotulis et quaternis colligens cum multo tedio et labore.

Suscipiat igitur vestra paternitas quod iniunxit et ea que minus bene, aut si qua male posita noverit, corrigat et emendet, in omnibus enim desidero suppleri que desunt et que non edificant emendari ab hiis qui noverint plenius que ignoro et attigerunt perfectius ad que ego nondum potui pervenire. Et ob hoc in plerisque locis spatia vacua sunt dimissa, hoc unum optans et supplicans ut de hiis que de toto cui presidetis ordine colligi facietis, sicut mentem vestram circa hoc a vobis Tholose in diffinitorio memini me audisse, diffinitoribus assistentibus hinc et inde, copiam habere quandoque merear, unde refici valeam esuriens et deficiens in hac via in solamen itineris et laboris.

Datum in Castris sancti Vincentii, dyocesis Albiensis in provincia Tholosana, XI kalendas Ianuarii in crastino beati Thome apostoli anno domini MCCCIV, completis ab ordine Predicatorum in eodem crastino eiusdem apostoli beato Dominico confirmato annis LXXXVIII, nec minus nec amplius una die, magisterii quoque vestri anno primo.

[Réponse d'Aymeric de Plaisance à Bernard Gui]

In dei filio sibi carissimo fratri Bernardo Guidonis, priori conventus sancti Vincentii de Castris fratrum ordinis Predicatorum, fr. Aymericus, fratrum eiusdem ordinis magister licet indignus salutem et augmentum celestium gratiarum.

Leto animo suscepi libellum et litteras quas misistis, laborem vestrum et sollicitudinem approbans et commendans. Sed ille qui nihil sinit transire vacuum a mercede quod operis meritorii speciem valeat vendicare, vobis in excelsis retribuat habundanter. Si autem aliqua spectabilia de nostris fratribus mihi undecumque fuerint presentata, vobis ad vestram consolationem copiam faciam, ut vestra diligentia postulavit. Et vos semper talia componere sitis sollicitus et attentus, si optulerit se facultas. Valete et orate pro me.

Datum Ianue VIII kalendas Iulii anno domini MCCCV.

ÉTIENNE DE SALAGNAC - BERNARD GUI :
LES QUATRE FAITS PAR LESQUELS DIEU A DISTINGUÉ L'ORDRE DES PRÊCHEURS

(extraits)

(p. 1160-1178)

STEPHANUS DE SALANIACO et BERNARDUS GUIDONIS, *De quatuor in quibus Deus Prædicatorum ordinem insignivit*, éd. Th. Kaeppeli, MOPH XXII, Roma : Istituto Storico Domenicano, 1949, p. 7-19.

Incipit tractatus brevis fratris Stephani de Salanhaco, Lemovicensis dyocesis, de quatuor in quibus deus Predicatorum ordinem insignivit.

Sunt autem plura superaddita quam inventa fuerunt in eodem, que obmissa fuerant vel que postmodum evenerunt et addi etiam poterunt in futurum secundum exigentiam materie locis suis.

Omnipotens et misericors deus qui ab initio creature nulla secula, nulla tempora, nulla momenta, nulla loca sine testimonio bonitatis sue reliquit, tempore preordinato a se ordinem fratrum Predicatorum produxit, quem bono ac strenuo duce, glorioso nomine, illustri prole, securo modo professionis et vite dono sue gratie insignivit, de quorum quatuor singulis pauca notavi. In quo si alicui videor nimius, sciat me conscientia teste minus a veritate dixisse ; si vero cuiquam visus fuero diminutus, causetur meam tenuem intelligentiam, labilem memoriam, probabilem ignorantiam, ego enim malui hec qualitercumque scribi a me quam a nemine. Erit forsan aliquis qui sumpta occasione ex hiis, aliqua superaddens luculenter et plene ista describet.

I. De primo, scilicet de bono ac strenuo duce.

1. Primus dux et magister ordinis fratrum Predicatorum fuit beatus Dominicus, quasi domini cuppa pio presagio sic vocatus. Fuit enim vas illud novum de quo dixit senioribus Iherico Heliseus IV Reg. II : « Afferte mihi vas novum et mittite in illud sal, et sanabuntur aque et non erit in eis ultra mors et sterilitas ». Heliseus qui salus dei interpretatur est Christus dominus, vas novum pater iste beatus quem sale sapientie salutaris implevit qua aquas, que sunt populi multi, sanavit a morbo peccatorum et resuscitavit a morte multiplici et fructu bonorum operum fecundavit.

2. Attulerunt istud vas beati apostoli Petrus et Paulus qui ad predicationis officium a domino ipsum predestinatum signis iocundissimis ostenderunt, dantes ei librum Paulus et baculum Petrus, quasi geminas claves scientie scilicet et potentie quas ipsi a domino principaliter acceperunt, addentes : Vade et predica, a domino enim ad istud officium es electus.

3. Attulerunt eum gloriosi confessores Augustinus et Benedictus qui ipsum disciplinis regularibus instruentes ad predicationis officium aptaverunt. Sicut enim fuit canonicus professione, sic fuit et monachus conversationis austeritate in ieiuniis, abstinentiis, in vestitu, in stratu, in disciplina silentii et capituli, in ceterisque observantiis contentis in regula beatissimi Benedicti, quas pene omnes, et alias etiam speciales, observandas constituit, quas etiam, sicut beati Augustini regulam profitemur, observavit et filiis tradidit observandas. Superaddidit autem crescente gratia de regula apostolica quod non haberemus possessiones, quod non equitaremus,

quod pedites discurrentes aurum et argentum non portaremus nec haberemus, evangelizantes et operantes salutem hominum, cibo tantum contenti, iuxta illud Luce X : « Edentes et bibentes que apud illos sunt ». In quo etiam supererogare volens vir sanctus a carnibus abstinuit et filios voluit et statuit abstinere, sciens dictum esse stabulario : « Quodcumque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi ». Patet ergo sine invidia iudicanti quod vir iste sanctus fuit canonicus voto professionis, monachus austeritate conversationis, apostolicus officio predicationis.

4. Attulerunt etiam vas istud sancti episcopi Didacus Oxomensis et Fulco Tholosanus, qui eum ad officium sedulo nutriverunt.

5. Attulerunt ultimo summi pontifices Romani Innocentius III et Honorius III, quorum primus divina revelatione edoctus ipsum in sancto proposito confirmavit eique locum sancti Sixti, deinde sanctam Sabinam dedit, secundus vero ordinem liberaliter confirmavit et libertatem audiendi confessiones et predicandi sub bulla et filo serico sibi et sequacibus suis auctoritate sua dedit, omnes passus quos in discurrendo facerent ad predicandum eis iniungens in remissionem omnium peccatorum.

6. Hunc beatum patrem quasi presentem obtulit facto et verbo venerabilis abbas loachim, Florensis ordinis institutor. Facto quidem quia habitum, non quem primo ut canonicus tulit, sed quem a beata Virgine fratrem Reginaldum inungente recepit, fratribus suis ostendit et in quodam monasterio ordinis sui in Calabria depinxit dicens eis : Cito surrecturus est in ecclesia dei ordo novus docentium, cui preerit unus maior et cum eo ac sub eo erunt XII ordinem prefatum regentes, qui sicut patriarcha Iacob cum XII filiis ingressus est Egyptum, sic ipse cum illis XII in illo ordine post ipsum maioribus ingredietur et illuminabit mundum. Cum venerint cum omni honore illos excipite. Quod et faciunt et fecerunt, nam quando primo fratres venerunt ad eos, exiverunt eis obviam cum crucibus et cum canticis spiritualibus et in omnibus locis suis sicut fratres proprios exhibent et pertractant.

7. Et vere pater sanctus fuit Iacob predicando et Israel contemplando, ut nec Lya nec Rachel sibi defuerit in hac vita. Discurrebat enim et mittebat fratres quos ab initio paucos habuit et mediocriter litteratos et ut plures adolescentulos. Unde mirabantur quidam religiosi ordinis Cisterciensis precipue quod tam iuvenes fratres ad predicandum mitteret tam secure ipsosque fratres observabant, si vel in verbis vel in factis reprehendere eos possent. Quod cum diu sustinuisset, sumpta sancta audacia quadam die : Quid, inquit, o Phariseorum discipuli, meos discipulos observatis ? Scio, scio et certus sum quod iuvenes mei ibunt et redibunt, mittentur et revertentur, iuvenes autem vestri claudentur et egredientur.

8. Post obitum gloriosi principis Symonis comitis Montisfortis qui Tholose obiit in exercitu domini anno eiusdem MCCXVII in crastino nativitatis sancti Iohannis Baptiste, cum beatus pater Dominicus fratres dispergeret, fratrem Petrum Cellani, ut ab ipso sepe audivi, quia in manu eius professus sum, Lemovicas destinavit. Cumque ille ignorantiam et librorum penuriam allegaret, nam unum solum quaternum de omeliis beati Gregorii tantum habebat : Vade, inquit, fili et confidenter vade, omni die bis habebo te coram deo et ne dubites : multos acquires deo et afferes multum fructum. Qui post modicum tempus Lemovicas veniens ab episcopo et a capitulo Lemovicensis ecclesie benigne receptus fuit, locum ad habitandum recepit multisque habitum sanctum dedit et in terra sicut unus de prophetis antiquis apud clerum et populum in magna reverentia et honore consenuit. Hic primus post beatum Dominicum huius ordinis frater fuit, de quo adhuc dicetur infra. Circa finem vero dierum Tholosam rediens unde extitit oriundus, sancte in domino diem clausit VIII kalendas Marcii anno domini MCCLVII.

9. Fuit etiam pater sanctus Israel videns deum per contemplationem, quod unico patet exemplo quod de manibus metentium est elapsum. Visitabat beatus pater loca orationum et

corpora sanctorum frequenter et libenter, nec sicut nubes sine pluvia pertransibat, sed illic in orationibus frequenter diem iungebat nocti. Frequentius autem, quotiens oportunitas se offerebat, apud villam que dicitur Castras in dyocesi Albiensi, que est contigua dyocesi Tholosane, divertebat ob reverentiam et honorem beatissimi levite Vincentii cuius corpus absque omni dubio a tempore Karoli Magni et gloriosi regis ibi noscitur et certum est requiescere, sicut plenius tradit historia de hoc scripta per multiplicem revelationem factam, clamant miracula, testatur ecclesia mirabilis illic a fidelibus populis fabricata ; sed et omnis in spiritu ambulans quam cito intrat ecclesiam virtutem sancti spiritualibus sensibus haurit et sentit. In hac ecclesia instituit iuxta morem ecclesie Gallicane nobilis comes Montisfortis memoratus, cum dominabatur in terra, seculares prebendas et fuit ibi prior fr. Matheus qui fuit postmodum in ordine fratrum Predicatorum primus et ultimus abbas.

Huius tunc prioris tempore beatus Dominicus more suo post missas remansit ante altare in ecclesia orans. Cum autem iam ascendisset dies et prandium paratum esset et mensa posita, misit prior unum de clericis qui ad prandium vocaret sanctum. Qui cum intrasset ecclesiam, vidit beatum virum Dominicum totaliter separatum a terra et quasi per medium cubitum in aere elevatum. Tremens et stupens nuntiavit hoc domino suo qui aliquamdiu expectans, tandem ivit et quasi per unum cubitum elevatum vidit et tanto tempore expectavit, quousque a celesti habitatione revertens ad incolatum corporeum ante altare prostratus iacuit. Hoc videns dictus prior post modicum tempus secutus est eum, panem vite et aquam celi sibi et omnibus quos recipiebat promittentem. Hunc enim modum tenebat semper beatus pater quando fratres recipiebat et eis habitum dabat.

Prefatam ecclesiam cum corpore sancti Vincentii habuerunt et intraverunt ad habitandum fratres Predicatores anno gratie Christi MCCLVIII, domino Philippo de Monteforti fortiter id agente.

II. Sequitur de secundo, scilicet de glorioso nomine predicatorum.

1. De nomine glorioso subdendum est. Celebrato siquidem Lateranensi concilio anno domini MCCXV, summus pontifex ordinans quedam circa negotium fidei in partibus Tholosanis agenda et decernens super hiis scribere beato Dominico et hiis qui cum eo erant, accito notario dixit ei : Sede, scribe super hiis fratri Dominico et sociis suis in hec verba. Et stans paululum : Noli scribere, inquit, sic, sed hoc modo : Fratri Dominico et cum eo predicantibus in partibus Tholosanis etc. Statimque aliquamdiu plus considerans : Sic, inquit, scribe : Magistro Dominico et fratribus Predicatoribus etc., et surrexit. Sic dixit dominus, sic scripsit notarius. Nutu dei presens tunc Rome aderat pater sanctus qui audito verbo domini totius mundi, vicarii Iesu Christi, gavisus est gaudio magno valde, nam deinceps in curia et ubique ipse et filii eius ceperunt se fratres Predicatores vocare ceperuntque in curia et ubique ab omnibus sic vocari iuxta illud Ysaie LXII : « Vocabitur tibi nomen novum quod os domini nominavit ».

2. Nomen istud a multis fuerat desideratum, nam tractaverant sepius magni viri, utpote episcopus Oxomensis Didacus et Fulco episcopus Tholosanus et alii, quod ordo aliquis institueretur cuius studium et officium esset contra hereticos disputare ipsosque refellere et preservare oves ecclesie ab eorum faucibus et eripere devoratas. Sed huic qui habebat et meritum huius nominis gloria debebatur et ab illo qui prout vult gratias et glorias dividit sue dono gratie servabatur. Siquidem iuxta verbum beati Ambrosii: « Affectus tuus operi tuo nomen imponit ». Que duo, scilicet affectus et opus, in visione catuli faculam ardentem in ore ferentis mundumque succendentis matri sue divinitus sunt ostensa : affectus siquidem in facula ardente, opus in cane.

In canibus designantur predicatores quorum dux et pater ipse est, illorum precipue de quibus in Psalmo scriptum est: « Convertentur ad vesperam », mundi, dicit glossa, « et famem patientur ut canes », pro aliis convertendis, « et circuibunt civitatem », glossa dicit : munient ecclesiam contra impugnationes hereticorum . Ad hoc laboravit ipse quantum scivit et potuit. Ac zelus eius atque dilectio in facula monstrata sunt, ipse siquidem surrexit ut ignis et spiritualiter et corporaliter instar magni Helye, de quo scribit Epiphanius in libro quem fecit de ortu et obitu prophetarum hoc modo: « Helyas Thesbites de tribu Aaron manens in Galahat, Thebim enim edificium sacerdotum erat, dum nasciturus esset, venerunt viri candidati et vidit pater eius quod salutarent eum et in igne eum quasi incunabulorum pannis involverent et flamma eum cibarent ; veniensque nuntiavit hoc in Ierusalem et accepit responsum : Noli timere, quia erit habitatio eius in lumine et sermo eius fixa sententia et iudicabit Israel in gladio et igni. » Et certe beatus Dominicus in lumine gratie baptismalis immobiliter habitavit, sermo eius fixa sententia fuit, iudicavit quoque in gladio et igni spiritualiter et etiam corporaliter.

3. Quando namque ultimo de Tholosa recessit et fratres dispersit anno domini MCCXVII in die Assumptionis beate Marie, apud Prulianum – illuc enim fratres vocaverat et inde eos ad diversas provincias misit paulo post obitum comitis Montisfortis – indutus sacris vestibus in fine sermonis dixit multis qui de diversis locis convenerant, nam locus devotionis ab antiquis temporibus extitit ob honorem beate Virginis Prulianum : Multis iam annis cantavi vobis dulciter predicando, obsecrando, plorando, sed dicitur in terra mea vulgariter : Ubi non valet benedictio, valeat baculus. Ecce concitabimus adversum vos principes et prelatos qui, heu, convocabunt adversus terram hanc gentes et regna et multos in ore gladii interficient, turres diruent, muros precipitabunt et destruent vosque omnes, pro dolor, in servitutem redigent et sic valebit bagols, idest baculi fortitudo, ubi non valuit benedictio et dulcedo. Que, heu, omnia vidimus et videmus, eodem enim tempore Ludovicus Philippi regis Francie filius crucem resumpsit.

4. Anno quoque canonizationis beati Dominici, scilicet anno domini MCCXXXIV, in primo festo ipsius celebrato Tholose, post missam antequam sederemus ad mensam, revelavit dominus pudenda meretricis magne hereseos in Tholosa. Cum enim dominus Gregorius papa IX commisisset inquisitionem hereticorum in partibus Tholosanis priori provinciali fratrum Predicatorum et fratribus per totam terram comitis Tholosani, dictus comes Raymundus fraudulentis promissionibus et inductionibus ac persuasionibus virulentis retardavit eos ac distulit per biennium vel circa. Cumque tandem fr. Guillelmus Arnaldi inquisitor vellet procedere, ita contegebant se et obvolvebant, sicut de pennis et scamis Leviathan scriptum est, quod ex nulla parte perfodere parietem poterant qua abhominationes monstruosissimas et horrendissimas penetrarent. Ecce autem celebrata maiori missa a domino episcopo Tholosano fratre Raymundo, cum iam lotis manibus sedere vellet ad mensam in refectorio, nuntiatum est quod quedam magna matrona Tholosana, stipata filiis, fratribus et amicis moriebatur in manibus hereticorum et hereticata prope domum fratrum Predicatorum. Cucurrit quam citius et rem ita invenit per confessionem heretice eligentis et petentis in fide hereticorum mori et salvari. Quam mox hereticam iudicavit et condemnatam curie seculari reliquit. Officiales curie mox eam ad ignem deferri in lecto in quo egrotabat fecerunt et hilariter combusserunt. Episcopus cavens prudenter quod contingere poterat, ad aulam suam abiit et comedit et licet predicaturum se promisisset post prandium populo, supersedit. Cumque post nonam quasi infinitus populus convenisset, ex improviso surrexit prior fratrum Predicatorum, fr. Poncius de sancto Egidio, vir religiosus et in hiis que dei sunt animosus, proponens illud Ecclesiastici XLVIII : « Surrexit Helyas quasi ignis et verbum illius quasi facula ardebat » et adaptans festo et sancto ac etiam presenti negotio verba sua, in fine convertit se nutu et gestu ad orientem et occidentem, ad aquilonem et ad meridiem,

quanta voce poterat contra quamlibet partem clamans et sepius iterans : Ex parte dei et beati Dominici servi sui diffido ab hac hora hereticos et credentes et fautores eorum. Iterumque clamabat : Adiuro ex parte dei catholicos quod deposito timore perhibeant testimonium veritati, et tacuit. Testor deum : infra septem dies venerunt multi quibus mediantibus aperta est via inquisitoribus ad abscondita tenebrarum et usque ad vesperam mundi deinceps non claudetur. Qui hec omnia vidit, hec scripsit. Quorum alii heresim abiurabant, alii lapsus suos in foveam hereseos confitebantur et redibant ad ecclesie unitatem, alii alios detegebant et se detecturos tempore congruo promittebant. [Et quatenus in negotio inquisitionis est processum quod…]

5. Die hanc beati patris sollemnitatem primariam precedente contigit me habere obvium in Tholosa devotum virum fratrem Aymericum de Sollempniaco, Cisterciensis ordinis, cum multis monachis de Grandisilva. Quem, quia antiquus socius et fidelis amicus beati Dominici fuerat, in domo domini Fulconis episcopi Tholosani instanter rogavi quod ad festum veniret in crastino celebrandum. Qui exultans in spiritu, spiritualis enim vir erat et sanctus, dixit : Omnipotens deus, gratias ago tibi, quia glorificas servum tuum dominum Dominicum, quia tota hac nocte fui per spiritum in visione cum eo et more solito post caritativa oscula, post divina colloquia mutuo habita obnixe rogabat et omnino iniungebat quod hodie ad domum filiorum suorum venirem et sue curie interessem, solemnis enim futura erat valde. Et ecce veniam leto animo et adero cum gaudio et exultatione. In crastino venit cum multis et munera orationum et laudum obtulit, honorans deum in sancto suo.

6. Dominus quoque Gregorius papa IX qui eum catalogo sanctorum ascripsit, sanctitati eius testimonium perhibens, cum de ipso canonizando coram ipso et dominis cardinalibus tractaretur, adeo parum de ipsius sanctitate dubitare se dixit sicut de sanctitate Petri et Pauli. Ideo de verbo ad verbum in littera canonizationis ad universos directa de ipso sic dicit : « Etate crescente crevit et gratia. Quandoquidem inexplicabile gaudium de zelo concipiens animarum ad eloquia [Dei] dedit animum et per evangelium Christi multos generans, in conversatione tam strenue multitudinis evangelice dignitatis officium profitentis, nomen et opus in terra meruit habere maiorum. Pastor et dux in populo dei factus, novum Predicatorum ordinem instituit meritis et ordinavit exemplis, nec confirmare desiit miraculis evidentibus et probatis ». Hucusque sunt verba summi pontificis, qui nomen operi et opus nomini signanter adiunxit, sicut et salvator Matth. V : « Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur ». Quasi dicat: Qui sancte vixerit et recte docuerit, magno nomine dignus erit. Non est casu factum nec temerarie usurpatum hoc nomen, a beato Gregorio olim predictum, cum exponeret illud Luce XIV : « Misit servum suum », ab Innocentio papa III successore suo impositum, a Gregorio IX approbatum et confirmatum, a sancto patre Dominico ardentibus desideriis, orationibus lacrimosis et multiplicibus meritis gloriosis obtentum.

BERNARD GUI
TRAITÉ SUR LES TROIS DEGRÉS DE PRÉLATS DANS L'ORDRE DES PRÊCHEURS (extraits)
(p. 1181-1198)

Bernardi Guidonis scripta de sancto Dominico, éd. Simon TUGWELL MOPH XXVII, Romae : Apud Institutum historicum ordinis fratrum prædicatorum, 1998, p. 93-108.

Incipit tractatus de tribus gradibus prelatorum in ordine predicatorum. Ubi primo agitur de magistris.

Quoniam funiculus triplex difficile rumpitur, ordinauit beatus Dominicus quod religio predicatorum, quam ipse instituit, regatur per tres ordines prelatorum, scilicet per magistros, priores prouinciales et priores conuentuales, qui omnes in ea canonice eliguntur.

Magistri ordinis fratrum predicatorum fuerunt hii successiue.

1. Primus ac precipuus dominus et magister ordinis fratrum predicatorum fuit beatus Dominicus, natione Hyspanus, de uilla que dicitur Kalaroga dyocesis Oxomensis, uir scientia dei plenus, uita sincerus, religione conspicuus, qui fuit primo canonicus regularis ac subprior regulatus et regulans in ecclesia Oxomensi prouincie Tholetane, qui subprioratus habebat in eadem ecclesia personatum.

2. Incepit autem ordinem predicatorum mente concipere et tractare in partibus Tholosanis, a primordio computando quo primum Tholosam aduenit, anno domini M°CC°III°, pontificatus domini Innocentii pape tertii anno VI°, qui sedit annis XVIII, mensibus IIIIor, diebus XXIII.

3. Anno siquidem domini prefato M°CC°III° beatus Dominicus cum felicis memorie Dydaco suo episcopo Oxomensi in Marchias siue in Daciam proficiscens exigente matrimoniali negotio ab Alphonso rege Castelle sibi commisso transiens per Tholosam prima nocte qua ibidem hospitio sunt recepti hospitem suum heretica prauitate, que multum in illis partibus inualuerat, infectum esse deprehendit et cum eo multa disputatione et persuasione fortiter et feruenter agens, cum non posset hereticus resistere sapientie et spiritui qui loquebatur, eadem nocte ipsum hereticum ad ueritatem fidei catholice deo cooperante conuertit. Et ex tunc concepit infidelium conuersioni operam dare ac statum religiosorum instituere et ipsum predicationi euangelice dedicare. Per annum autem in dicto negotio regis Castelle moram contrahens, cum prefato episcopo Romam adiit et notitiam sibi necnon et gratiam summi pontificis ac eius collateralium uendicauit.

4. Anno domini M°CC°V°, in fine scilicet quarti istius anni, deliberauit prefatus episcopus cum sancto Dominico redire in Hyspaniam. Transeuntes autem per Montem Pessulanum inuenerunt ibi quendam apostolice sedis legatum cum XII abbatibus Cisterciensis ordinis qui, conuocatis et presentibus archiepiscopis et episcopis ac aliis ecclesiarum prelatis, super cruce predicanda in terra Albigensi et predicatione infidelium concilium celebrabat. Accersitis ergo Dydaco episcopo et beato Dominico a legato, inquisiuit quonam modo comodius id cuius gratia missus erat executioni mandaret. Quorum exstitit spiritu suggerente consilium ut dicti abbates et ceteri ad predicationis officium deputati, abiecta pompa superflui apparatus in equitaturis et uestibus et expensis, pedites Christum pauperem in paupertate uoluntaria predicarent. Et remissis Oxomam suis clericis cum euectionibus et suppellectili et diuerso quem secum tulerant apparatu primi hoc facere pollicentur. Prosequentes itaque hoc modo predicationis officium ipsum dicti

abbates et ceteri ad hoc sunt sequuti. Per continuum autem biennium sunt omnes in dicto predicationis negotio demorati, multum fructum in populo facientes. Post biennium uero prefatus Dydacus episcopus Oxomensis, ne forte negligentie posset argui circa sibi commissam ecclesiam Oxomensem, in Hyspaniam redire decreuit. Qui cum Castellam intrasset post paucos dies uitam presentem in magna sanctitate compleuit, bonorum laborum fructum gloriosum accepturus, in habundantia sepulchrum ingrediens in requiem opulentam anno domini M°CC°VII°. Fertur autem post mortem miraculis claruisse.

5. Anno domini M°CC°VI° sanctus Dominicus monasterium quoddam instituit quod dicitur Prulianum in dyocesi Tholosana ad susceptionem monialium sub clausura perpetua, propriis manibus laborantium. Et extunc fortius cepit de ordinis institutione tractare. Cuius propositum dominus Petrus Amelii, archiepiscopus Narbonensis, et dominus Fulco, episcopus Tholosanus Cisterciensis ordinis, et uir inclitus dominus Symon cornes Montis Fortis, ducti zelo fidei, fouere ceperunt. Decimas quoque et ecclesias atque castra sibi et eius sequacibus ad eorum sustentationem dederunt. Et ideo plures scientia prediti et sermone facundi sibi ad predicationis officium adheserunt.

6. Anno domini M°CC°VII°, audito obitu prefati episcopi Oxomensis, predictus legatus apostolicus et abbates XII prescripti et ceteri, qui in partibus Tholosanis et Albigensibus causa predicationis remanserant, ad propria sunt reuersi. Solus autem beatus Dominicus cum paucis sibi adherentibus in predicatione indefessa continuatione permansit. Nec aliquis sociorum in aliquo sibi uoti uinculo tenebatur, sed gratis eum propter sue sanctitatis meritum sequebantur. Post obitum uero prefati domini Dydaci mansit beatus Dominicus quasi per X annos in prouincia Narbonensi, maxime in partibus Tholosanis et Carcassesii et Albigesii, in quibus pestis heretica amplius seuiebat, confundens hereticos et confirmans catholicos uerbis pariter et exemplis annuncians dominum Ihesum Christum sequentibus signis et miraculis gloriosis, uidelicet usque ad tempus Lateranensis concilii, quod celebratum

est sub prefato Innocentio papa III° anno domini M°CC°XV°/ fuit sub prefato Innocentio papa III° anno domini M°CC°XV° mense nouembri.

7. Circa annum domini M°CC°XIIII°, ingruente tempore quo ad Lateranense concilium Romam adire ceperunt episcopi, obtulerunt se sancto Dominico duo probi uiri et ydonei de Tholosa, quorum unus fuit frater P. Cellani qui fuit postmodum primus prior Lemouicensis, alter uero frater Thomas, uir admodum gratiosus et sermone facundus. Horum primus nobiles et insignes quas Tholose circa castrum Narbonense domos possederat obtulit et dedit sancto Dominico et eius sociis. A quo tempore ceperunt primum apud Tholosam in eisdem domibus commorari atque extunc omnes qui cum ipso aderant magis ac magis ad humilitatem descendere et religiosorum se moribus conformare. Prefatus frater P. postmodum ludendo sepius dicebat quod ipse ordinem, in suis uidelicet domibus, non ordo ipsum recepisset. In eisdem uero domibus inquisitores prauitatis heretice postmodum habitauerunt

Tholose. /usque in presentem diem.

8. Anno domini M°CC°XV° profectus est sanctus Dominicus cum prefato domino Fulcone episcopo Tholosano ad predictum concilium generale, cum quo adiit prefatum dominum Innocentium papam III, petens ut dignaretur sibi ordinem confirmare, qui predicatorum diceretur et esset. Cuius petitioni difficilem se exibens, pro eo quod predicationis officium

maiorum esset in dei ecclesia prelatorum, uidit summus antistes in ipsa nocte quod ecclesia Lateranensis, caput omnium ecclesiarum, grauem minaretur ruinam, sed uir dei Dominicus eam suis humeris sustentabat. Cuius intellectum altius percipiens uicarius Ihesu Christi tandem sancto uiro respondit ut ad fratres suos rediens inuocato spiritu sancto aliquam eligerent regulam approbatam et sic confirmationem ad libitum reportaret. Qui obtemperans uicario Ihesu Christi ad fratres rediit et uerbum summi pontificis patefecit et iuxta ipsum omnes in Pruliano pariter congregati, qui erant numero circiter XVI, quorum nomina que reperire potui superius sunt notata, regulam beati Augustini doctoris et predicatoris egregii ipsi predicatores futuri re et nomine confirmandi unanimiter elegerunt. Post aliquot autem menses regressus Romam beatus Dominicus memoratum Innocentium papam defunctum apud Perusium inuenit, sed Perusinis artantibus cardinales Honorium tertium reperit in honorem apostolicum sublimatum, a quo quod a predecessore eius postulauerat plenissime impetrauit.

9. Anno domini M°CC°XVI° estatis tempore data est beato Dominico et fratribus suis a bone memorie Fulcone episcopo Tholosano, cum assensu totius capituli, una ecclesia in ciuitate Tholosana in honore beati Romani martiris fundata, circa quam protinus edificatum est claustrum cellas habens ad studendum et dormiendum desuper satis aptas. Erant autem, ut dictum est supra, fratres numero circiter XVI. Et alia ecclesia in uilla Appamiensi, tertia uero ecclesia inter Soricinium et Podium Laurentii, que uocatur ecclesia beate Marie de

Lascura, /Lescura,

in quarum qualibet conuentus et prioratus esse debebat. In hiis uero duabus ultimis ecclesiis nullum unquam fratrum contigit habitare.

10. Anno domini M°CC°XVI°, XI° kalendas ianuarii, in crastino beati Thome apostoli, indictione V°, Rome apud sanctum Petrum fuit confirmatus ordo predicatorum. Et beatus Dominicus, quem deus elegerat ab eterno et Innocentius papa III approbauerat precedenti anno, fuit institutus et confirmatus magister et dominus ordinis ab Honorio papa tertio prefati Innocentii successore, pontificatus ipsius domini Honorii anno primo. Hic Honorius papa sancto Dominico et fratribus suis plura priuilegia et libertates contulit et ecclesias ac decimas atque castra et possessiones datas sancto Dominico confirmauit, sicut in priuilegio de confirmatione ordinis continetur.

11. Anno domini M°CC°XVII° sanctus Dominicus Romam rediit, per se et fratres suos multiplicationi fratrum et dilatationi ordinis dando operam efficacem. Qui cum in basilica sancti Petri pernoctaret et in conspectu dei orationem suam pro conseruatione et dilatatione ordinis quem per ipsum deus propagauerat effunderet, facta manu domini super eum, apparuerunt ei Petrus et Paulus, quorum primus baculum, secundus uero librum tradere uidebantur. Addebantque, Vade et predica, quoniam a deo ad hoc ministerium es electus. Moxque uidebat fratres suos licet paucos per orbem dispersos incedentes binos et binos uerbum dei populis predicantes. Quapropter Tholosam rediens spiritu sancto inuocato fratres dispersit et quosdam quidem in Hyspaniam, quosdam uero Parisius, alios uero Bononiam destinauit. Et fratrem Matheum gallicum ab omnibus electum in abbatem eis prefecit. Ipse uero Romam iterum est reuersus.

12. Anno domini M°CC°XVIII° data est fratribus predicatoribus domus sancti Iacobi Parisius a magistro Iohanne decano sancti Quintini et ab uniuersitate Parisiensi ad instantiam precum prefati domini Honorii pape. Quam intrauerunt ad habitandum VIII ydus augusti.

13. Anno eodem domini M°CC°XVIII° circa principium per beatum Dominicum missi fuerunt fratres a Roma Bononiam uidelicet Iohannes de Nauarra et quidam frater Bertrandus, postmodum uero frater Christianus cum fratre conuerso, qui moram facientes Bononie magnam perpessi sunt ibidem angustiam paupertatis.

14. Anno domini M°CC°XVIII°, cum sanctus Dominicus esset Rome, magister Reginaldus sancti Aniani Aurelianensis decanus a regina celi perunctus est Rome, ostenso sibi celitus per beatam uirginem habitu predicatorum. En inquit uirgo Maria iste est habitus ordinis tui, scapulare quale deferimus omnemque huius ordinis habitum sibi demonstrans. Et extunc tam beatus Dominicus quam ceteri fratres habitum quem uirgo demonstrauerat assumpserunt. Nam antea superpelliciis utebantur. Ipsumque habitum Reginaldus a beato Dominico tam feliciter quam perseueranter accepit. Missusque est per beatum Dominicum Bononiam, quo peruenit XII° kalendas ianuarii, scilicet in festo beati Thome apostoli, ibique edificationi populorum et multiplicationi fratrum dedit operam efficacem.

15. Anno eodem domini M°CC°XVIII° post receptionem fratris Reginaldi ad ordinem beatus Dominicus in Hyspaniam profectus est, ubi duas domos instituit, unam scilicet apud

Madritum uel Maioritum, / Maioritum,

que modo est monialium sororum ordinis nostri, et alteram apud Segobiam que domus fratrum predicatorum in Hyspania prima fuit.

16. Anno domini M°CC°XIX° beatus Dominicus de Hyspania uenit Parisius et in domo sancti Iacobi prefata conuentum XXX fratrum inuenit. Et inde misit Lemouicas ad conuentum accipiendum ibidem fratrem Petrum Cellani Tholosanum superius memoratum. Qui cum ignorantiam et librorum penuriam allegaret, nam unum solum quaternum de omeliis beati Gregorii tantum habebat, respondit pius pater, cuius cor erat fiduciam habens in domino, Vade inquit fili et confidenter uade; omni die bis habebo te coram deo. Et ne dubites, multos adquires deo et afferes multum fructum, cresces et multiplicaberis et dominus erit tecum. Et sicut ipse frater P. postmodum suis familiaribus enarrauit, cum intus uel extra angustia artabatur, inuocabat dominum Dominicum, reducens ad memoriam promissum suum, et omnia ei prospere succedebant.

17. Anno domini M°CC°XIX° beatus Dominicus de Parisius profectus est Bononiam et apud sanctum Nicholaum magnum inuenit fratrum collegium, quos sub disciplina Christi fratris Reginaldi cura et diligentia nutriebat. Transmisit autem inde Parisius memoratum fratrem Reginaldum, qui semper et ubique indefesso mentis feruore Christum Ihesum et hunc crucifixum uerbo predicabat et opere. Sed cito de terra sustulit illum deus et consummatus in breui expleuit tempora multa. Sepultus est autem Parisius in ecclesia beate Marie de Campis eo quod nondum fratres sepulturam haberent.

18. Anno domini M°CC°XX° sanctus Dominicus primum generale capitulum Bononie celebrauit. In quo capitulo per constitutionem perpetuam omnibus temporalibus abdicatis resignando tam presentibus redditibus quam futuris ordo predicatorum paupertatem uoluntariam est professus. In quo etiam fuit statutum ut capitulum generale uno anno Parisius, alio anno Bononie celebretur, ita tamen quod sequens immediate capitulum deberet propter sollempnitatem numerosi tunc conuentus apud Bononiam celebrari, sicut et factum fuit. Multa etiam fuerunt statuta ibidem, que usque hodie in ordine obseruantur. Huic capitulo interfuit frater Iordanis successor beati Dominici, sicut ipsemet in suo libello describit.

19. Anno domini M°CC°XXI° fuit a beato Dominico secundum generale capitulum Bononie celebratum. In quo capitulo, uel in precedenti, quod magis estimo sed certitudinem plenariam non inueni, fundatis iam per orbem conuentibus circiter LX, dicti conuentus per octo prouincias sunt distincti, scilicet Hyspaniam, Prouinciam, Franciam, Lombardiam, Romanam prouinciam, Theutoniam, Ungariam, Angliam. Priores prouinciales primi instituti fuerunt hii qui sequuntur: primus prior prouincialis in prouincia Prouincie frater Bertrandus de Garriga supra commemoratus et inferius memorandus. Primus prior prouincialis in prouincia Hyspanie frater Suggerus. Primus prior prouincialis in prouincia Francie frater Matheus supra memoratus, qui fuit primus et nouissimus ordinis nostri abbas. Primus prior prouincialis in prouincia Lombardie frater ac pater Iordanis, sicut ipsemet in suo libello descripsit. Primus prior prouincialis in prouincia Anglie frater Gilibertus. De Theutonia, Ungaria et Romana prouincia nondum potui certitudinem inuenire.

20. Anno domini M°CC°XXI° frater Paulus Ungarus, qui quando intrauit ordinem erat actu legens in iure canonico Bononie, cum aliis quatuor fratribus missus est in Ungariam per beatum Dominicum. Hunc estimo primum priorem prouincialem fuisse illius prouincie, non tamen assero, quia aliter non inueni.

21. Anno domini M°CC°XXI°, VIII° ydus augusti, post secundum capitulum generale quod eodem anno fuerat Bononie celebratum, beatus Dominicus apud Bononiam, secundum quod ipse predixerat, transiuit ex hoc mundo ad patrem deum, cui seruierat in spiritu et ueritate. Quem dominus Hugolinus cardinalis episcopus Hostiensis, tunc apostolice sedis legatus, per semetipsum in ecclesia sancti Nicholai tradidit sepulture et ei familiariter sibi noto sollempnes exequias celebrauit.

22. Que quidem ecclesia sancti Nicholai data fuerat fratribus missis de Roma per beatum Dominicum anno domini M°CC°XVIII°.

23. Superuixit autem beatus Dominicus a confirmatione sui ordinis annis IIIIor, mensibus VII, diebus XV. Ab exordio uero primo, quo de ordinis institutione tractare concepit et incepit, usque ad diem sui felicis transitus

fluxerunt anni circiter XVIII uel XIX. /fluxerunt anni circiter XVIII.

Quibus in officio predicationis salubriter excursis quieuit feliciter plenus miraculis plus quam annis.

24. Anno domini M°CC°XXXIII° translatum fuit primo corpus beati Dominici ab archiepiscopo Rauennate et IIIIor episcopis et magistro Iordane suo dignissimo

successore, sicut in hystoria de translatione plenius continetur/ successore leuatum a terra in archam primam marmoream, sicut in hystoria de translatione plenius continetur, in capitulo generali Bononie celebrato congregatis ibidem plus quam trecentis fratribus. Videbatur enim et hoc beati viri sarchophagum aclamare. Nam cleri et populi ad ipsum deuotione crescente monumentum eleuabatur a terra, quasi virtute interiori exterius pelleretur. In prima autem apertione sepulcri tanta odoris suauitate repleti sunt omnes, ac si celestium cella aromatum patuisset. Et multi compuncti et plures a diuersis infirmitatibus sunt sanati.

25. Hunc beatum patrem Dominicum prefatus dominus Hugolinus episcopus Hostiensis, post mortem domini Honorii tertii factus papa et Gregorius IX^{us} appellatus, canonizauit et sanctorum cathalogo annotauit apud Reatam ciuitatem Tuscie

III° nonas iulii / V° nonas iulii / VII° ydus iulii

anno domini M°CC°XXXIII°, /pontificatus ipsius Gregorii pape anno VIII°/, a confirmatione uero ordinis anno XVIII°, et a felici eius transitu anno XII°.

26. Gesta preclara beati Dominici conscripserunt qui sequuntur fratres uiri preclari.

a. Primo omnium uenerabilis frater ac pater magister Iordanis, dignus eius successor, in libello seu tractatu suo, quem intitulauit De principio ordinis fratrum predicatorum, ante canonizationem ipsius, et generale capitulum approbauit. Qui libellus incipit in prologo hoc modo: Filiis gratie coheredibus glorie fratribus uniuersis.

Vita autem incipit ibidem in secundo capitulo : / Vita autem seu legenda incipit ibidem in secundo capitulo hoc modo :

Huius temporibus fuit quidam adolescens nomine Dominicus.

b. Secundo scripsit frater Petrus Ferrandi, Hyspanus natione de Galexia, post canonizationem sancti Dominici. Et generale capitulum similiter approbauit. Hec legenda

incipit / incipit ut estimo :

Beatus Dominicus adhuc puerulus sub nutricis custodia constitutus.

c. Tertio scripsit frater Constantinus, qui fuit episcopus Urbeuetanus, de mandato uenerabilis patris magistri ordinis fratris Iohannis Theutonici, sicut patet in epistola ipsius fratris Constantini, que incipit : Reuerendo in Christo patri. Prologus uero incipit consequenter hoc modo: Multipharie multisque modis. Legenda uero incipit hoc modo : Venerabilis quidem pater beatus Dominicus. Et hanc legendam similiter generale capitulum approbauit.

d. Scripsit etiam dilectus deo et hominibus frater Geraldus de Fracheto Lemouicensis dyocesis, prior prouincialis Prouincie, quasi colligens spicas que manus metentium euaserunt, sicut ipsemet testatur ibidem, multa que omissa uel ignorata ab aliis

compilatoribus seu scriptoribus / scriptoribus

uidebantur recolligens et componens in secundo libro qui Vitas Fratrum inscribitur, quem ipse composuit et quinque libellis distinxit. Qui secundus liber incipit: Non debet uideri superfluum.

e. Scripsit nichilominus uenerabilis pater frater Hymbertus magister ordinis quintus,

recolligens omnia bene dicta et posita a precedentibus, conflans unam compilationem ex legenda prefati fratris Petri Hyspani et fratris Constantini, superflua resecans, bene posita altius repetens fideli stilo, pulchro et ornato et ordine preminet ceteris in multis, sicut patet diligenter examinanti, idem assumens principium quod et frater Constantinus in suo prologo, sed in sequentibus in locis suis et in ipso prologo addens et mutans conuenienter et apte. Prologus incipit: Multipharie multisque modis etc. Legenda uero incipit consequenter : Beatus Dominicus fratrum predicatorum dux et pater inclitus etc.

f. Ultimo omnium frater lacobus de Voragine Lombardus suam conflauit compilationem more suo in Vitis sanctorum nouis, sicut et de aliis sanctis, prout ibi patet./

omnia bene dicta et posita a precedentibus recolligens et compingens, conflans unam compilationem ex legenda prefati fratris Petri Ferrandi et fratris Constantini, minus necessaria resecans, bene posita altius repetens stilo fideli, pulchro et uenusto, ordine quoque ualde rationabili et congruo ; que in pluribus ceteris antefertur, sicut patet diligenter examinanti et conferenti, idem assumens principium quod et frater Constantinus in suo prologo, sed in sequentibus in locis suis, etiam in ipso prologo superaddens et immutans conuenienter et apte. Prologus incipit sic : Multipharie multisque modis. Legenda uero incipit consequenter hoc modo : Beatus Dominicus fratrum predicatorum dux et pater inclitus.

f. Frater lacobus de Voragine Lombardus postmodum archiepiscopus Ianuensis suam conflauit compilationem more suo in Vitis sanctorum nouis, sicut et de aliis sanctis fecit, prout ibidem patet.

g. Frater Thedericus de Appoldia Theutonicus de conuentu Erfordensi prouincie Saxonie, tempore et iussu uenerabilis patris fratris Munionis magistri ordinis nostri septimi librum nouum quem intitulauit, De uita et obitu et miraculis sancti Dominici et de ordine predicatorum quem instituit, compilauit circa annum domini M.CC nonagesimum, quem distinxit per octo particulas que subdistinguntur per capitula et rubricas. Primus liber post omnes prologos incipit in hunc modum: Dominicus humilis seruus Ihesu Christi.

GALVANO FIAMMA
« PETITE CHRONIQUE DE L'ORDRE »
(extraits)
(p. 1203-1210)

Fratris Galvagni de la Fiamma Cronica Ordinis Prædicatorum ab anno 1170 usque ad 1333, ed. B. M. Reichert, *MOPH* 2, 1, Romae-Stuttgardiae, 1897, p. 23-27.

37. Anno domini · M · CC · XX° · die · XVII · madii congregatis universis fratribus apud Bononiam primum capitulum fuit celebratum sub beato Dominico, ubi ipse fecit multas sanctissimas constituciones. Nam quia audivit, quod fratres in partibus Tholosanis et in Francia et in partibus Albigensibus haberent castra et possessiones et cum largis expensis equitaturis discurrerent et quod habitum beate virginis non portarent, sed superpelliciis uterentur, multum turbatus fuit, et ordinavit, quod possessiones quondam recepte monialibus de Cistello donarentur, et quod de cetero nulla possessio, nulli redditus reciperentur, et quasdam possessiones precii quingentarum librarum donatas conventui Bononie per dominum Hildericum Galiciani renunciavit et cartas laceravit, et quod fratres viverent de helymosinis, ordinavit. Hanc summam atque perfectam paupertatem exhausit beatus Dominicus ex libro, qui dicitur Philosophia monacorum sive collacionum patrum. Inquit abbas Moyses collacione prima, cap. · VI° · : Multi monachi et religiosi, qui in seculo reliquerunt magnas possessiones et divicias, et facti religiosi turbantur, si aufertur ab eis una penna seu unum graphium aut una acus ; unde probatur evidenter, quod perfecta paupertas seu nuditas non est in dispersione rerum tantum, nisi adfuerit et karitas. Unde apostolus : Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum et tradidero corpus meum, ut ardeam, karitatem autem non habuero, nichil michi prodest. Ibidem : Multi religiosi tanto zelo gubernant libros, ut non permittant, quod aliquis alius frater illos legere possit ; unde acquirunt penas inferni et mortis stipendia, de quo precipitur eis karitatis et paciencie stipendia acquirere. Et abbas Pannucius cap. · X° · ; Nichil prodest abrenunciacio corporalis nisi et cordis abrenunciacio optineatur, que profecto sublimior est et utilior. Et cap. · X° · : Abrenunciabit quis possessionibus, sed quia extranea sunt a nobis, parum valet, nisi abrenunciet voluntati habendi ; et postea Deo adiuvante, in tantum profecit, quod quidquid videt, despicit tamquam vanitates, que statim evanescunt ; et tunc audit dominum sibi dicentem : veni in terram quam monstravero tibi. Et abbas Daniel capitule · XXI° · : Multi religiosi non audentes congregare pecuniam, tamen congregant libros, sportellas, sacculos et talia vilia, que tanto zelo custodiunt, quod turbantur, si quis eas tangere voluerit ; quid enim differt, utrum quis perturbationem cupiditatis erga amplas possessiones an erga viliores exerceat species. Ideo pauper non potest dici, quia non abiecit divitis voluntatem. – Et abbas Isaac collacione prima cap. · V° · : secundum regulam seniorum, quicquid est ultra necessitatem cotidiani victus, pertinet ad curam secularem, ut habens unum solidum denariorum auget secundum et tercium, et habens duas tunicas querit adponere terciam ; similiter curiosas edificare cellas, quod non sine demonum suggestione fieri est certum ; et ponit exemplum de patre sancto, qui vidit diabolum adiuvantem monachum volente ampliare cellam suam. – Et abbas Piamon cap. · VII° · : Religiosi qui in crastinum sibi congregant, deum mendacem aut inopem credunt, qui cotidianam victus et vestium sufficienciam nobis donare promisit ; et infra : Quidam continue laborant et omnia conventui que lucrantur tribuunt , et sic rebus temporalibus omni die nudant seipsos et renovant et per consequens numquam suas explent voluptates. Isti in eo quod pauperibus elargiuntur

improvide, semper elabuntur. – Et abbas Iohannes cap. · XII° · : Si frater petierit a te librum aut quicquid sit illud et tu aut negaveris vel dando contristatus fueris, dubium non est, quod adhuc avaricie laqueis detineris. – Et abbas Theonas collacione prima cap. · V° · : Beati pauperes spiritu etc. Non enim tam laudabile est ab illicitis, quam si eciam a licitis temperemus, ut, eis propter Christi reverenciam non utamur, qui ea nobis propter infirmitatem nostram utenda permisit ; Unde apostolus : « Omnia michi licent, sed non omnia expediunt ». – Et abbas Abraam cap. · XII° · : Maiorum nostrorum diffinicio habet : omnia, que lucrari possumus, ad conventum reportare ; unde Aggeus propheta : Qui mercedes sibi congregat, mittit eas in saccum pertusum. – Et abbas Pynnutius cap. penultimo : Abrenunciacio est indicium crucis et mortificacionis, sicut videmus, quod peccator suspensus in cruce non cogitat de crastino, non de presentibus, non de congregando quicquam ; quod similiter faciens religiosus accipit crucem suam et sequitur Christum. Hic iam vivit, sed non vivit, imo vivit in ipso Christus.

Quid autem in libro exhortacionum super hoc sancti patres senserint, audiamus. Nam quidam senator palacii imperialis volens monachus fieri cunctas divicias pauperibus erogavit, sed tamen solidos sibi retenuit. Et veniens ad abbatem Basilium sibi, quod fecerat, ennaravit . Cui ait abbas : Confiteor, quod senatorio statui renunciasti, sed quia solidos tibi retinuisti, te monachum nondum fecisti. – Et alius miles volens fieri monachus cuncta pauperibus erogavit, sed aliqua sibi retenuit. Cui ait abbas Antonius : « Nudus perge ad macellum et eme frustrum carnis ; quo imposito humeris veni ad me . » Quod ille statim adimplevit . Sed canes ipsum undique lacerabant. Cui ait abbas Antonius : « Quicumque religiosus vult mundo renunciare et tamen aliqualem pecuniam servat, sic a demonibus laceratur et discerpitur; unde oportet omnia abicere. »

38. Nunc quid in constitucionibus beati Dominici contineatur audiamus. Inquit enim distinctione prima cap. · XV° · : Novicii in suo noviciatu de debitis se expediant et omnia alia ad pedes prioris ponant, ut se ex toto absolvant. Similiter alii fratres omni anno sibi commissa priori suo exponant pariter et exhibeant, eorum disposicioni relinquendo. Quicumque frater pecuniam vel alia quecumque receperit vel habuerit vel expenderit vel dispensaverit vel dispensari fecerit, reddat omni anno racionem suis maioribus vel pluries, si fuerit requisitus; unde magister diffinitoribus capituli generalis, provincialis diffinitoribus capituli provincialis, prior conventualis suo provinciali aut visitatori; ceteri fratres priori conventuali. Et distinctione secunda cap. · I° · : dicitur ; Possessiones seu redditus nullomodo recipiantur nec ecclesie, quibus animarum cura sit annexa. Et eadem distinctione cap. · X° · habetur : Que constitucio inviolabiliter et immutabiliter observetur, videlicet de possessionibus seu redditibus nullatenus recipiendis.

39. Secunda constitucio est, ut habetur distinctione · II[a] · cap. · XIII°. Quod frater vadens ad predicandum vel pro quacumque alia causa non portet nec recipiat aurum aut argentum aut pecuniam aut munera, excepte victu et necessariis indumentis et libris ; si quis autem aliquid receperit de predictis, teneatur prelato suo, cum redierit, libere presentare. Non recipiant a mulieribus munuscula, nec sint dispensatores alienarum rerum vel pecuniarum, nec deposita recipiant nisi librorum aut paramentorum ecclesiasticorum.

40. Et distinctione prima cap. · XVIII° · habetur : si quis rem sibi collatam receperit de his, que prohibentur recipi, sit privatus omni voce nisi in sua accusacione, non predicet, non dicat missam, non veniat ad osculum pacis. Nullus sibi audeat se adiungere, (dum) in medio refectorii comedat panem grossiorem et aquam, et penam faciat graviori culpe debitam. – Exemplum : Fuit in conventu Bononie frater, qui unum pannum vilem sive suarium sine licencia recepit. Quo audito frater Reginaldus, vicarius conventus, pulsari fecit ad capitulum et [in] conspectu tocius conventus ignem in medio capituli accendi fecit per pannum combussit et fratrem tam fortiter

disciplinavit, quod alii fratres moverentur ad fletum. Ipse quoque pius pater lacrimas profundens ait : « Domine Ihesu Christe, qui famulo tuo Benedicto dedisti virtutem per disciplinam expellere de corde sui monachi demonis aculeum, da queso, ut huius virtute discipline ab istius fratris anima temptacio diabolica expellatur. » Tunc frater surgens ait : « Tibi gracias ago, pater, quia sensi diabolum quasi serpentem a renibus meis exire. »

41. Et eadem distinctione eodem cap. sub eisdem penis habetur : si quis rem sibi collatam celaverit, quem beatus Augustinus furti iudicio dicit esse condempnandum.Exemplum : Quidam frater de conventu Bononie vadens Pavenciam recepit solidos · XL · et unam corrigiam sine licencia; quem demones ante matutinas de lecto in quandam vineam asportaverunt et plures palos vinee super dorsum eius fregerunt et semivivum reliquerunt, plenum plagis in capite et facie et manibus. Quem post matutinas fratres reportaverunt, et vix sanari potuit.

42. Et distinctione · IIª · cap. · XIII° · habetur : Quod frater vadens ad predicandum vel pro quacumque alia causa extra domum pecuniam nec aurum nec argentum portabit. Exemplum : Beatus Dominicus obviavit fratri cuidam in itinere et, in spiritu sancto agnovit, quod non ambularet regulariter, imo pecuniam portabat. Unde iussit, quod statim illam pecuniam abiiceret, et penitenciam condignam illi fratri iniunxit.

Et distinctione · IIª · cap. · XIII° · ubi prohibetur, quod fratres nichil recipiant, similiter prohibetur nichil dare . Exemplum : Quedam priorissa dedit duos sotulares cuiusdam fratris defuncti cuidam peregrino absque licencia prioris. Et ipsa nocte frater defunctus apparuit illi, que donaverat sotulares, dicens : « Redde michi sotulares meos. » Similiter apparuit peregrino iniungens ei dicens : « Reporta sotulares ad locum suum. » Et sic conventus eos habuit.

LA MANIÈRE DE PRIER, EN SON CORPS, DE SAINT DOMINIQUE
(p. 1222-1239)

De modo orandi corporaliter sancti Dominici (alias De nouem modis orandi), éd. Simon TUGWELL, « Scripta quaedam minora de S. Dominico, V(a) », *AFP* 83 (2013), p. 37-56.

DE ORANDI CORPORALITER SANCTI DOMINICI

A sanctis doctoribus Augustino, Leone, Ambrosio, Gregorio, Ylario, Ysidoro, Iohanne Crisostomo et Iohanne Damasceno et Bernardo et aliis deuotissimis doctoribus grecis et latinis latissime dictum est de oratione quantum ad eius commendationem descriptionem necessitatem utilitatem et modum et preparationem, insuper et impedimenta ; sed et gloriosus et uenerabilis doctor frater Thomas de Aquino et Guillielmus et Albertus ordinis predicatorum in suis libris, in tractatu de uirtutibus, nobiliter et scientifice et deuote et pulcre prosecuti sunt. Tamen de modo orandi secundum quod anima exercet membra corporis ut ipsa deuotius feratur in deum, ut anima mouens corpus remoueretur a corpore et fiat quandoque in extasi ut Paulus, quandoque in agonia ut saluator, quandoque in excessu mentis ut Dauid propheta, secundum quem modum sepe beatus Dominicus orabat, hic aliquid dicendum est ad operis terminationem. Namque et sancti ueteris et noui testamenti inueniuntur taliter aliquando orasse. Talis enim modus orandi incitat deuotionem alternatim ex anima in corpus et ex corpore in animam. Et iste modus faciebat sanctum Dominicum resolui uehementer in lacrimas, et accendebat feruorem bone uoluntatis in tantum ut mens cohibere non posset quin deuotionem membra corporis manifestarent certis inditiis. Vnde ipsa ui mentis orantis quandoque insurgebat in postulationes, obsecrationes, gratiarum actiones.

Modi autem orandi, preter illos modos quos habebat deuotissimos et comunes in celebratione misse et decantatione psalmodie, ubi uidebatur subito sepe rapi supra se et confabulari cum deo et angelis in horis canonicis siue in choro siue in itinere, fuerunt isti.

PRIMUS MODUS ORANDI

Primus uidelicet humiliando se ante altare ac si Christus per altare significatus realiter et personaliter esset ibi, non tantum in signo, iuxta illud Oratio humiliantis se penetrabit nubes. Dicebat aliquando fratribus illud Iudith Humilium et mansuetorum tibi semper placuit deprecatio. Humilitate optinuit Chananea quod uoluit et filius prodigus. Sed et Ego non sum dignus ut intres sub tectum meum. Humilia domine ualde spiritum meum nam domine ante te humiliatus sum usquequaque. Et sic pater sanctus erecto corpore inclinabat caput suum et renes humiliter capiti suo Christo, considerans seruilitatem suam et Christi excellentiam et totum se dans in eius reuerentiam. Et hoc docebat fieri a fratribus dum transirent ante humiliationem crucifixi ut Christus pro nobis humiliatus maxime uideret nos humiliatos sue maiestati. Item toti trinitati mandabat fratribus sic humiliari cum solemniter diceretur Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Et iste modus, ut descriptus est in figura, erat principium deuotionis eius, in inclinando profunde.

SECUNDUS MODUS ORANDI

Orabat etiam sepe beatus Dominicus prohiciendo se totum ad terram pronum super faciem suam et compungebatur in corde suo et erubescebat semetipsum et dicebat, aliquando ita alte ut etiam audiretur, illud euangelicum Deus propitius esto michi peccatori. Et pie et uerecunde satis memorabat uerbum Dauid dicentis Ego sum qui peccaui et qui inique egi. Et flebat atque gemebat fortiter. Et postea dicebat Non sum dignus uidere altitudinem celi pre multitudine iniquitatis mee quoniam irritaui iram tuam et malum coram te feci. Et de illo psalmo, Deus auribus nostris audiuimus, fortiter et deuote dicebat Quoniam humiliata est in puluere anima nostra, adhesit in terra uenter noster. Et iterum, Adhesit pauimento anima mea, uiuifica me secundum uerbum tuum. Volens autem aliquando docere fratres quam reuerenter deberent orare dicebat eis Magi illi deuoti reges intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius ; certum est autem quod inuenimus hominem deum cum Maria ancilla eius, uenite adoremus et procidamus ante deum, ploremus coram domino qui fecit nos. Iuuenes etiam hortabatur dicens Si non potestis flere uestra peccata quia non habetis, sunt tamen multi peccatores ordinabiles ad misericordiam et caritatem propter quos prophete et apostoli gemuerunt, propter quos uidens Ihesus eos fleuit amare, et sanctus Dauid similiter flebat dicens Vidi preuaricantes et tabescebam.

TERTIUS MODUS ORANDI

Ista de causa recipiebat surgens de terra de cathena ferrea disciplinam de qua supra dictum est dicens Disciplina tua correxit me in finem. Unde et totus ordo statuit quod omnes fratres memoriam exempli sancti Dominici uenerantes et dicentes Miserere mei deus etc. siue De profundis etc. reciperent omnibus profestis diebus post completorium de uirgulis ligneis super dorso nudo disciplinam siue pro suis culpis propriis siue pro alienis quorum de elemosinis uiuunt. Unde ab hoc sancto exemplo nullus quantumcumque innocens debet se subtrahere. Cuius exempli figura talis est.

QUARTUS MODUS ORANDI

Post hec sanctus Dominicus ante altare siue in capitulo, fixo uultu ad crucifixum, summo intuitu respiciebat eum genua flectens iterum atque iterum siue centies, immo quandoque a post completorium usque ad mediam noctem modo eleuabat se modo genua flectebat sicut Iacobus apostolus, sicut leprosus euangelicus qui dicebat genu flexo Domine si uis potes me mundare, et sicut Stephanus positis genibus clamauit uoce magna dicens Domine ne statuas illis hoc peccatum. Et fiebat in sancto patre Dominico grandis fiducia de misericordia dei pro se et pro cunctis peccatoribus et pro conseruatione nouitiorum fratrum quos faciebat discurrere ad predicationem animarum. Et non poterat continere aliquando uocem suam sed audiebatur a fratribus dicens Ad te domine clamabo, ne sileas a me, ne quando taceas a me et assimilabor descendentibus in lacum, et quedam similia diuine scripture uerba. Quandoque autem loquebatur in corde suo et uox penitus non audiebatur et quiescebat in genuflexione stupefactus animo, aliquando diu ualde. Et aliquando uidebatur in ipso modo aspectus eius intellectu penetrasse celum atque cito uidebatur exilaratus gaudio et extergens lacrimas defluentes. Et fiebat in magno desiderio quasi sitiens cum peruenerit ad fontem et sicut peregrinus cum iam est prope patriam. Et preualebat et inualescebat et multum composite atque agiliter mouebatur et sursum erigendo se et genuflectendo. Et in tantum assuefactus erat flectere genua ut in itinere et in hospitiis post labores uiarum et in uiis etiam, aliis dormientibus et quiescentibus, quasi ad quandam suam artem et suum singulare ministerium reuerteretur ad genuflexiones. Et hoc exemplo plus faciens quam dicens docebat fratres, hoc modo.

QUINTUS MODUS ORANDI

Stabat etiam aliquando erectus sanctus pater Dominicus ante altare cum esset in conuentu toto corpore directus super pedes suos, non appodiatus nec herens alicui rei, habens aliquando ante pectus suum manus expansas ad modum libri aperti. Et ita se habebat in modo standi quasi ante deum legeret ualde reuerenter et deuote. Et uidebatur tunc in ore meditari eloquia dei et uelut sibi ipsi dulciter enarrare. Habituauerat enim sibi illum domini modum qui in Luca legitur, silicet, quod intrauit Ihesus secundum consuetudinem suam die sabbati in sinagogam et surrexit legere. Et in psalmo dicitur Stetit Finees et orauit et cessauit quassatio. Et quandoque iungebat manus inuicem extendens fortiter ante oculos complosas, constringens semetipsum, et quandoque manus ad humeros sicut moris est sacerdotis cum celebrat missam ac si uellet aures figere ad aliquid diligentius percipiendum quod ab altero diceretur. Tunc extimasses si uidisses deuotionem stantis erecti et orantis uidere prophetam cum angelo uel cum deo modo loquentem, modo audientem, modo cogitantem silenter de hiis que sibi reuelata fuissent. Quod si quando erat in itinere furabatur latenter subito tempus orandi et tota mente stans subito intendebat in celum, et cito audisses eum dulcissime loquentem ac delicatissime aliquod suaue uerbum de medulla et adipe sacre scripture quod uidebatur haurisse de fontibus saluatoris. Et hoc exemplo ualde fratres mouebantur in aspectu patris sui et magistri sui, et deuotiores optime instruebantur ad orandum reuerenter et continue sicut oculi ancille in manibus domine sue et sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, ut hic patet.

SEXTUS MODUS ORANDI

Visus est etiam aliquando orare sanctus pater Dominicus, sicut a uidente audiui auribus meis, manibus et ulnis expansis ad similitudinem crucis uehementer extensus, stans erectus secundum suam possibilitatem. Hoc modo orauit quando suscitauit deus oratione sua puerum Napuleon Rome in sancto Sixto in loco sacristie et in ecclesia in celebratione misse quando eleuatus est a terra, sicut narrauit nobis illa deuota et sancta soror Cecilia que presens erat et uidit cum alia multitudine, sicut et Elyas quando suscitauit filium uidue expandit se atque mensus est super puerum. Similiter orauit quando iuxta Tholosam liberauit peregrinos de Anglia de periculo submersions fluminis, ut supra scriptum est. Hoc modo orauit dominus pendens in cruce, scilicet extensis manibus et ulnis, et cum clamore ualido et lacrimis exauditus est pro sua reuerentia. Nec istum modum frequentabat uir sanctus dei Dominicus sed cum aliquid grande et mirabile fieri cognouisset inspiratus a deo uirtute orationis. Nec uero prohibebat fratres sic orare nec etiam suadebat.

Et cum puerum illum suscitauit, orando scilicet et stando expansis brachiis et manibus ad modum crucis, nescimus quid dixerit. Forte dixit illud uerbum Elye, Domine deus meus reuertatur obsecro anima pueri huius in uiscera eius, sicut etiam modum eius seruauit in orando. Sed fratres et sorores et domini cardinales et ceteri, attendentes ad modum orandi eis inconsuetum et mirabilem, non recoligerunt uerba que dixit nec postea licuit eis interrogare de hiis sanctum illum et admirabilem Dominicum, quia in hoc facto ualde exhibuit se eis omnibus tremendum et reuerendum.

Illa uero uerba que in psalterio mentionem faciunt de isto modo orandi ponderose et grauiter et mature proferebat atque attente, uidelicet Domine deus salutis mee in die clamaui et nocte coram te, usque ibi Clamaui ad te domine tota die, expandi ad te manus meas etc. usque ad finem. Item, Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam, in ueritate tua exaudi me in tua iustitia, usque ibi Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua

tibi, uelociter exaudi me. Per hoc poterit quilibet deuotus orator intelligere huius patris doctrinam in orando hoc modo cum uellet in deum mirabiliter moueri uirtute orationis, uel potius cum sentiret ex occulta inspiratione se a deo magnifice moueri ad singularem gratiam siue pro se siue pro alio, fultus ex doctrina Dauid, ex significatione Elye, ex caritate Christi, ex deuotione Dominici, ut in hac figura patet.

SEPTIMUS MODUS ORANDI

Inueniebatur nichilominus sepe orando erigi totus ad celum per modum sagitte electe de arcu extenso proiecte sursum in directum, eleuatis manibus sursum supra caput fortiter extensis atque coniunctis inuicem, uel aliquantulum ampliatis quasi ad aliquid recipiendum de celo. Et creditur quod augebatur ei gratia tunc et rapiebatur et impetrabat a deo pro ordine quem inceperat dona spiritus sancti et suauitates delectabiles in actibus beatitudinum sibi et fratribus ut in altissima paupertate, in amaro luctu, in graui persecutione, in multa esurie et siti iustitie, in anxia misericordia quilibet reputaret se beatum, et ut in seruandis preceptis, in perficiendis consiliis euangelicis, deuoti delectabiliter se haberent. Videbatur tunc ingredi sanctus pater raptim in sancta sanctorum et in tertium celum, unde et post illam orationem siue in corripiendo siue in dispensando siue in predicando more prophetico se habebat, ut in miraculis memoratum est.

Sed unum hic ponendum est breuiter ad hedificationem. Post talem orationem sanctus magister Dominicus requisiuit Bononie super quibusdam agendis secundum morem suum consilium seniorum quia, ut dicebat, reuelatur uni bonorum quod non reuelatur alteri, ut patet in prophetis. Et tunc sacrista de assistentibus in illo consilio uocauit unum ad ecclesiam feminarum, gratia ut puto audiende confessionis, et subintulit fatue, non tamen ita ut putaret audiri a sancto magistro Dominico, Una pulcra domina petit uos, uenite cito. Factus autem in spiritu sanctus Dominicus agitabatur in seipso et reueriti sunt eum consiliarii. Tunc precepit aduenire sacristam et dixit illi Quid dixisti ? At ille Petiui inquit sacerdotem ad ecclesiam. Et pater dixit Increpa teipsum et confitere reatum quod peruenit usque ad os tuum ; deus qui fecit omnia fecit quod me non laterent uerba tua hec que putabas occulta. Et disciplinauit eum ibi fortiter et diu ita ut astantes mouerentur in compassionem propter liuores. Et ait Vade fili didicisti de cetero qualiter intuearis fixo aspectu feminam ut de colore non iudices, ora et tu ut deus in oculis faciat te pudicum. Sic cognouit occultum, sic corripuit fatuum, sic docuit castigatum, sicut in oratione preuiderat. Et admirati sunt fratres quia sic dixit esse fiendum. Et dixit sanctus magister lustitie nostre iustitie diuine comparate immunditie sunt.

Itaque sanctus pater in illo modo orandi non diu stabat sed reuertebatur in seipsum quasi de longinquo ueniens et uelut peregrinus mundo uidebatur, quod faciliter perpendi poterat in aspectu eius et moribus. Verumtamen orans clare aliquando auditus est a fratribus ita dicens, ut propheta dicebat, Exaudi uocem deprecationis mee dum oro ad te et dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Et docebat uerbo et exemplo sanctus magister fratres sic orare dicens illud psalmi Ecce nunc benedicite dominum omnes serui domini, in noctibus extollite manus uestras in sancta et benedicite dominum. Et illud, Domine clamaui ad te, exaudi me, intende uoci mee cum clamauero ad te, eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum. Quod ut melius intelligatur, perspecta figura docet.

OCTAUUS MODUS ORANDI

Erat nempe sancto patri Dominico et alius orandi modus pulcer et deuotus et gratus. Post horas quippe canonicas et post gratiarum actiones que comuniter post sumptionem cibi fiunt sobrius et delibutus pater spiritu deuotionis, quem spiritum hauserat ex diuinis uerbis que cantabantur in choro seu in refectione, cito ponebat se ad locum aliquem solitudinis, in cella uel alibi, ut legeret uel oraret consistendo secum et stando cum deo. Et sedebat quietus et expandebat librum aliquem ante faciem suam munitus signo crucis, et legebat et afficiebatur mente dulciter ac si audiret dominum loquentem, sicut dicitur in psalmo Audiam quid loquatur in me dominus deus quoniam loquetur pacem in plebem suam et super sanctos suos et in eos qui conuertuntur ad cor. Et, quasi cum socio disputaret, nutibus et mente modo impatiens uidebatur, modo quietus auditor, disceptare et luctari et arridere simul et flere et figere intuitum et submittere et iterum loqui silenter et tundere pectus. Si aliquis curiosus uoluisset eum uidere latenter uidebatur sibi sanctus pater Dominicus sicut Moyses qui intrasset ad interiora deserti et conspiceret rubum ardentem et dominum loquentem et se humiliantem. Mos enim iste propheticus uiro dei erat cito ex lectione superferri ad orationem et ex meditatione ad contemplationem. Et cum sic solitarius legeret uenerabatur librum et inclinabat libro et osculabatur quandoque librum maxime si erat codex euangelicus uel si legeret uerba que Christus ore suo protulerat. Quandoque uero faciem abscondebat et auertebat alio uel deponebat faciem in manibus suis aut modicum uelabat eam caputio suo. Et etiam tunc fiebat totus anxius et plenus desiderio, et etiam quasi redderet gratias persone excellenti de receptis beneficiis modicum reuerenter assurgebat et inclinabat ; et totus refectus et factus quietus in seipso iterum legebat in libro.

NONUS MODUS ORANDI

Istum talem modum etiam eundo de patria ad patriam seruabat, maxime cum esset in aliqua solitudine, et ludebat cum meditationibus suis in contemplatione sua, et dicebat aliquando sociis in itinere Scriptum est in Osee, Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor eius. Unde aliquando a socio declinabat uel preibat uel potius sequebatur a longe et uadens seorsum orabat et ambulabat, et in meditatione eius accendebatur ignis.

Et hoc inerat ei in tali oratione, hoc est ac si abigeret fauillas aut muscas a facie sua, et propter hoc muniebat se sepe signo crucis. Putabant autem fratres quod in isto modo orandi adeptus sit sanctus plenitudinem sacre scripture et medullam intelligentie eloquiorum diuinorum et potestatem audacem feruenter predicandi et occultam familiaritatem spiritus sancti in cognoscendis occultis.

Vnde semel accidit, ut unum adducamus de multis que obmissa sunt, quod dyabolus uenit ad ecclesiam fratrum predicatorum Bononie in modum iuuenis habentis mores uanos et lasciuos et petiit confessorem. Et adducti sunt ei alternatim quinque sacerdotes, modo unus, modo alius. Et fuit hec causa quia ita affecit et male inflammauit primum confessorem ex suis uerbis quod surrexit ab auditione confessionis et noluit audire usque in finem illas abhominationes. Similiter fecit secundus et tertius et quartus et quintus. Silenter autem recedebant et numquam uoluerunt hanc confessionem reuelare quia ex parte illorum qui audierant confessio illa sacramentalis erat licet a dyabolo. Tunc sanctus Dominicus in conuentu presens, accersitus a sacrista querulo contra sacerdotes eo quod quinque non potuerunt unum peccatorem audire – dixit hoc sancto patri et adiecit Scandalum magnum est, predicant sacerdotes fratres penitentiam et nolunt imponere peccatoribus penitentiam ; et surrexit sanctus pater Dominicus a lectione et oratione et contemplatione, puto negotii non ignarus, et uenit audire confessionem dyaboli. Cum ergo

intrasset ecclesiam accessit ad eum dyabolus et statim cognouit eum sanctus pater et dixit ei Cur maligne spiritus sub hac pietate temptas seruos dei ? Et durissime increpauit eum. Et dyabolus ibidem statim euanuit et dimisit ecclesiam fetidam odore sulphuris. Et placatus est sacrista super indignatione contra sacerdotes.

BARTHÉLEMY DE MODÈNE
L'EFFICACITÉ ET LA MANIÈRE
DE PRIER DE SAINT DOMINIQUE.
(p. 1243-1250)

Modi orandi sancti Dominici e Bartholomaei Mutinensis Vitis fratrum II 13 excerpti, éd. Simon TUGWELL, « Scripta quaedam minora de S. Dominico, V(c) », *AFP* 83 (2013), p. 58-64.

Ma auenga gli sancti doctori ponga ne e diffiniscano altamente di la oratione, nondimeno no specificano diuersi acti gli quali po l'omo fare in epsa oratione, gli quali usaua questo santo a luy specialmente concessi da l'onipotente idio particularmente. Gli quali acti se non incitasseno a diuotione non gli haueria trouato may sancto Domenico. Digho questi acti diuocti exteriori hano molto a mouere l'animo di lo orante. Nigli quali era questo santo tanto assiduo e frequente che non poteua refrenare che non dimostrasse per gli menbri esteriori lo feruore e magno impeto di lo spirito suo. Unde gli fu necessario absternirse certo tempo di non stare cogli altri a la messa grande, tanto erono gli forti pianti e gli cordiali mugiti che getaua, da gli quali non se ne poteua abstenire, si come anche non poteua per questo in quelo tempo celebrare. Oltra donque gli acti che haueua lo beato Domenico comuni ne la messa, gli quali erano di summa diuotione, oraua nondimeno seccretamente in diuersi modi, gli quali modi funo saputi dagli primi frati gli quali curiosamento obseruauano quelo o uero anche funo soy compagni.

1. Lo primo donque era che oraua inclinato alquanto profundo cum le mane cançellate sopra le çenoche, in questo modo : Lo quale anche modo seruaua quando se dici in choro a la sacratissima trinitade Gloria patri et filio et spiritui sancto. Et insignaua questo nondimeno a gli frati soy inducendo quelo dicto di Iudith, Sempre piaque a te o signore la oratione di gli humili e la preghera di gli mansueti.

2. Lo secondo era che oraua prosternato longo disteso in terra cum le braçe aperte e comlo capo similmente o uero la fronte in terra quasi indigno di uedere lo celo o uero la ymagine di idio, in questo modo : Et come uergognoso uerso la diuina maiestade insieme cum lo publicano diciua humilmente Sie o idio a me propitio lo quale sono magno peccatore. Et anche diciua cum Dauid Io sono quelo lo qualo ha peccato, neuno ha offeso piu di me, io solo merito essere punito, io solo ho comesso la iniquitade. E poi sottoçonçeua Io non sono digno uedere l'altitudine di lo celo per la moltitudine di la iniquitade mia perche io ho prouocato l'ira tua et ho mal oparato nelo tuo cospecto. Et anche diciua Gli è humiliata in terra o uero nela poluere l'anima nostra e lo ventre nostro è acostato a la terra, l'anima mia s'è acostata a lo pauimento, da me uita o signore secundo lo uerbo tuo. Et in questa oratione si come quasi in tute le altre piangeua fortemente. Lo quale haueua facto di gli ochii soy uno torrente di comune lacrime.

3. Lo terço modo era che oraua inçenochiato et inchinato tenendo çonte le mane a lo uolto, in questo modo : e diceua quelo psalmo di Dauid Venite exultemo a lo signore, iubilemo a lo idio saluatoro nostro e copriamo o uero occupemo la facia di quelo in confessione e in gli psalmi iubilemo a quelo peroche idio è magno signore et è re magno sopra gli dii. Insignando etiam questo a gli frati soy che orasseno similemente a Christo come fecenno gli magi.

4. Lo quarto è che oraua stando drito cum le mane aperte. Et allora risguardaua fixo nelo crucifixo in questo modo. E diceua cum Dauid Illumina o signore gli ochii mei a cio may io non dorma nela morte e non digha lo inimico mio Io ho habuto finalmente uictoria contro di costuy.

5. Lo quinto è che tre uolte ogni nocte se despogliaua nudo e cum una cathena di ferro se flagellaua duramente, una uolta per gli peccati soy, l'altra per gli peccatori di questo mundo, la terça per le anime di purgatorio, auenga anche nondimeno portasse di continuo a la carne una cathena di ferro cinta in questo modo. Et allora diciua quele dauidice parole, La disciplina tua o signore mi amagistrara, la tua disciplina mi corregera finalmente, auenga questo glorioso sancto, quanto ho potuto diligentemente conprehendere transcorrendo la sua legenda e cum solicitudine intendendo quela, may non facesse uno graue peccato ueniale, peroche dagli mortali fu sempre alieno.

6. Lo sexto è che oraua stando inçenochiato inclinando lo uolto sopra la terra cum le braçe anche aperte facendo allora cum maxima fatigha molta uiolentia a tute le sue forçe e potentie di lo suo corpo, in questo modo. Et allora diciua Io ho chiamato a te o signor, essendo nigli profondi, exaudisse o signore la oratione mia, siano le tue orechie attente nela uoce di la mia prechiera ; se tu o signore riseruaray le iniquitade chi potera da poy sostenire ?

7. Lo septimo è che oraua stando tuto drito leuando alquanto gli ochii uerso lo celo come quando feci uedere lo dimonio in forma di uno magno gatto, in questo modo. Ma non poteuano gli compagni allora comprehendere cio che dicesse excepto che staua cum molta grauitade.

8. L'octauo modo è che oraua geniculando o uero moltipilicando le genuflexione non solo la nocte cento uolte come legemo di Bartholomeo apostolo ma duraua in quele alcuna uolta da la siera sino a la meça nocte ora leuando se ora inçenochiando se, in questo modo. Alcuna uolta nondimeno inçenochiato riponsaua e staua per longo spacio quasi attonito e stupefacto, e pareua uno cherubino lo quale hauesse penetrato lo cielo rimanendo tuto hyllarato e pieno di gaudio. Et allora recreato da idio ritornaua a le genuflexione. Nele quale hebbi tanta consuetudine e continuo exercicio che quando gli conpagni si ripossauano nelo camino epso come ad una sua arte et usança conuertita in natura e come ad uno suo singulare ministerio reuerentemente se esercitaua in quele e diceua A te o signore ho leuato gli ochii mei lo quale habite in celo, ecco l'anima mia ha in te confidentia, o signore, e similaltre diuotione.

9. Lo nono è che oraua tenendo le mane expante auante lo peto quasi in modo di uno libro aperto, et alcuna uolta çonçeua le mane in modo come comunamente se depinge la madre di idio la quala piange lo figliolo crucifixo apreso la croce, et alcuna uolta teneua le mane expanta a gli humeri, gli quali tri modi appareno in queste tre figure. Estaua tuto admiratiuo come se aspectasse risponsione di la sua richiesta, o uero come fano quegli gli quali parlano e rispondeno insieme. Unde chi hauesse ueduto allora questo sancto secundo che refferiteno gli soy sancti compagni gli pareua uedere uno propheta a cui reuelasse idio occultamente magni secreti o uero anche hauesse parlato cum uno angelo di alcuno misterio. Lo quale alcuna uolta furaua lo tempo et anche lo luogho per potersse exercitarse quando era in camino nigli dicti modi. E da poy se aconpagnaua cum gli conpagni e parlaua altissimamente quasi come un altro di gli facti e conditione di idio.

10. Lo decimo modo è che oraua stando tuto drito cum lo corpo tenendo le brace aperte come sta lo saluatore su la croce, in questo modo. Lo qualo modo non usaua nondimeno exepto quando richiedeua a idio magne cose, e persuadendo a gli altri che non orasseno in quelo modo excepto per cose quale fusseno difficile. E diceua allora cum Daui Io ho chiamato a te o signore tuto lo çorno, ho expanto a te le mie mane, e simile.

11. Lo undecimo è che oraua leuando se su le sumitade di gli pedi tenendo le mane leuate e çonte sopra lo capo quasi come sagita la quala fusse cum impeto gettato in celo, in questo modo. Nelo quale modo non molto dimoraua ma doppo alquanto ritornaua in se come fusse uenuto di longa uia e di paese longinquo e come citadino celestiale peregrino in questo mundo. Et era udito

nelo dicto modo che diceua Exaudisse signore la uoce di la mia oratione dimente ch'io oro a te, dimente ch'io leuo le mie mane a lo tuo sancto tempio, e intri nelo tuo conspecto la mia oratione, e la leuatione di le mie mane sia a te sacrificio uespertino.

12. Lo duodecimo è che oraua tenendo uno libro dauante, segnandose cum lo signo di la croce cum grande reuerentia, et in qualo legeua come se hauesse parlato con idio cum molta attentione, in questo modo. E diceua Udiro quelo che parlara in me lo signore idio. Da poy pareua che disputasse cum uno compagno interrogando e rispondendo a quelo, mo alterato, mo quietato, mo ridendo, mo piangendo, mo firmando lo suo aspecto nelo libro, mo rimouendo quelo, mo percutendo se lo pecto, mo silentemente parlando. E molto anche ueneraua lo libro. Unde inclinandose quello basaua. Et alcuna uolta ascondeua la facia da lo libro, et alcuna uolta se la poneua nele mane o uero nel'asta di lo scapolario. E poy come pieno di affecto lo quale rendesse gratie ad una persona excellente di beneficii receuti cum reuerentia se leuaua da lo libro. Da poy se inclinaua a quelo come in se facto quieto e da capo legeua ne lo libro.

13. Lo tertiodecimo modo è che oraua inçenoghiato, auenga pare non fusse molte uolte, in questo modo. Et allora era udito che diceua Exaudisse signore la mia oratione quando te pregho e libera l'anima mia da lo timore di gli inimici. E come fusse exaudito tuto yllarato sottoçonçeua Tu m'ay diffenssato da la congregatione di gli maligini e da la moltitudine di quegli gli quagli sono operatori di la iniquitade.

14. Lo quartodecimo modo è che oraua spogliato nudo et inçenochiato e faceua se disciplinare ad uno frate secundo che se crede nominato Yspano, lo quale fu uno di gli examinati da gli ambassiatori o uero delegati di lo papa sopra la sanctitade di questo sancto, in questo modo. Lo quale frate rifferite questo dicendo che dimente era disciplinato che oraua tenendo le brace cortese dicendo quelo psalmo Miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam. E credo per questo sia introducto in questo ordine consuetudine che certi tempi uno frate disciplina tuti gli altri insieme congregati a cio almeno possano per alcuno modo participare di le discipline di lo suo padre. Ma se debbe molto notare che in tuti gli predicti modi gli quali usaua sancto Domenico nela oratione sempre piangeua e spargeua abondantia di lacrime et etiam impetraua cio che dimandaua. Lo quale ne anche se moueua da quela per qualunque impedimento o uero turbatione.

PAIO
SERMONS 1 ET 10 POUR LA FÊTE DE SAINT DOMINIQUE
(p. 1266-1277)

TUGWELL Simon, *Pelagius parvus and his « Summa ». A preliminary enquiry and a sample of texts*, *Dissertationes Historicae* XXXIV, Roma : Angelicum University Press, 2012, p. 371-376 ; 401-406.

1

Incipit sermo primus in festo sancti Dominici predicatorum.

Quasi stella matutina etc. usque in templo dei. Ecc[i]. l.a.

Spiritus sanctus tribus rebus comparat beatum Dominicum in hiis uerbis, scilicet: primo stelle matutinali, ibi, Quasi stel<la> etc. usque nebule; secundo lune plene, ibi, Et quasi lu<na> pl<ena> etc. usque lucet; tercio soli reffulgenti, ibi, Et quasi sol etc.

Quorum primum est clarum et pulcrum, secundum clarius et pulcrius, tercium clarissimum et pulcherrimum.

Unde pulcre et ordinate tres status dat intelligi uite eius, scilicet : primo statum puericie uel adolescencie in quo fuit quasi stella matutina quia claritatem, id est innocentiam babtismalem, ut arbitramur retinuit; secundo statum iuuentutis in quo fuit quasi luna plena quia religionem ingressus claritatem perfecte obedientie addidit; tercio statum uirilis etatis in quo fuit quasi sol reffulgens quia radios claros sancte predicationis per orbem longe lateque transmisit.

Sic igitur patet: primo quod ualde bene incepit, secundo quod in melius profecit, tercio quod obtime consumauit, iuxta illud Prouer. iiii.e, Iustorum semi<ta> quasi lux etc. usque diem. Semita iusti est uita iusti que proficit de uirtute in uirtutem. Dies perfectus est dies claritatis celestis patrie quia, sicut dicit M[t]. xiii.f, Iusti ful<gebunt> in reg<no> p<atris> eorum. Dicit ergo, Quasi stella etc. Comparat autem spiritus sanctus beatum Dominicum hiis tribus, scilicet stelle lune et soli, quia eorum nature et beati Dominici gratie similantur.

Igitur primo comparat eum stelle propter tria.

Primo quia magna est in existentia licet parua sit in aparentia. Ideo autem uidetur parua quia est situ remotissima multo alcius supra solem, quod satis patet si quis in speculo operto aqua meridie contempletur. Et beatus Dominicus paruulus uidebatur etate sed magnus erat sanctitate. Unde in uita eius dicitur: Cum esset adhuc paruulus nondum a nutricis diligencia segregatus deprehensus est sepe lectum dimittere et decumbere super terram, et extunc duxit in consuetudinem declinata stratus mollicie dormire frequentissime super terram.

Secundo quia fixa est in celo et ideo quantum in se immobilis. Ysidorus: Stelle a stando dicte, quia fixe sunt semper in celo nec cadunt, nam quod stelle labi uidentur non sunt stelle sed ignes celi ex aere lapsi qui fiunt dum uentus altiora petens ethereum ignem secum trahit. Sic et beatus Dominicus stabilis fuit, non mobilis ad uana. Unde dicitur in uita eius: Non se cum ludentibus miscuit nec cum hiis qui in leuitate ambulant participem prebuit sed instar pla<cidi> Ia<cob> u<agos> E<sau> c<auebat> ex<cursus>.

Tercio quia cum firmamento non solum est mobilis sed etiam perpetuo mota. Ysidorus: Stelle immobiles sunt et cum celo fixe perpetuo motu feruntur. Sic et beatus Dominicus mobilis fuit cum diuina uoluntate ad bona. Unde dicitur in uita eius: Tanto diuini feruoris impetu ferebatur

ut ipsum esse uas honoris et gratie, uas or<natum> o<mni> l<apide> pre<cioso>, haut du<biu>m probaretur.

Bene igitur stelle assimilatur. Unde dicitur in uita eius: Beatus Dominicus, predicator<um> dux et pater inclitus, appropinquante mundi termino quasi nouum sydus emicuit. Item uisus est cuidam nobili matrone quasi stellam habens in fronte que totam terram suo lumine perlustrabat.

Secundo lune, et hoc propter tria.

Primo quia luna minuitur ut repleat elementa. Unde beatus Ambrosius in libro .iiii.° Exameron: Minuitur luna ut elementa repleat; donauit hoc ei qui omnibus donauit gratiam: exinaniuit eam ut repleat qui etiam se exinaniuit ut omnes repleret; exinaniuit enim se ut descenderet nobis, descendit nobis ut ascenderet omnibus. Ascendit enim inquit apostolus, Eph. iiii.b, super o<mnes> ce<los> ut adim<pleret> o<mnia>. Sic et beatus Dominicus exinaniuit se substantia temporali ut pauperes repleret: primo multum Palentie omnia sua pauperibus largiendo, sed secundo magis religionem ingressus propria renunciando, tercio maxime tandem ordinem predicatorum suscipiendo et etiam proprium commune penitus abiciendo.

Secundo quia impletur ut illuminet obscura. Ambrosius in libro .iiii. Exameron: Merito sicut luna ecclesia que toto mundo refulsit et tenebras seculi huius illuminans dicit, (sp.), Nox precessit, di<es> a<utem> appropin<quauit>. Sic et beatus Dominicus impleuit se scientia spirituali ut tenebrosos illuminaret, quod ut perfecte facere posset cogitauit a uino abstrahere carnem suam, unde uinum per decennium non bibebat.

Tercio quia rorem fundit ut foueat semina, augmentet fructus. Ambrosius in libro .iiii.° Exameron: Luna siquidem in id se induit mi<ni>sterium in quo<d> et frater (id est sol) ut illuminet tenebras, foueat semina, augeat fructus; habet etiam pleraque a fratre distincta, ut quem toto die calor humorem terre siccauerit eundem exigue noctis tempore ros reponat, nam et ipsa luna larga roris asseritur. Sic et beatus Dominicus rorem lacrimarum multarum emisit ut aridos, id est peccatores, rigaret. Unde in uita eius dicitur: Flebat autem uberrime atque creberrime et, sic<ut> ait Ps. xlii.(sp.), fuerunt ei lacrime sue pa<nes> die ac nocte; et, sicut ait apostolus, (sp.), gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus sibi proprium uindicabat. Flendi pro peccatoribus, pro miseris, pro afflictis, specialem gratiam contulerat ei deus.

Tercio soli similiter propter tria.

Primo quia sol rotundus est in forma. Hoc patet. Dicunt autem philosophi quia forma rotunda est perfecta. Similiter et beatus Dominicus rotundus erat in consciencia quia sine angulis et rugis duplicitatis. Unde in uita eius dicitur: Hoc eum faciebat cunctis gratissimum quod simpliciter gradiens nullum duplicitatis aut fictionis pretendebat uestigium.

Secundo quia sol calidus est in natura, ad minus effectiue. Ambrosius in libro .iiii.° Exameron: Sol non solum uirtutem illuminandi habet, sed etiam uaporandi; igneus enim est, ignis autem et illuminat et exurit. Et beatus Dominicus calidus fuit in doctrina. Unde: Verbum eius quasi facula ardebat quia in spiritu ue<nerat> et uir<tute> He<lie>.

Tercio quia sol clarus est in natura, ad minus effectiue. Ambrosius in libro .iiii°. Exameron : Sol non solum etc. ut supra. Et beatus Dominicus clarus fuit in exemplari uita. Quot enim exempla pietatis, miracula sanctitatis, predicatores ueritatis a se emisit quasi tot clarissimos radios per orbem longe lateque transmisit.

Item in translatione eiusdem. Sermo decimus.

Ecce odor etc. usque dominus. Ge. xxvii.d.

Verba hec, que de patriarcha Iacob iuxta litteram dicta sunt, patri nostro sancto Dominico in translatione sua obtime conueniunt. Omnes enim sancti etiam in hac uita filii dei su<nt> s<ed> n<ondum> a<pparuit> q<uid> e<runt>. In translatione igitur sancti huius bene potuit Christus dicere Ecce odor etc.

Reuera enim in apertione sepulcri eius tanti odoris suauitas emanauit quantam me numquam arbitror percepisse. Nam tunc temporis ipse presens fui Bononie. Presens fui, unde mirari et dicere potui Ecce odor patris mei sicut odor agri ple<ni> quem be<nedixit> dominus. Non solum enim ossa illa sancta sed etiam panni et puluis et capsa et terra et manus tangentium aliquid horum mirabili et pene incredibili fraglantia redoleba<n>t. Nec immerito post mortem suam dominus ei contulit donum istud qui in uita sua tantis uirtutum odoribus habundauit. Cum enim multi sint spirituales odores in hoc mundo, nullus huic beatissimo noscitur defuisse.

Est enim odor primus sancte conuersationis. .ii.ª Cor. ii.(sp.), Bonus odor Christi sumus deo. Hunc habuit beatus Dominicus. Fuit enim:

Primo in puericia et adolescentia mundus pius sapiens scolaris. Unde dicitur in uita eius: Iste fuit ab ipsis cunabulis indolis ualde bone, non se cum ludentibus miscuit nec cum hiis qui in leuitate <ambulant> sed instar placidi Iacob uagos Esau caue<bat> ex<curs>us, sinum matris ecclesie ac do<mestica> t<abernacula> non re<linquens>.

Respuebat seculi lasciuientis illecebras, in uia imma<culata> uirginitati<s> sue decus il<libatum> usque in finem incor<ruptionis> ama<tori> d<omino> con<seruauit>. Eodem tempore cum Palencie stu<dens> persi<steret> or<ta> est fa<mes> ua<lida> f<ere> p<er> u<niuersam> Yspa<niam>. Tunc ipse ne<cessitate> pa<uperum> per<motus> et <e>stu<ans> i<n> s<e> com<passionis> a<ffectu> uendidit libros quos ualde ne<cessarios> p<ossidebat> cum omni sup<pellectili> sua, <et> e<limosinam> q<uandam> i<nstituens> dispersit dedit pauperibus etc.

Secundo in iuuentute religiosus deuotus et sanctus canonicus regularis. Unde dicitur in uita eius: Dum huiuscemodi ascensiones in corde suo uir d<ei> d<isponeret> etc., ad audi<entiam> episcopi oxomensis ipsius fa<ma> per<uenit>, qui di<ligenter> percunta<ta> de ipso ueritate ac<cersitum> in sua fecit ecclesia ca<nonicum> re<gularem>. Ille uero inter suos con<canonicos> <uelut> i<ubar> s<ingulare> e<micuit> humilitate cordis imus, sancti<tate> pre<cipuus>, factus omnibus odor in uita<m> et quasi thus redolens in diebus estatis. Hic patet quod bene poterat dicere episcopus ille Ecce odor etc.

Tercio in uirili etate predicator uerax constans feruidus generalis. De hoc satis patet in uita eius, scilicet quam uerax constans et feruens predicator fuit generalis.

Secundus recte predicationis. Can. vii.(sp.), Odor oris tui (glosa: Fama predicationis tue) sicut malorum. Os sancte ecclesie quo filios erudit et castigat est predicator. Iere. xv.g, Si separaueris precio<sum> a ui quasi os m<eum> e<ris>. De hoc odore dicit sponsa Christo, Can. vii.f, Veni dil<ecte> mi etc. usque in portis nostris. Glosa: Quasi di<cat> Vere possumus egredi quia habeo tales predicatores qui suo odore, id est exemplo, confirment minores, quia mandragore que sunt in portis nostris, scilicet uirtutes, de<derunt> odo<rem> s<uum>. Porte sunt apostoli uel quilibet predicatores et eorum successores. Hec glosa bene conuenit tempori sancti Dominici. .ii.ª Cor. ii.(sp.), Deo gratias qui sem<per> trium<phat> n<os> (id est triumphare facit de hereticis tholosanis, poterat dicere sanctus Dominicus), et odo<rem> no<titie> s<ue> (id est odoriffera

uerba predicationis quibus deus inuisibilis notus efficitur) manifestat etc. usque sumus [suauis] deo. Odor iste uegetat diligentes et necat inuidentes. Ideo hic, In hiis qui sal<ui> fi<unt> (gratia dei et nostra predicatione, qui dicere possunt, Can. i.a, Curremus in odo<rem> un<guentorum> t<uorum>) et in hiis qui pere<unt> (inuidia sua et odore predicationis nostre). Sicut enim suaui odore serpentes et buffones fugiunt et pereunt tabescentes, sic demones et heretici odore predicationis uerissime molestantur. Dicitur quod quidam stabularius transiens ante apotecam aromatum ita suaui odore illarum specierum turbatus est ut corruens fere spiritum exhalaret, sed apposito fumo stercoris ad nares eius solito fetore reffocillatus est. Sic heretici odore predicationis predicatorum affliguntur et fugiunt, in sordidis autem uerbis que in antris musitant delectantur, sicut scarabei latent et delectantur in stercore.

Tercius bone opinionis. Prouer. xxii.a, Melius est n<omen> bo<num> etc. usque bona. Satis habundauit hoc odore sanctus Dominicus, ut in uita eius legitur: Itaque uirtute et opinione proficiebat seruus dei Dominicus et inuidebant heretici.

Quartus deuote orationis. Apo. v.(sp.), Fialas ple<nas> odo<ramentorum> que sunt o<rationes> s<anctorum>. Hoc etiam habundauit. Erat enim ei pernoctandi in ecclesiis creberrima consuetudo usque adeo ut uix aut raro certum ad quiescendum lectulum uideretur habere. Orabat igitur noctibus et perseuerabat uigilans q<uantum> a f<ragilitate> c<orporis> e<xtorquere> p<otuisset>. Cum tandem la<ssitudine> s<uccedente> etc. somni interpel<laret> n<ecessitas> siue ante altare siue alio quocumque in loco aut certe super lapidem instar patriarche Iacob capite reclinato paululum requiescens rursus euigilabat ad spiritum orationisque feruorem.

Quintus perfecte humilitatis. Can. i.(sp.), Nardus m<ea> de<dit> odo<rem> s<uum>. Hoc etiam habundauit. Fuit enim humilitate cordis imus, sanctitate precipuus.

Hiis igitur odoribus habundauit beatus iste Dominicus in uita, ideo post mortem tam suauiter corpus eius in puluere redolebat. Si igitur ita in sepulchro, quantus erit odor in celo empireo? Audi. In ciuitate domini cla<re> sonant iugiter organa sanctorum, ibi cina<momum> et bal<samum> o<dor> s<uauissimus> c<orpora> s<anctorum>, i<bi> a<ngeli> et a<rchangeli> <hymnum decantant ante thronum dei alleluia>.

GUILLAUME PEYRAUT
SERMON POUR LA TRANSLATION
DE SAINT DOMINIQUE
(p. 1282-1297)

Guilielmi Alverni opera omnia, Paris : Apud Dionysium Thierry, 1674, p. 422-424, texte revu sur Paris BnF lat 12422, f. 220r-221vb.

Sermo in translatione beati Dominici

Enoch ante translationem habuit testimonium placuisse Deo, Hebr. 11.

Studium et desiderium omnium hominum ad hoc debet esse ut ipsi Deo placeant et Dei placitum faciant, pro Dei placito suum placitum relinquentes : "Est virtus placitis abstinere bonis." Sic[ut] suum placitum perfecte obtinebunt, illud scilicet quod animæ summe placet, quod nunquam vel nulli displicet, cujus comparatione alia placentia displicentia sunt.

Et secundum magnitudinem ejus cui placere quærunt debet esse magnitudo studii et desiderii eorum. Hieron. in Epistolis : « Tanto majori studio placendi opus est, quanto maior est cui placendum est ». Licet studium et desiderium omnium hominum debeat esse ad placendum Deo, maxime tamen clericorum et religiosorum. Primo quia multa placentia reliquerunt, ut eidem totaliter intenderent et amplius ei placerent 1. Cor. 7 : Qui sine uxore est sollicitus est quæ Dei sunt ut placeat Deo, qui autem cum uxore est sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori et divisus est.

Secundo quia stare habent in conspectu Domini, cui habent ministrare quod valde periculosum est illi cui iratus est Dominus. Principes hujus sæculi vix possunt sustinere quod ille cui offensi sunt veniat ante eos. Quid ergo cum ante regem regum quasi continue stat qui eum offendit? Abac. 1. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et ad iniquitatem respicere non poteris. Ephes. 1. Elegit nos Deus ut essemus sancti et immaculati in conspectu illius. David : Ero immaculatus cum eo. De his qui licet Deo displiceant, tamen stant in conspectu ipsius, conqueritur Dominus. Isaiæ 65. Heu, populus qui ad iracundiam me provocat ante faciem meam semper. Quando Dominus hoc diu sustinuit, aliquando hac de causa eos interficit secundum illud, Levit. 10. Sanctificabor ego, inquit, in his qui appropinquant mihi, id est sanctus apparebo, peccata eorum non dissimulando, sed de illis vindictam sumendo.

Tertio quia Deum pro aliis habent placare, unde oportet eos Deo placere. Bernardus : « Si non places non placas, cur ergo Sacerdos ? » Idem : « Væ filiis iræ, qui nondum reconciliati, officium reconciliationis sibi assumunt ». Eccli. 44. In diebus suis *placuit Deo*, *et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*. Clericis et religiosis frequenter ponendum est ante oculos cordis speculum sacræ scripturæ, ut si fuerit in eis fœditas aliqua, videant eam et removeant. Hieron in Epistolis : « Impossibile est Deo quemquam posse placere , qui quid ei placeat ignorat ». Fieri potest ut etiam obsequendi uoto offendat, qui quomodo obsequi debeat ante non didicit. Frequenter etiam recogitandi sunt eis viri sancti, qui Deo excellenter placuerunt, ut imitando eos Deo placeant, quia secundum verbum Senecæ : Nisi ad regulam prava non corriges.

De numero virorum Deo excellenter placentium fuit beatus Dominicus, de cujus translatione hodie sollempnizamus, ad quem verbum propositum referre volumus quod dicit Apostolus de Enoch, qui fuit septimus ab Adam, et satis competenter potest ad eum referri, cum ipse fuerit valde similis Enoch. Secundum hunc modum loquendi vocat veritas Joannem Heliam. Matth. 11. Omnes Prophetæ et lex usque ad Ioannem prophetaverunt, et si vultis recipere, ipse

est Helias qui venturus est, etc. Eiusdem XVII: Dico uobis Helyas iam venit etc. Tunc intellexerunt discipuli, quod de Joanne Baptista dixisset eis. Beatus Dominicus fuit Enoch secundum nominis interpretationem, interpretatur nomen cum Deo ambulans vel ædificans, proficiendo de virtute in virtutem. Cum Deo ambulavit, prædicatione sua ecclesiam ædificavit quidem. Econtra cum diabolo ambulant, dum in malo proficiunt uel potius deficiunt, qui quanto a Deo plura bona recipiunt, tanto magis pomposi sunt Psalm. 73 . Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.

Enoch ante translationem habuit testimonium placuisse Deo. Sed beatus Dominicus et ante translationem, et in translatione, et post testimonium habuit placuisse Deo. Nunc de his in quibus fuit similis Enoch prosequamur. Sex de Enoch possumus habere ex scriptura sacra. Primum est quod fuit fidelis. Heb. 11. Fide Enoch translatus est. Secundum est, quod cum Deo ambulavit. Genes. 5. Tertium quod timore judicii homines ad pœnitentiam incitavit, unde legitur in canonica Judæ. Prophetavit autem de his septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes et arguere omnes impios, etc. Quartum quod Deo excellenter placuit. Sap. 4, Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est. Ecclesiastici 49. Nemo natus est in terra qualis Enoch. Quintum est quod translatus est. Sextum est quod gentibus sapientiam est daturus. De his duobus legitur Ecclesiastici 44. Enoch placuit Deo, et translatus est in Paradisum, ut det gentibus sapientiam.

Quantum ad primum fuit beatus Dominicus similis Enoch, quia fuit valde fidelis. Cum vitam suam ad fidei defensionem expendere voluit, ut contra Hæreticos fidem defendere posset, ipse patriam suam reliquit, in terram Albigensium venit, ubi multos labores et multas irrisiones sustinuit, periculis multis se exposuit, abstinentiis immoderatis corpus suum afflixit. Intelligens enim quod hæretici praetextu magnæ abstinentiæ simplices homines deciperent, ut eis posset resistere, quandoque per totam Quadragesimam jejunavit in pane et aqua, et super tabulam nudam jacuit. Ipse ad defensionem fidei ordinem Prædicatorum instituit. Quantum ad hunc zelum fidei multi ministri Ecclesiæ sunt ei valde dissimiles, fidem in se perimentes et in aliis impugnantes. Fidem in se perimit qui mala opera agit, fides enim sine operibus mortua est, Jac. 2. Fides dicit Deo illud Genes. 30. Da mihi liberos, alioquin moriar. Bernardus : « Bene placas Deum, tuæ fidei interfector ? » Fides est primogenita virtutum, unde quasi primogenitam Dei occidit, qui fidem habens mala opera agit. Mali ministri Ecclesiæ vita sua fidem impugnant, quia maximum argumentum quod habent hæretici contra fidem Catholicam est eorum mala vita : dicunt [ms : dum] enim si que dicunt crederent, non sic viverent. Quis credat alicui si cibum aliquem delicatum venenatum asserit, et tam cito illum comedit. Job. 6. An gustare aliquis poterit quod gustatum afferat mortem? Præterea quam securitatem habet homo simplex, quod Sacerdos non mentiatur, quem scit non timere fornicari, vel adulterari vel simoniam committere. Et licet constaret de Sacerdote malo quod nollet decipere mentiendo, tamen timeri potest, ne ipse decipiatur, peccatum enim hominem excæcat. August. : Errat quisquis veritatem se posse cognoscere putat si adhuc nequiter vivat. Cum modicum pulveris injectum oculo corporis eius visum impediat, quid potest facere magna moles terrae occupans oculum Ecclesiæ? Quomodo clare videt ille, in quo ignis concupiscentiæ est, ex quo multus procedit fumus? Quomodo sapientiæ lumen ad eos venit qui spurcitia manuum suarum illud a se prohibent? Ecclesiastici primo. Concupiscens sapientiam serva justitiam, et Deus præbebit illam tibi. Ejusdem. 27. Volatilia ad sibi similia conveniunt, et veritas ad eos qui operantur illam revertetur. Apocal. Tertio. Collyrio inunge oculos tuos ut videas. Glosa : Collyrio oculi ut videamus inungentur, cum ad agnoscendam veri luminis claritatem intellectus nostri aciem medicatione bonæ operationis adiuvamus.

Quantum ad secundum fuit similis Enoch. Vere enim cum Deo ambulabat, quod tribus de causis potest intelligi dictum. Primo quia Dei offensam sollicite evitavit, secundo quia Deo propter se adhæsit, tertio quia Deo valde familiaris fuit.

Offensam Dei solicite cavit, viuens ac si Deum iuxta se videret. "Es qui turpe facis quod me spectante ruberes. Cur spectante Deo non magis ipse rubes." Boëtius "Magna nobis si dissimulare nolumus indicta est probitatis necessitas, cum agamus ante oculos iudicis cuncta cernentis." Mich. 6. Indicabo tibi homo quid sit bonum, et quid Deus requirat a te: utique facere iudicium et diligere misericordiam et sollicite ambulare cum Deo tuo.

Ille cum Deo ambulat, quem iniquitas ab eo non separat, cum innocenter vivat, Isaiæ 59 : Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum in Psalm. 24. Innocentes et recti adhæserunt mihi. Et notandum quod quidam ambulant contra Deum, quidam ante Deum, quidam post Deum, quidam cum Deo.

Contra Deum ambulat qui mundum usque ad Dei contemptum amat, amicus enim hujus mundi, inimicus Dei constituitur. Iacob. 4. Iob 15. Cucurrit adversus Deum erecto collo, et pingui cervice armatus est. In colli erectione intelligitur amor præeminentiæ; in pinguedine vero rerum affluentia, qua aliqui armantur quia in malis suis deffenduntur. Superbia currit in infernum, sicut humilitas in paradisum. Augustinus : « Væ homini cuius auriga est superbia, necesse est enim ut præceps eat ». Navicula Petri pro magna parte vento superbiæ agi videtur unde timendum est ne scopulis allidatur et frangatur. Ecclesia pro magna parte sui nimis quærit altitudinem sæcularem, unde timendum est ei de ruina. Proverb. 17. Qui altam facit domum suam, quærit ruinam. Hodie abominatio stat in loco sancto in multis Ecclesiis. Matth. 24. Cum videritis abominationem desolationis quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Abominatio est sæcularis altitudo, secundum illud, Luc. 16. Quod altum est apud homines, abominatio est ante Deum.

Ante Deum ambulat, qui per viam delicatam et latam portam intrare vult regnum cœlorum, cum Christus per arctam viam et angustam portam intraverit. Matth. 7. Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta est via quæ ducit ad vitam, etc. Luc. ult. Nonne oportuit pati Christum et sic intrare in gloriam suam? Augustinus: Frustra moliorem viam speramus, nisi qua præcessit eamus. Ioann. 15. Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis non est servus major Domino suo. Ante Christum volebant ire filii Zebedæi volentes conregnare, sed non compati. Matthæi. 20. Similiter et Petrus volens impedire Christi Passionem, cui dictum est: Vade post me Sathana Matth. 16.

Post Deum ambulant pœnitentes. Matth. 16. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Cum Deo vero ambulant innocentes, secundum illud Apocal. 3. Habes pauca nomina in Sardis qui non inquinaverunt vestimenta sua, ambulabunt mecum in albis quia digni sunt.

Sic beatus Dominicus cum Deo ambulavit, qui virginitatem toto tempore vitæ suæ servavit. Aliter etiam cum Deo ambulavit, quia ei propter se adhæsit. Videntur multi in Ecclesia ambulare cum Deo, qui potius ambulant cum divitiis Quando canis anbulat cum duobus, dum simul vadunt non agnoscitur quis sit dominus eius, sed si se separaverint, tunc agnoscitur, quia canis sequitur Dominum suum. Sic dum in Ecclesia sunt divitiæ, non agnoscitur quis Christum sequatur vel divitias. Sed tempore Antichristi cum fiet separatio divitiarum ab Ecclesia, tunc agnoscetur. Tunc derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario. Isaiæ primo.

Beatus Dominicus sicut erat Dominicus nomine, sic voluit esse Dominicus re, et ut totaliter esset Domini, divitias voluit relinquere sciens illud esse verum, non potestis servire Deo et

mammonæ. Matth. 6. Mammona Syra lingua divitiæ, Chrysost. Divitiæ a Dei servitute nos expellunt in suam captivitatem. Vnde in Psalm. 75. Viri divitiarum dicuntur avari. Et sicut beatus Dominicus vere fuit Domini sic voluit adhærentes sibi domini esse unde ei competit illud. Exod 32 (26). Si quis Domini est iungatur mihi. Et subdit (32, 27): Ponat vir gladium super femur suum: ite et redite de porta ad portam per medium castrorum, et occidat fratrem et amicum et proximum suum. Qui vere Domini est non habet amorem nimium ad nepotulos suos, imo si sciret placitum Deo esse, esset paratus occidere eos, sicut Abraham ad mandatum Domini paratus fuit occidere dilectum filium suum. Genesis 22. Luc. 14 (26). Si quis venit ad me et non odit patrem suum, etc. non potest meus esse discipulus.

Item beatus Dominicus, cum Deo ambulavit, quia Deo fuit valde familiaris, de die nullus eo communior, de nocte nullus eo in oratione ferventior. De die intendebat operibus misericordiæ, de nocte orationi et contemplationi. in Psalm. 41. In die mandavit Dominus misericordiam suam et nocte canticum eius.

Quantum ad tertium fuit similis Enoch, prædicator enim fuit valde fervens, unde mater eius antequam ipsum conciperet vidit in somnis se gestare catulum accensam in ore faculam bajulantem, quæ totum mundum incendere videbatur. Ipse opus Apostolicum, Angelicum et divinum, scilicet prædicationem, quæ pro negligentia Prælatorum quasi extincta erat, suscitavit.

Istud opus Apostolicum est secundum illud 1. Corinth, primo. Non misit me Deus baptizare, sed evangelizare. Glossa Augustini : « Perfecte baptizare etiam minus docti possunt. perfecte autem evangelizare multo est difficilioris et rarioris operis ». Ad hoc quod aliquis perfecte evangelizet, oportet ut quasi totus a Spiritu sancto occupetur, ut scilicet scientia sit in intellectu, caritas in affectu, dulcedo in sermone, lux boni exempli in opere. Opus istud est angelicum. Luc. 2. dixit Angelus. Evangelizo vobis gaudium magnum. Et illud Isaiæ 61. Evangelizare pauperibus misit me. Opus etiam divinum est, cum filius Dei hoc opus exercuerit. Marc. 1. Eamus in civitates et vicos proximos, ut ibi prædicem, ad hoc enim veni.

Exercuit autem excellenter hoc opus ad modum primorum Prædicatorum Ecclesiæ, Apostolorum scilicet, cui excellentiæ aureola debetur. Vnde super illud Exod. 25 : Et super illam coronam aureolam alteram, dicit Interlinearis : « In hac figuratur eorum remuneratio, qui in doctoribus excellunt ». Nunquid habituri sunt aureolam Doctores cupidi et avari qui contemptum temporalium verbo prædicant, et contrarium exemplo malo agunt? Qui, ut videtur, contemptum temporalium predicant ut soli habeant, qui potius mammonæ quam Deo serviunt, principaliter enim pro temporalibus operantur. Qui hic mercedem suam recipiunt, quæ est ratio ut cumuletur eis merces in futuro, qui hic prius recipiunt quam mereantur ? Sed quid erit de illis qui divitias non habent de facto, sed tantum habent eas in desiderio? Sed nunquid illi inter excellentes doctores numerandi sunt ? Videtur quod non. Sicut ille qui habet integritatem in carne, et corruptionem in mente manens, talis non est dignus aureola. Hieronym. « Nihil prodest habere virginitatem, si mente quis nupserit ».

Quantum ad quartum fuit beatus Dominicus similis Enoch, excellenter enim Deo placuit, cum habuerit fidem vivam, conversationem puram, doctrinam sanam, quæ tria specialiter placent Deo.

Fides adeo placet ei quod sine ea impossibile est placere Deo. Hebr. 11. Eccles. 1. et quod beneplacitum est Deo fides et mansuetudo.

Puritas etiam multum placet ei Cantic. 2. Qui pascitur inter lilia.

Zelus etiam animarum multum placet ei, nullum enim sacrificium majus est Deo quam zelus animarum, ut dicit Glossa Gregor. super illud Ezech. 4. Sume tibi sartaginem ferream.

Circa quintum notandum quod habuit beatus Dominicus ante translationem suam testimonium placuisse Deo a patre et filio et spiritu sancto, tres enim sunt qui testimonium dant in cœlo. Pater. Verbum. et Spiritus sanctus. 1. Joan. 5. Pater, cui attribuitur potentia dedit ei testimonium dando ei virtutem in miraculorum operatione. Filius, cui attribuitur sapientia, qui et verbum patris dicitur, dedit ei testimonium in sapienti verbi administratione. Spiritus sanctus cui attribuitur bonitas, dedit ei testimonium in bona conversatione.

In translatione vero sua testimonium habuit odoris mirabilis, qui de ejus corpusculo exivit, cum fœtor secundum naturam ab eo exire deberet. Et notandum quod diversis sanctis dedit Dominus diversa testimonia placentiæ suæ vel in morte vel post mortem.

Aliquibus dedit testimonium lucis, ut Joanni Evangelistæ et Andreæ, super quos lux magna in morte apparuit.

Aliquibus vero testimonium unctionis, ut Nicolao et Catharinæ.

Aliquibus vero testimonium odoris, ut beato Dominico. Et convenienter institutori Ordinis prædicatorum fratrum tale testimonium datum est, cum odor boni exempli multum necessarius sit predicatoribus, unde dicebat ille egregius prædicator, Christi bonus odor sumus, 2. Corinth. 2. et monebat ad hoc Timotheum et Titum, 1. ad Timoth. 4. Exemplum ergo fidelium esto, etc. Tit. 2. In omnibus præbe te exemplum bonorum operum. Qui habet doctrinam bonam et exemplum malum sedet in cathedra pestilentiæ.

Maximus defectus hujus odoris erat, cum Dominus dedit Ecclesiæ beatum Dominicum. Multum enim nocet Ecclesiæ Dei, quod illi qui habent eam docere pro magna parte fœtore mali exempli eam corrumpunt. Hierem. 51. Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis universam terram. Valde conveniens fuit, ut de corpore illo, unde dum viveret, exierant verba sapientiæ, ad cuius aromaticitatem ostendendam Spiritus sanctus tot creaturis redolentibus utitur, Eccl XXIIII, exiret etiam post mortem suavis odor et et non fœtor. Non fuerat in vita ipsius sepulchrum patens guttur ejus ideo post mortem convenienter non fœtor sed odor suavis inde exivit.

Excellencia placentie cum fuerit translatio, et possumus distinguere triplicem translationem ejus. Prima fuit de loco periculi in locum securitatis in ingressu religionis. Secunda de loco laboris ad locum quietis, hoc fuit in transitu ejus de mundo ad cœlum, eadem enim die et eadem hora qua defunctus est ostensus est cuidam fratri ascensus animæ ejus in cœlum. Tertia fuit translatio corporis ejus de loco humili ad locum honoris, de qua hodie sollempnizamus.

Circa sextum notandum quod Enoch non est translatus sibi soli, sed utilitati Ecclesiæ, ut tempore necessitatis ejus subveniat, tempore enim Antichristi mittetur ei daturus sapientiam, quia tunc ei consulet contra astutias Antichristi.

Sic beatus Dominicus non sibi soli translatus est, sed utilitati Ecclesiæ, ut scilicet subveniat ei in suis necessitatibus. Et notandum quod magna fiducia debet haberi in eo, non enim deest ei voluntas subveniendi vel facultas. Cum beatus Dominicus tantum fuerit compassus peccatoribus, dum esset in presenti vita, quod pro salute eorum paupertati laboribus et periculis se exposuerit, verisimile est quod adhuc velit juvare eos. Pietas enim ejus non est diminuta sed potius augmentata, quando ante fontem misericordiæ assistit. Præterea charitas quæ est hic igniculus, caminus est in Paradiso. Ipse vendidit libros suos, quando erat scholaris et pretium eorum distribuit pauperibus. Præterea ipse novit per experientiam infirmitatem humanam, quæ tantum hodie abundat, quod non sic antiquitus. Verisimile est quod velit hominibus subvenire. Pietas vero subveniendi, non deest ei, multum enim Deus amat modernos sanctos, qui abundante tanta malitia in mundo sanctitatem servaverunt, et valde magni meriti sunt apud Deum.

Rogemus ergo eum, qui Deo excellenter placuit, ut impetret nobis, ut sic Deo in presenti placeamus, ut in futuro in eo placitum nostrum habere valeamus, prestante domino nostro Ihesu Christo, etc.

EUDES DE CHÂTEAUROUX
SERMONS 1 ET 3 POUR LA FÊTE
DU BIENHEUREUX DOMINIQUE
(p. 1303-1323)

« Odonis de Castro Radulphi S.R.E. Cardinalis Episcopi Tusculani sermones sex de sancto Dominico », *Analecta Sacri Ordinis Prædicatorum* 33 (1925), p. 30-79 (174-223).

Alexis Charansonnet nous a aimablement communiqué le texte de l'édition critique des deux sermons, en préparation à l'Ecole française de Rome.

1

Machab., ultimo: Accipe sanctum gladium munus a Deo in quo diecies aduersarios populi mei Israel. Paulo ante legitur: Nichanor autem ut comperit Iudam esse in locis Samarie cogitauit die sabbati cum omni imperio bellum committere.

Iudas vero Machabeus videns quod dictus Nichanor non poterat a proposito reuocari, confidens semper cum omni spe auxilium sibi a Deo affuturum, hortabatur suos ne formidarent ad aduentum nationum, sed in mente haberent adiutoria sibi facta de celo, ostendens gentium fallaciam et iuramentorum preuaricationem, singulos eorum armans non clipei et haste munitione, sed sermonibus optimis et hortationibus, exposito digno fide sompnio per quod uniuersos letificauit. Erat huiusmodi visus : Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum visu, modestum moribus, eloquio decorum et a puero in virtutibus exercitatum, manus protendentem, orare pro omni populo Iudeorum; post hec autem apparuisse et alium virum, etate et gloria mirabilem, et magni decoris habitudine, contra illum et Oniam dixisse: Hic est fratrum amator et populi Israel. Hic est qui multum orat pro populo, et uniuersa sancta ciuitate Ieremias propheta Dei. Extendisse autem Ieremiam dexteram et dedisse Iude gladium aureum dicentem: Accipe sanctum gladiuum.

In hiis verbis verificatur illud quod in principio Ecclesiast. legitur: Quid est quod fuit ? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est ? ipsum quod faciendum est.

Quod enim factum fuit temporibus Iude Machabei futurum erat in suo simili in diebus beati Dominici, cuius hodie festiuitas celebratur. Unde in hoc facto nobis ostenditur primo qua necessitate beatus Dominicus officium predicationis assumpserit et ordinem predicatorum instituerit; secundo quo merito ad hec dignus fuerit; tercio quale sit hoc officium et qualis hic ordo; quarto quod hoc fuerit opus Dei, quod nec ipse nec alius ad plenum mereri potuit; quinto utilitas huius officii et huius ordinis designatur. Primum notatur in hoc, quod tempore Nichanoris, occasione perturbacionis ab ipso facte, hec visio facta fuit; secundo in hoc, quod hec visio sompnium dicitur; tercio in hoc, quod dicit: gladium sanctum; quarto in hoc, quod dicit: munus a Deo; quinto in hoc, quod dicitur: in quo diecies etc.

1. Dicit itaque: Accipe etc., ut dictum est instante persecutione Nichanoris intendentis in diebus sabbatorum filios Israel perturbare et interficere. Iude Machabeo dictum est hoc in sompnio a Ieremia propheta: Accipe sanctum gladium. Sic beato Dominico datum est officium predicationis et inspiratum est ut ordinem predicatorum institueret quando, cessante persecutione tyrranorum, qui sanctos martires diuersis tormentis et variis penis affecerunt et morti atrocissime tradiderunt et, postquam guerris et perturbacionibus et concussionibus bellorum regum et principum <cessantibus>, Ecclesia incepit pace perfrui et quietem habere et quasi sabbatizare et

habere sabbatismum; de quo Apostolus ad Hebreos: Relinquitur sabbatismus populo Dei in presenti, etsi secundum quid, sed in futuro simpliciter; unde in Ysaia: Erit sabbatum e sabbato, Tunc heretici insurrexerunt contra Ecclesiam dei et eam inceperunt perturbare et mortem spiritualem fidelium procurare, unde tunc impletum fuit illud lamentabile Ieremie: Viderunt eam hostes et deriserunt sabbata eius. Hii enim significati sunt per Nichanorem, qui interpretatur stans lucerna, vel statua lucida. Heretici enim sunt stantes, id est erecti per superbiam, secundum quod de pharyseo legitur in evangelio Luce: Pharyseus stans hec apud se orabat: Deus, gracias ago etc. Status enim corporis exterior et erectio elacionem cordis designabat. Talibus potest dici illud Apostoli: Qui stat, videat ne cadat, quia qui se exaltat humiliabitur. Lucerna sunt per ypochrisim et vanam et obscuram doctrinam.

2. Sic fecit diuina largitas beato Dominico in hoc facto et hoc meruit, etsi non ex condigno, ut postea dicetur, tamen ex congruo, quod notatur per hoc quod Iude Machabeo in sompno apparuit Onias summus sacerdos et Ieremias qui dedit ei gladium. Sompnus est quies animalum virtutum, cum intensione naturalium. Animales virtutes exteriores sunt (f. 270va), naturales interiores. Sic est homo exterior et est homo interior. Est homo etiam animalis et est homo spiritualis. Animalis vero homo se extendit ad ista exteriora, spiritualis vero homo se ad interiora recolligit et, despectis exterioribus, circa interiora, scilicet spiritualia, que merito ineriora possunt dici, quia nobis sunt inuisa et intus sunt ea circa que anima negociatur, et ideo recte actus spiritualis hominis comparatur sompno, unde in persona spiritualis hominis dicitur in Cantico: Ego dormio et cor meum vigilat, et Ieremie xxxi: Quasi de sompno suscitatus sum et somnus meus dulcis mihi ; suscitatur quando exire cogitur siue procurare compellitur curam rerum temporalium. Et ideo in Cantico dicitur: Adiuro vos per capreas, etc.

In hoc sompno vir spiritualis constitutus videt, quasi alter Iacob, scalam attingentem usque ad celum, id est cogitat qualiter in celum possit conscendere, iuxta illud: Ascensiones in corde suo disposuit. Videt quomodo vacce pingues a vaccis confectis macie, et spice plene a spicis tenuibus et percussis uredine deuorantur, id est intelligit quomodo ea que congregantur ab uno ab alio consumuntur, et quod in uno tempore colligitur, in alio dispergitur, et quod vanum est circa talia laborare. Videt etiam statuam quadriformam, scilicet quomodo homines proficiunt in penis. Videt etiam quatuor ventos pugnantes in mari magno, id est quatuor affectiones sibi ad inuicem contrarias in corde hominis, et quatuor bestias ascendentes de mari, diuersas inter se, id est grandia peccata, que de quatuor affectionibus oriuntur.

Beatus Dominicus ab adolescentia hoc sompno delectatus est, quia ex tunc incepit quiescere, id est cessare ab actibus hominis animalis de quo dicit Apostolus: Animalis homo non percipit ex que Dei sunt, et circa spiritualia ardenter incepit agere. Existens in pueritia strati molliciem declinabat. Adolescens consortia mulierum fugiebat. Existens scolaris carnem suam a[bs]traxit a vino per decem annos continue, libros suos vendidit ut de pecunia ex illis habita indigentibus subueniret. Velut alter Nicholaus preuentus fuit Dei misericordia : in adolescentia iugum Domini deportauit, habens illud Tren. iii in corde: Bonum est viro cum portauerit iugum Domini ab dolescentia sua, et illud Prov. xxii: Adolescens iuxta viam, etiam cum senuerit non recedet ab ea. Heu quam dissimilis fuit scolaribus nostri temporis, qui commessacionibus et ebrietatibus incumbentes et aliis pompis, vacui recedunt a studio, sicut et vacui venerunt, ut impleatur illud Ierem. xiiii: Venerunt ad hauriendum et non inuenerunt aquam. Reportauerunt vasa sicut vacua. Transactis etiam decem annis, ad ammonitionem sui episcopi propter infirmitatem corporis vino modico utebatur, ad similitudinem Tymothei. Non sicut aliqui qui, licet nomen usurpauerint optimi vini et preciosi, student calicibus epotandis. Iste libros suos, quos inter cetera scolares caros habent, vendidit ut precium daret indigentibus. Non sic aliqui qui

suam auariciam palliantes in libris sicut in auro et argento thesaurizant, eos dupplicantes et multos preter necessarios accumulantes. Iste, qui libros vendidit, non est dubium quin pecuniam, aurum et argentum, si habuisset, erogasset. Iste non edificauit turrim Babel, castra non emit, possessiones non acquisiuit, parentelas suorum cum magnis sumptibus non fecit, suos non ditauit, sed viscera pauperum repleuit, dispersit, non congregauit, dedit – non rapuit - pauperibus que sua sunt subtrahendo, pauperibus, non consanguineis. Ideo iusticia eius manet in seculum seculi, sicut cantatur de beato Laurentio. Sic eorum qui e contrario faciunt, iniusticia permanet in eternum. Iste non tantum libros suos vendidit, immo seipsum vendere voluit, ut ex accepto precio quemdam ab errore heresis liberaret. Legimus etiam de eodem quod pro redemptione cuiusdam captiui se vendere voluit. Ad instar beati Pauli contumelias, minas et insidias hereticorum multotiens est perpessus. Sed quare ista dicimus ? Ut appareat quibus meritis tantum munus, tantum officium ei fuerit collatum a Domino. Et ab aminiculo talia faciendi quantum ad exteriora dormiebat et ab eis quiescebat. Sompnus enim, ut dictum est, quies est animalium virtutum, que ad exteriora se effundunt. Sed virtutes spirituales hominis in eo intendebantur, que conuenienter naturalibus comparantur. Sicut enim peccare est agere contra naturam, quia omne peccatum contra naturam est ut dicit Augustinus, et a peccato diminuuntur naturales habitudines in anima, sic et bene agere secundum naturam est agere, ex hoc enim naturales habitudines perficiuntur.

3. Et cum talibus esset intentus beatus Dominicus, et velut sompno suauissimo perfrueretur velut alter Onias, Didacus oxomensis episcopus ei affuit, et eum ad suam familiaritatem vocauit et eum canonicum in sua ecclesia constituit, cuius exhortationibus et exemplo prouocatus, totum studium suum ad conuersionem hereticorum et aliorum peccatorum ad Dominum conuertit, et ab excelso Domino, quod interpretatur Ieremias, id est Ihesu Christo, qui est excelsior celis factus, ut dicit Apostolus, audire meruit: Accipe sanctum gladium. Hic est gladius spiritus qui est verbum Dei, de quo alibi Apostolus: Viuus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et de quo in Cantico: En lec[t]ulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi. Uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos; et in Psalmo: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime; et in Exod. Xxxii: Ponat uir gladium super femur suum. Ite et redite de porta usque per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem, amicum et proximum suum.

Hunc gladium longe a femore deportamus, quia carnalem affectionem que per femur [significatur] a nobis non resecamus. Hunc gladium primo super nos quam super alios vibrare debemus. Hic gladius sanctus dicitur ad differentiam impiissimi gladii hereticorum, de quo: Gladius in labiis eorum; et alibi: Dentes eorum arma et sagite, lingua eorum gladius acutus; et in Ierem.: Gladius vulnerans lingua eorum. Beatus Dominicus hunc gladium non prohibuit a sanguine, id est peccata predicando non palpauit. Sciebat enim illud propheticum Ieremie: Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine. Hunc gladium in manu tenuit, iuxta illud: Gladii ancipites in manibus eorum. Habebat enim illud pre oculis, Iacob. II: Sic loquimini et sic facite.

4. Hunc gladium, id est officium predicationis, accepit a Deo sed non ut vile officium, sed ut precipuum et excellens, quod notatur cum dicit: Munus a deo. Unde dicit per Ysaiam xlix: Parum est ut sis mihi seruus meus ad suscitandum tribus Iacob et feces Israel conuertandas. Ecce dedi te in lucem gentium ut sis salus mea usque ad finem terre; Exod. iii: Quis fecit os hominis; et in Luc: Dabo vobis os et sapientiam.

5. Sequitur: In quo deicies aduersarios populi mei Israel. Ecce utilitas officii sibi iniuncti et ordinis instituti. Heretici enim anthomas[t]ice aduersarii populi Domini dici possunt. Tyranni

populo Dei auferunt possessiones, pagani corpora, heretici animas, de quibus Proverb. i dicitur: Semite omnis iniqui animas possidentium rapiunt. Hii sunt rex Sodomorum qui dixit Genes. xiiii: Da mihi animas, cetera tolle tibi. Dicit Dominus in euangelio: Nolite timere eos qui occidunt corpus, sic potuit dicere: Nolite timete eos qui auferunt res vestras, sed valide timendi sunt qui occidunt animas. Heretici enim insidiantur vite nostre. Iustus ex fide viuit, in fide sua viuit. Vere ergo heretici sunt aduersarii populi Israel. Hos deiecit beatus Dominicus gladio verbi Domini et cotidie deicit per fratres suo. Potuit enim dicere illius Ysai. Xlix: Posuit os meum quasi gladium acutum. Sic ergo verificatum est in beato Dominico, et in re factum fuit in eo, quod Iude Machabeo dictum fuit in visione.

Rogemus ergo Dominum Ihesum Christum ut ipse meritis et intercessione beati Dominici det nobis quiescere ab actibus peruersis, det nobis gladium sancti verbi sui vel saltem veram penitentiam ad deiciendum veterem hominem cum actibus suis, ut possimus peruenire cum beato Dominico ad gaudia sempiterna.

2

Sermo in festo beati Dominici

Ecclesiastico 10 : Sta in testamento tuo et ibi colloquere

Testamentum dicitur et condentis et eius ad cuius utilitatem conditum est, unde utrique istorum dicitur : sta in testamento tuo, etc. Beatus Dominicus condidit testamentum et in illo stetit, qui illud nec verbo nec scripto nec opere reuocauit, et ibi colloquebatur.

Hoc etiam testamentum est fratrum suorum ad quorum utilitatem factum est, et in eo debent stare firmiter et pro eo, ut nec verbo nec opere reuocetur. Et ibi debent colloqui sibi ipsis discutiendo suas conscientias, si fecerint aliquid contra dictum testamentum.

Testamentum dicitur pactum, unde super illud Psalmi 82 : Testamentum disposuerunt tabernacula Ydumeorum et Ysmaelite, dicit Glossa : « Testamentum quidem in scripturis non illud solum dicitur quod non valet nisi testatore mortuo sed etiam omne pactum vel placitum quod inter viuos valet testamentum vocatur » Unde Dominus loquens de nouo et veteri testamento, Ier. 31 : Ecce venient dies dicit Dominus et feriam domui Israel et domui Iuda fedus nouum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris in die quando apprehendi manum eorum ut educerem eos de terra Egypti, pactum quod irritum fecerunt et ego dominatus sum eorum dicit Dominus Interlinearis : « dure flagellando ». Ecce quod utrumque testamentum appellat pactum. In primo testamento promisit Dominus antiquis patribus bona presentia et sensibilia, similiter comminatus est mala presentia et sensibilia, Ysa. 1 : Si volueritis et audieritis me, bona terre comeditis ; quod si nolueritis et ad iracundiam me prouocaueritis, gladius deuorabit vos. Similiter Leuit. 26 : Si in preceptis meis ambulaueritis, etc. usque ibi : persequentur quinque de vestris centum alienos, postea subiungit de penis, quod si non audieritis me, etc. Loquebatur enim eis sicut paruulis quibus nutrix promittit ea que versantur in cordibus eorum. Similiter et minatur Osee 11 : Ego quasi nutricius Effraym. Sed postea Dominus tamquam adultis et habentibus sensus exercitatos alia promittit et alia minatur, scilicet in nouo testamento quod nouum fedus et nouum pactum nominatur, in quo promittit bona non huius temporis sed eterna et sub conditione, similiter transgressoribus penas non presentes sed futuras, et quia maiora promittebat maiora precipiebat, ut Mattheo 5 : Nisi habundauerit iustitia vestra plus quam scribarum et phariseorum [non intrabitis in regnum celorum] ; audistis quia dictum est antiquis : non occides; ego autem, etcetera ; similiter : non mechaberis. Ego autem etcetera ; oculum pro oculo… ego autem [dico vobis] non resistere malo ; diliges proximum et odio habebis inimicum

[tuum]. Ego autem [dico vobis]: diligite inimicos vestros ; similiter addidit: in elemosina, in oratione, in ieiunio.

Similiter beatus Dominicus non reputans fratres suos pueros nec volens eos esse pueros, fecit eis testamentum de maioribus : de paupertate, humilitate et caritate, quia hec necessaria sunt predicatoribus, imitatus in hoc magistrum suum qui eos quos mittebat ad predicandum, volens eos expeditos esse, precepit eis, Math. 10: Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis vestris, non panem in via neque duas tunicas neque calceamenta neque virgam, quia si hec portarent, solliciti essent ubi ea reponerent et timerent ne ea amitterent ; et idem etiam dicit : nisi qui renuntiauerit omnibus que possidet, non potest meus esse discipulus. Piscatoribus dicit Math. 4: Venite post me , venite post me. Bene sciebat quod non portarent nauiculam suam nec retia, unde idem fuit ac si dixisset eis : Relinquite omnia. In figura huius legitur Gen. 25 : Deditque Abraham cuncta que possiderat Ysaac, filiis autem concubinarum largitus est munera. Ysaac nichil dedit, quia nichil possidebat, dedit ei nichil in presenti, sed in futuro, quia nec passum pedis possidebat, ut in Actibus 7.

Sed quid dicam ? Certe si diuites fuissent primi predicatores, homines ab eis pecuniam exegissent, ad hoc ut sequerentur eos et eis crederent, sicut petitur a regibus pecunia ab hominibus ut conuertant se ad eos. Hanc paupertatem filii beati Dominici et viri spirituales amplecti deberent et zelare ac per hoc alios inuitare ad idem. Sed aliqua sunt que auertunt homines ne credant quod professores paupertatis sint perfecte contemptores mundanorum. Primum est frequentatio huius curie et aliarum curiarum. Quia homines vident miluos volitantes super aliquem locum vel flumen, presumunt quod ibi sunt aliqua cadauera vel intestina. Quando vident miluum rotare super pullos, quid possunt aliud presumere, nisi quia ad hoc rotant ut pullos rapiant ? Similiter quando vident religiosos circuire curiam et morari in curia, quid aliud suspicantur de eis, nisi quod intendunt rapere episcopatus et maxime quia iam vident quamplures adeptos fuisse episcopatus ? Quod etiam in seipsis sentiunt, in aliis suspicantur, iuxta illud Ecclesiastici : Que sunt proximi tui cognosce ex te ipso. Hoc enim ipsi sentiunt in se ipsis. Aliud est quia litigant tam ardenter de minimis, Luca 16 : Qui in minimo infidelis est et in maximo infidelis erit. Esau eque immo plus peccauit vitio gule, tam ardenter desiderans lenticulam ruffam, quam alius in desiderando carnes bonas et delicatas. O quam gulose comedisset eas ! Sic dicunt homines : O si isti haberent magna predia, quomodo ea diligerent ardenter et pro hiis ardentissime decertarent ! Quomodo potuisset Helias reprehendere Achap de vinea Naboth, si ipse passum pedis orticuli vicini sui per violentiam extorsisset ?

Item beatus Dominicus filiis suis legauit humilitatem, que valde est necessaria predicatoribus. De facili enim subrepit eis elatio, si verba eorum acceptantur, et indignatio si respuantur, unde Luca 10 Dominus dixit reuersis a predicatione : Videbam Sathanam sicut fulgur de celo cadentem. Fulgur illuminat et terret, sic predicatores. Sathan scientia fuit clarus et potestate terribilis, predicator iudicat nobiles et ignobiles et est quasi loco Dei docentis et iudicantis et ideo humilitas valde ei est necessaria ne cadat, Numeris 24 : Homo cuius obturatus est oculus, et omnipotentis visiones videt et cadens apertos habet oculos id est ex hoc quod habet apertos oculos superbit et sic cadit.

Beatus etiam Dominicus legauit filiis suis caritatem sicut et Dominus in fine discipulis suis dilectionem multipliciter commendauit et quasi eis legauit, Iohanne 15 : Hoc est preceptum meum ut diligatis inuicem. Hec valde necessaria est predicatoribus quia ut dicit Gregorius super illud Ezechielis 3 : Factum est in ore meo sicut mel dulce, illi soli de Deo dulciter loqui nouerunt, qui eum totis visceribus amare didicerunt. Amor reddit gratiosum quicquid dicit, quicquid facit amicus, quia uniuersos defectus operit caritas. Cant. in fine : Que habitas in ortis fac me audire

vocem tuam, amici auscultant te. Amor facit ut vox volucris, etiam corui, dulcis sit consorti sue seu compari, Ysa. 13 : Respondebunt tibi ulule in edibus eius. Ulula horrende stridet ut dicit ibi beatus Ieronymus et tamen libenter auditur a compari suo, et hoc facit amor. Propter hoc omnibus modis cauere debent predicatores ne se reddant odiosos, quia quantumcumque bene predicauerint, eorum predicatio respuetur et non acceptabitur nisi se reddiderint amabiles, et ideo oportet ut stent in medio, quia quantum appropinquant uni parti, tantum recedunt ab altera ; et ideo oportet ut stent in medio ut lignum in medio paradisi, ut non teneant partem. Sed dicetis : nos non intromittimus nos nisi de piis causis. Utinam verum dicatis ! Quare presumitur contra aduocatos ? Quia non est causa in qua non utraque pars non inueniat aduocatum et constat quod una pars habet iniustam causam ; et ideo presumitur contra aduocatos quod fouent iniustam causam. Maxima enim confusio est quando fratres unius religionis sunt ex una parte et fratres alterius sunt ex alia : scitis enim quod contrarietas Templariorum et Hospitalariorum multum impedit factum terre sancte, sic et istud promotionem Ecclesie.

Beatus Dominicus pater vester legauit vobis hec tria : paupertatem, humilitatem et caritatem.

Legitur de quodam qui cum haberet tantummodo unam arborem, pirum scilicet, et tres filios, legauit eam illis tribus filiis sub hac forma que continetur sub hiis versibus :

In patris morte pirus est tribus hac data sorte :
Rectum cum torto
minimo datur ac prius orto
Quod latet et paret,
medio quod viret et aret.

Vel secundum alios uni dedit gracile et grossum, alii longum et latum, alii rectum et curuum.

Sic beatus Dominicus quando legauit filiis suis tria antepredicta. Legauit eis paupertatem, hoc est quod latet et paret, quod paret quia beati pauperes spiritu, paupertas enim apparet quoniam ipsorum est regnum celorum, quod nondum apparet sed latet, et de ipsis dicit apostolus 2 ad Corinthios 6 : Tamquam nichil habentes, hoc est quod [non] paret, et omnia possidentes, hoc est quod latet. Hoc est gracile et grossum, id est spirituale et temporale, et utrumque istorum vero pauperi legatur.

Curuum et rectum siue rectum et tortum vere humili legatur. Vere enim humilis recta sua curua reputat et curua aliorum recta. Sic enim rectificantur virge quando incuruantur ex ea parte qua non sunt curue, 2 ad Cor. 6 : Per infamiam et bonam famam ut seductores et veraces.

Vera caritas tertium legatum sibi vendicat, scilicet longum et latum virens et arens. Vera caritas nunquam excidit, 1 ad Corint. 13, extendit se a dextris et a sinistris, id est ad amicos et inimicos, unde in psalmo : Et eduxit me in latitudinem. Item caritatis est quod viret et aret quia caritas dirigit in Deo habentes virorem virtutum, dirigit propter Deum carentes hoc virore

Quilibet istorum trium filiorum totam possidet arborem. Secundum formam testamenti et secundum diffinitionem iuris equaliter diuiditur inter eos et in hoc designatur quod virtutes inter se sunt connexe nec potest haberi una sine altera, et quicquid meretur una meretur et altera.

In isto testamento stetit beatis Dominicus, non declinauit ex eo, non mutauit illud, non addidit ei aliquid nec subtraxit. Ibi sibi colloquebatur discutiendo si aliquid esset sibi superfluum vel diminutum.

Sic et vos fratres immobiliter stetis in hoc testamento et illud inuiolabiliter obseruetis et ibi colloquamini vobiscum ut videatis quid vobis desit, ut cum beato Dominico possitis peruenire ad beatitudinem ubi habundantia omnis boni, ubi timentes Deum non minuentur omni bono, ad quam nos perducere dignetur Dominus noster Ihesus Christus qui viuit in secula seculorum.

FEDERICO VISCONTI
SERMONS SUR SAINT DOMINIQUE
(p. 1329-1355)

Les sermons et la visite pastorale de Federico Visconti archevêque de Pise (1253-1277), édition critique par Nicole Bériou et Isabelle le Masne de Chermont avec la collaboration de Pascale Bourgain et Marina Innocenti, sous la direction de Nicole Bériou, Rome : Ecole française de Rome, 2001, sermons 44 et 45, p. 669-689.

1

Sermo in sancto Dominico, magistro predicatorum, quem idem dominus fecit in uulgari apud Sanctam Catherinam.

Vos estis lux mundi, Mt. V (5, 14).

[PROTHEMA] 1. Convenerunt ad Iesum ut audirent verbum et sanarentur a langoribus suis, Lc. VI b (6,18). Istam auctoritatem ultimo propositam possumus exponere duobus modis. Primo prout ad licteram : conveniebant turbe, masculi scilicet et femine, ad Iesum, ut audirent predicationem eius et ex hoc sanarentur ab infirmitatibus suis, tam spiritualibus scilicet quam corporalibus. Secundo prout conveniunt nobis et vobis quia, sicut dicit, beatus Augustinus, omnis Christi actio nostra est instructio.

2. Vos debetis convenire libenter ad Iesum qui interpretatur Salvator, idest ad prelatum vestrum quando predicat verba salutis vestre, vel ad ilium qui predicat loco sui. Omnes enim fratres Predicatores et Minores qui in civitate vel diocesi nostra predicant, auctoritate et loco nostri predicant; et idcirco precipimus quod, quotienscumque vadunt et veniunt predicare, honorentur sicut persona nostra, iuxta illud Mt. XXV (25, 40) : Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

3. Nos enim sumus, licet indigni, loco Iesu, idest Salvatoris, quia debemus verba salutis predicare. Vos estis loco turbe sive populi qui conveniebant ad Iesum; qui tenemini ad tria, scilicet venire ad predicationem, audire cum diligentia et devotione, et ex hoc sanari ab infirmitatibus vestris spiritualibus, idest a peccatis, que non solum infirmam reddunt animam, sed frequenter ipsum corpus, unde, sanata anima, sepe sanatur corpus, et hoc est quod dixit Christus paralitico : Homo, remittuntur tibi peccata tua, vade in pace, et surgens abiit sanus in domum suam, Lc. V d. Et nota exemplum de quodam scolari Parisiensi, ut habetur supra in sermone XXIIII qui incipit : Clamans voce magna.

Item, ex quo venitis, debetis cum diligentia et devotione audire auribus, scilicet capitis et mentis, unde Mt. XI c (13, 43) : Qui habet aures, scilicet capitis, audiendi, audiat, idest intelligat auribus mentis; non enim quilibet homo vel mulier debet esse divisa in suis factis sed totus, scilicet mente et corpore. Quam reprehensibile est alicui discrete persone dicere alicui sapienti sibi aliquid factum referenti : « Dicas iterum, non te intellexi quia alibi cogitabam » !

Item ad hunc effectum debetis venire ad predicationem ut ab infirmitatibus, idest a peccatis vestris, sanemini, non ut invicem aliis absentibus detrahatis vel ut alia vestra negotia referatis; minus enim malum esset vobis non venire ad sermones quam sic venire, unde Christus, Ioh. XV f (15, 22) : Si locutus eis non fuissem, peccatum non haberent, supple «tantum ». Vultis ut faciam vos cognoscere si toto anno isto utiliter ad predicationem ivistis ? Cogitate si, propter

hoc, fuistis contriti de peccatis vestris et sic sanati ab infirmitatibus vestris; si sic, bene quidem; alioquin melius fuisset vobis non ivisse.

4. Verumtamen, quod prelatus vel predicator utiliter predicet et vos utiliter audiatis, non est sine gratia Dei, sicut dicit Christus, Ioh. XV (15, 5): Sine me, idest sine gratia mea, nihil potestis facere.

Idcirco recurramus ad eum ut det nobis et vobis hanc gratiam. Et, quia forte nos et vos indigni sumus, requiramus beatum Dominicum, ad cuius honorem hic sumus congregati, ut ipse, qui fuit magnus predicator et qui multum gaudebat quando utiliter predicabat, impetret pro nobis hanc gratiam a domino Iesu Christo quod nos hic aliqua predicemus et vos sic audiatis quod spectet ad gloriam Dei, ad honorem suum et salutem animarum nostrarum.

Et dicamus omnes orationem dominicam, scilicet Pater noster.

[THEMA] 5. Vos estis lux mundi. Hanc auctoritatem possumus exponere duobus modis : primo prout dominus nos ter Iesus Christus dixit apostolis suis, secundo prout competit beato Dominico et fratribus suis.

6. Dominus noster Iesus Christus vocavit apostolos suos lucem quia erant filii sui spirituales, ergo debebant esse similes illi, quia sepe solet filius similis esse patri. lpse erat lux, idest sol de quo fuerat prophetatum, Mal. III (4, 2) : Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitie, unde ipse dixit : Ego sum lux mundi, Ioh. VIII b (8, 12), et Ioh. XII g (12, 46) : Ego lux in mundum veni ut omnis qui credit in me in tenebris non maneat, inmo ipse est qui illuminat, scilicet quantum in se est, omnem hominem venientem in hune mundum, Ioh. 1 (1, 9), vel quicumque illuminatur per eum illuminatur : et, propter hoc, vocavit apostolos lucem, dicens : Vos estis lux mundi : et vere fuerunt lux quia totum mundum illuminaverunt quia, ut dicit Psalmista : In omnem terram exivit sonus eorum et in fine orbis verba eorum; unde cantamus de eis: « Cives apostolorum et domestici Dei advenerunt hodie, portantes pacem et illuminantes patriam, dare pacem gentibus et liberare populum Domini ».

Et quia de eorum laudibus in eorum festivitatibus predicamus, exponamus hanc auctoritatem prout competit beato Dominico et fratribus eius : Vos estis lux mundi.

7. Propter quinque proprietates lucis solis dicitur beatus Dominicus lux mundi ; lux enim mundi primo est de celo, secundo totum mundum illuminat, tertio continuo se dat, quarto gratis, quinto expellit

8. Sic beatus Dominicus datus est de celo, idest a Deo, sicut ipse vidit in visione. Vidit enim Christum tenentem tres lanceas, quasi valde iratus eas vibrantem ut percuteret mundum, et beatam Virginem, matrem eius, querentem ab eo quare hoc faceret; qui respondit : « Propter tria genera peccatorum », scilicet superbie, luxurie et avaritie, que nimis repleverant totum mundum. Ad que tria reducuntur septem criminalia peccata et eorum species sive membra que sunt septuaginta duo, ut in libello beati Gregorii qui vocatur Speculum virginum continetur.tenebras.

Unde ipsa, flexis genibus, supplicavit eidem ne faceret, dicens : « Nonne, fili, incarnatus es, de me natus, crucifixus, passus, mortuus et sepultus pro salute generis humani ut loca vacua malorum angelorum qui ceciderunt de celo de eis repleantur ? Et, quia nondum factum est, si sic eos deleveris, frustra ita passus fuisti et frustraberis intentione tua. Sed expecta, fili karissime, et representabo tibi aliquos per quos poteris mundum salvare ab istis peccatis». Cui respondit filius : « Nonne, mater, misi patriarchas et prophetas et illos variis tormentis interfecerunt ? Iohannem Baptistam, me presente, decollaverunt, me ipsum crucifixerunt, apostolos meos et martyres variis penis et tormentis occiderunt. Quos ergo representare vis ut proficere possint in tam pessima generatione ? Permitte me ut deleam eos ». Cui mater: « Fili, precibus meis acquiesce ».

Et representavit ei fratrem Dominicum et fratrem Franciscum, supplicans ut daret eis benedictionem suam et mitteret eos pro salute humani generis ; unde, benedicens eis, misit eos.

9. Hanc visionem, existens Rome beatus Dominicus pro impetratione privilegiorum ordinis sui, vidit manifeste, et beatum Franciscum, quem nunquam beatus Dominicus viderat nisi in illa nocte in visione, qui in Curia similiter erat pro impetratione privilegiorum ordinis sui. In mane illo, ad Curiam veniens in palatio Lateranensi, vidit ibidem beatum Franciscum, et advocans eum secreto, narravit ei visionem quam viderat illa nocte; et tunc ambo, simul gratias Deo referentes, dederunt sibi osculum, amplexantes se; promiserunt de cetero se diligere et adiuvare in vinculo caritatis.

10. Verum cum, impetrato privilegio, reverteretur a Curia, intravit ecclesiam beati Petri et recommendavit se et ordinem suum beato Petro et beato Paulo, supplicans devotissime ut ipsi intercederent ad Deum pro dilatatione ordinis sui. Unde illa nocte apparuerunt in visione beato Dominico; beatus Petrus obtulit ei virgam et beatus Paulus librum, dicentes : «Vade et predica, confortare in Domino quia exaudita est oratio tua ».

Et sic patet quod, sicut lux solis est a Deo, ita ipse et fratres sunt a Deo.

11. Item, alia ratione est a Deo, quia eius predicatio et locutio, sicut predicatio Christi, erat de regno Dei, Act. I (1, 3).

12. Item, sicut lux totum mundum illuminat, ita ipse totum mundum illuminavit sua predicatione. Non enim est gens ad quam non iverint Predicatores predicare verbum Dei et illuminare corda eorum in fide ; et etiam ad Tartaros iverunt, redeuntes ad dominum Papam Innocentium IV apud Lugdunum et deferentes vitam et mores eorum scriptos in quodam libello quem idem dominus Papa nobis dedit, ut iam competat eis ille versus supradictus qui dicitur pro apostolis, scilicet : In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terre verba eorum.

13. Et hoc est quod mater eius vidit in visione dum haberet ipsum in utero. Videbatur enim sibi quod haberet catulum in utero habentem faculam in ore, qui egrediens ex utero illa facula totum mundum illuminabat. Et vere fuit canis beatus Dominicus ad gregis dominici custodiam deputatus, ut suo latratu, idest predicatione, arceret lupos, idest hereticos, ne gregem Domini, idest fideles, laniarent et ut laniatos, idest heresi corruptos, lingua sua medicinali, idest suavi predicatione, lingendo resanaret, unde PS.5 : Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso, et Lc. XVI (16, 21) : Et canes lingebant ulcera eius. Et bene tenebat faculam in ore accensam quia ipse erat ardens in se caritate, et lucens aliis, scilicet exemplo et doctrina, sicut legitur de beato Iohanne Baptista, Ioh. V f (5, 35), vel erat ardens, inflammando affectum, et lucens, illuminando intellectum auditorum, ut sic competat ei quod dicitur de Helya, Eccli. XLVIII a (48, 1) : Surrexit Helyas propheta quasi ignis et verbum ipsius quasi facula ardebat, et ut sic totum mundum, idest totum hominem qui dicitur microcosmus, idest minor mundus, ut ait Iohannes Damascenus, quia ex duabus ille partibus constat, scilicet intellectu et affectu, sanaret et illuminaret, sicut lux solis materialis totum mundum istum maiorem qui dicitur megacosmus, ut idem Iohannes ait, illuminat et inflammat. Quare autem homo dicitur mecrocosmus et mundus megacosmus, require supra in sermone IX qui incipit: Vos qui reliquistis omnia.

14. Sequitur de tertia proprietate lucis, scilicet quod continua se diffundit. Sic et beatus Dominicus et eius fratres continuo predicant, ut possint dicere cum beato Paulo apostolo, Act. IX (20, 31) : Per triennium non cessavir nocte et die monens unumquemque vestrum, et II Cor. XI f (11, 28) : Instantia mea cotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.

15. Quarta proprietas lucis est quod gratuite se diffundit. Sic et ipse beatus Dominicus et eius fratres gratis predicant, adimplentes precepta magistri eorum, scilicet Iesu Christi dicentis : Gratis accepistis, gratis date, Mt. X (10, 8). Item, dicit Apostolus, 1 Cor. IX g (9, 18) : Que est

ergo merces mea ? Ut evangelium predicans sine sumptu ponam, quod est contra questuarios qui solem vendunt.

16. Item quinta proprietas lucis est quod fugat umbram sive tenebras, quia, sicut nostis, adveniente radio lucis solaris in mane, fugantur tenebre et umbra noctis. Sic et beatus Dominicus fugavit umbras sive tenebras dupplices, scilicet ignorantie heretice pravitatis et peccatorum, luce sive claritate sue predicationis, sicut patet in exemplo cuiusdam domine Tolosane, in cuius domo cum esset hospitatus et cognovisset eam hereticam, sua predicatione convertit eam ad fidem catholicam ; item, cum in partibus illis Tolosanis et etiam Albigensibus heresis Manicheorum mirabiliter excrevisset, ut posset dici de eis illud Psalmi : Nescierunt nec intellexerunt, in tenebris ambulant, ideo movebuntur, etc.

17. Sed quare ibi excreverat heretica pravitas ? Certe pro eo maxime quod heretici, cognoscentes nobiles habitantes in montibus illis duobus vitiis plenos, avaritia videlicet et luxuria, quia latrones erant et stratam publice depredantes et etiam cum uxoratis et aliis mulieribus se commiscentes indifferenter, ceperunt predicare sub specie pietatis quod pessimas res agebant sic totaliter expoliando et depauperando homines, quod erat contra voluntatem Dei quantum ad hoc : non tamen debet auferre, quia, licet unus homo de bonis alterius possit capere quantum ad necessitatem, cum omnia sint communia, secundum voluntatem Dei quantum ad hoc, non tamen debet auferre unde ditetur eodem : Non furtum facies, silicet ut diteris. Et ideo dicebant : « Vobis concedimus ut, quando iste saume pannorum mercatorum de Francia transeunt Massiliam vel ad Montem Pesolanum, non omnes capiatis sed unam vel duas petias secundum quod cuilibet vestrum pro se et uxore ac familia necessarium est ».

Similiter dicebant eis de mulieribus quod non licebat eis adulterari cum uxoribus aliorum, quia erat contra voluntatem Dei prohibentis in Veteri Testamento, Ex. XX (20, 14) : Non mechaberis ; item : Non concupisces uxorem proximi tui. Sed cum aliis solutis, cum sit naturale sine peccato secure potestis, quia dixit Dominus : Crescite et multiplicamini et replete terram, Gn. III. Unde multotiens conveniebant in una domo decem vel viginti viri et totidem mulieres non uxorati, commiscebant se adinvicem quasi in caritate, extincto candelarum torque quia, ut dixit Dominus, dilexerunt magis tenebras quam lucem, Ioh. III (3, 19), quia erant mala eorum opera, sicut oculus adulteri observabat caliginem, Io[b] XXIIII (24, 15), et fures qui sunt ypocrite, et noctue, que non possunt videre lucem mundi scilicet, et similes bestie.

Propter quod isti heretici predicatores habebantur in magna reverentia et honore et credebatur eis in suis predicationibus; unde dolose et fraudulenter ceperunt predicare quod duo erant principia, Deus et diabolus, et quod ista visibilia omnia, et etiam caro nostra, erant a malo principio, idest a diabolo, anima vero et omnia spiritualia erant a bono principio, idest a bono Deo vero ; et multos alios errores persuaserunt, quos et illi crediderunt. Unde factum est quod tota illa magna contrada plena erat hereticis, tam masculis quam feminis, ita quod publice predicabant propter mul- titudinem hereticorum, in conspectu etiam catholicorum prelatorum.

18. Unde, post magnam alter[c]ationem inter catholicos et hereticos que fides esset melior, ordinatum est inter eos ut omnes prelati illarum partium, scilicet archiepiscopi, episcopi, prepositi, archidiaconi, comites, barones, varvassores et alii nobiles, tam catholici quam heretici, deberent insimul convenire et, ordinatis quibusdam iudicibus, disceptarent de fide. Ad quod consilium venit beatus Dominicus, deferens secum libellum quem scripserat contra hereticos. Et, dum heretici offerent suum libellum, post multam disceptationem sententiatum est a predictis iudicibus communibus ut uterque libellus proiceretur in ignem ; et dum prius proiceretur libellus hereticorum, combustus est, libellus vero fratris Dominici, proiectus in ignem, exivit de igne illesus ; et, dum crederent heretici hoc ex maleficio factum fore, proiectus est iterum et iterum ille

libellus in ignem et incontinenti exivit illesus et sic, per Dei gratiam, omnes crediderunt, illuminati virtute Dei et beati Dominici. Et sic eius lux fugavit tenebras ignorantie et heretice pravitatis et sic habitantibus in regione umbre mortis, lux orta est in eis, Is. IX (9, 2).

19. Item, cum postmodum alia vice quosdam iuvenes convertisset et illi petivissent ab eo auctoritates et rationes quibus eos converteret scribi in quadam cedula ut ostenderent illas rationes sotiis suis hereticis, accidit quod, cum ipsi omnes essent in quadam domo circa ignem et conferrent super illis auctoritatibus, dixit unus illorum : « Multum videntur rationabiles, verumtamen, ne sic cito convertamur, proiciamus hanc cedulam in ignem istum, sicut accidit de libello suprascripto fratris Dominici, et, si contigerit quod non comburatur, credamus quod iste sint vere rationes ». Proicerunt et exivit incombusta et sic, per Dei gratiam, crediderunt, ut posset dici de eis illud beati Petri apostoli : Vos estis populus acquisitionis Dei ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum, I Petr. II c (2, 9).

20. Item fugavit tenebras peccatorum a mentibus [hominum] : sic et cotidie fugant isti fratres Predicatores successores eius, quantum in eis est, quia, ut videtis, non cessant devote orare et missas celebrare et in quolibet die dominico, festivo, sabbatino, et die lune in mane pro mortuis publice predicare, et etiam private vos et alios admonere non cessant ut a tenebris peccatorum recedatis et illustremini gratiis, virtutibus et donis Spiritus sancti. Et idcirco possumus dicere eis, sicut Dominus dixit de apostolis, auctoritatem predictam :

Vos estis lux mundi.

21. Sed certe, ex quo ipsi tantum laborant, sicut videtis, ut vos illuminent lumine spirituali, fugando a vobis tenebras peccatorum, dignum et congruum est ut ipsorum necessitatibus subveniamus, sicut dicit Apostolus : Necessitatibus sanctorum communicantes, Rom. XII (12, 13), et eorum orationibus nos recommendamus quia eos Deus exaudit, cum sint iusti, - unde [Dominus dixit Abimelec regi de Abraam : Orabit pro te et vives, Gn. XX c (20, 7), unde sequitur ibidem in fine capituli : Orante autem Abraam, sanavit Deus Abimelec et uxorem ancillasque eius et] Ps. XXXIII (33, 18) : Clamaverunt iusti et Dominus exaudivit eos; item : Oculi Domini super iustos et aures eius ad preces eorum; item, Prov. X g (15, 29) : Longe est Dominus ab impiis et orationes iustorum exaudiet ; item, Ioh. IX (9, 31) : Si quis cultor est Dei, hunc exaudit Deus, et Iacobi ultimo (5, 16) : Multum valet deprecatio iusti assidua. Et pone exemplum de magno Karolo rege Francie qui se recommendavit orationibus beati Egidii, et quomodo, illo orando pro eo in canone misse, Deus eius precibus dimisit peccatum quod nunquam confiteri voluit - ut eorum laborum et necessitatum participes sitis ad hoc ut omnium orationum, predicationum et beneficiorum que ab ipsis fiunt, participes esse possitis, sicut dixit Dominus, Mt. X (10, 41) : Qui recipit prophetam, id est fratrem Predicatorem, in nomine prophete, id est quia predicator est, mercedem prophete recipiet, id est tantum commune premium quantum et ipsi, et hoc quantum ad auream, idest commune premium celeste, sed non quantum ad aureolam, idest quamdam eminentiam premii que dabitur eis propter laborem studendi, adiscendi et etiam predicandi.

22. Et est sciendum quod tria sunt genera aureolarum que in vita eterna dabuntur tribus ordinibus sanctorum, scilicet martiribus quasi una gherlanda rosarum super corona aurea ad designandum quod martirium sustinuerunt; alia dabitur doctoribus sive predicatoribus fidei, et hec erit violarum ad significandum quod carnem suam afflixerunt ieiuniis et orationibus et asperis vestibus et alios docuerunt in fide catolica et bonis moribus; tertia vero aureola dabitur virginibus et hec erit liliorum ad significandum quod in albe[dineJ · virginitatis finierunt vitam suam.

23. Et non solum tenemur eis benefacere, ut dictum est, pro necessitatibus eorum, scilicet victus, vestitus, librorum et paramentorum et thesaurorum ecclesie, sed etiam ad hedificationem ecclesie et aliarum domorum.

Et decens est quod ista honorabilis civitas nostra Pisana et tam honorabilis conventus fratrum sicut iste est, qui sunt ultra quinquaginta fratres, sicut nostis sapientissimi et discreti, habeant honorabilem et pulcram ecclesiam, et ideo quilibet nostrum debet niti iuxta facultates suas manum porrigere caritatis secundum consilium Tobie, IIII c (4, 9-11) : Si multum tibi fuerit habundanter tribue, si exiguum fuerit libenter stude impartire; premium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam elemosina ab omni peccato et a morte liberat et non patietur ire in tenebras.

24. Et quod dare elemosinam ad opus ecclesie sit multum gratum Deo et a morte liberet, patet per exemplum centurionis gentilis, Lc. VII a (7, 1-10), ubi dicitur quod, cum idem centurio haberet quemdam servientem sive siniscalcum valde sibi utilem et infirmantem, rogavit quosdam seniores Iudeorum, quibus ob reverentiam Dei hedificaverat sinagogam, ut irent ad Jesum Christum et rogarent eum ut amore ipsorum, etsi non ratione sui, quia reputabat se indignum cum es set gentilis, sanaret servum suum. Qui rogantes Iesum dixerunt : « Domine, dignus est ut hoc illi prestes, diligit gentem nostram et sinagogam ipse hedificavit nobis ». Jesus autem, hoc audito, liberavit servum a morte et restituit eum sanitati. Et sic patet, ut dixit Tobias superius in auctoritate iam dicta, quod elemosina data ad opus ecclesie liberat a morte etiam temporali et dat vitam; et hoc est contra illos qui dicunt : « Nolo dare elemosinam meam in tegulas et calcinam ».

25. Karissimi, rogamus ergo vos propter Deum ut memores sitis trium, scilicet quod cito penitus mori debemus et ignoramus quali morte; et propter hoc, dum vivis et sanus es, confitearis peccata tua, Eccli. XVII g (17, 27); et si dubitas dare helemosinam ne deficiant tibi et familie tue necessaria, secundum statum tuum tamen, iuxta consilium sapientis, Eccli. XI e (11, 21), sta in testamento, in quo relinquas aliqua ad opus huius ecclesie et alias necessitates fratrum. Et certe valde male de ipso presumendum est qui nec in vita nec in morte dare vel iudicare pro Deo vult de bonis suis.

Sumite ergo exemplum ab illo viro Sismundello qui nuper, in suo testamento, reliquid ad omnes necessitates Fratrum singulariter, scilicet ad opus fabrice ecclesie, item ad opus thesaurorum, scilicet calicum, turribulorum, paramentorum, item ad opus librorum fratrum studentium, item pro indumentis, item ad opus dormitorii fratrum; et ideo rogemus Deum ut ei retribuat in vitam eternam. O quanta beneficia recipiunt mariti, filii, fratres, parentes vestri pro beneficiis et helemosinis que datis istis et aliis fratribus, quorum orationibus ipsi liberantur a multis periculis maris et gentium, infirmitatis tribulationibus et etiam aliquando a morte, que ipsi ignorant.

26. Rogemus ergo Deum et beatum Dominicum ut ipse concedat nobis sic vivere in contritione et confessione peccatorum nostrorum et helemosinarum largitione tam in vita quam in morte quod ad sotietatem sanctorum in vitam eternam pervenire mereamur, ad quam nos et vos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Sermo eiusdem domini quem idem fecit in eodem loco ad populum.

Qui elucidant me, vitam eternam habebunt, Eccli. XXIIII e (24, 31).

[PROTHEMA] 1. Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris, Ier. XV (15, 19). Verba ultimo proposita verba sunt ad illum qui vult proponere Verbum, in quibus dicitur quod si sic predicaverit, idest illa intentione et non alia, quod separet pretiosum, idest animam, a vili, idest a peccato, tunc vere ipse erit os, idest predicator Dei.

2. Sed taliter predicare est a gratia Dei dicentis : Sine me, idest sine gratia mea, nihil potestis facere, Ioh. XV (15, 5). Rogemus ergo beatum Dominicum, ad cuius honorem hic sumus congregati, ut ipse, qui multum gaudebat cum utiliter predicabat, roget et intercedat pro nobis ad Dominum quatinus concedat nobis gratiam sic predicandi et vobis taliter audiendi quod spectet ad gloriam Dei et honorem ipsius beati Dominici et ad salutem nostrarum animarum. Amen.

Et propter hoc quilibet nostrum dicat unum Pater noster.

[THEMA] 3. Videamus ergo primo quare anima dicitur pretiosa et quare peccatum dicitur vile. Et est notandum quod anima dicitur pretiosa propter tria. Primo, quia creata a Deo inmediate et ad similitudinem eius, Gn. I (1, 26-27) : Creavit Deus hominem ad ymaginem et similitudinem suam. Secundo, quia creata super omnia terrestria, unde sequitur ibidem, Gn. I (1, 26) : Ut presit piscibus maris et volucribus celi et bestiis universeque creature; Ps. : Omnia subiecisti sub pedibus eius, idest hominis. Tertio, quia creata fuit ad pretiosa que oculus non vidit, quia absconditum, nec auris audivit, quia quietum, nec in cor hominis ascendit, quia inmensum, Is. LXIIII (64, 4), ad eum scilicet videndum, ad eum diligendum et ad eum laudandum, quod alie creature irrationabiles non habebunt.

4. Peccatum vero dicitur vile effective quia reddit hominem vilem tribus, scilicet Deo, sibi et proximo.

Deo, Prov. XI (11, 20) : Abhominabile Domino cor pravum, quod patet in Magdalena quam videre Dominus dedignabatur donec « lavit lacrimis maculas criminis », ut dicit beatus Gregorius in Glosa ibidem, et ideo ipsa non ante sed retro stans osculabatur pedes Domini, et postea ait illi : Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace, fides tua te salvam fecit, Lc. VII g (7, 38; 7, 48; et 7, 50).

Item sibi, quia quando aliquis cogitat de vita sua inmunda et de peccatis suis, quadam confusione confunditur et seipsum vilipendit et humiliat in confessione [facta coram Deo] et etiam facienda coram sacerdote, et hec est confusio bona que adducit gloriam, Eccli. IIII (4, 25), quod patet in publicano qui, dum consideraret peccata sua, stans coram Deo in Templo, non audebat oculos ad celum levare sed percutiebat pectus suum, etc., et ideo descendit iustificatus ab illo, Lc. XVIII (18, 13-14), et Iob XXII g (22, 29) : Qui enim humiliatus fuerit erit in gloria, et qui inclinaverit oculos suos salvabitur ipse.

Item proximo est vilis peccator, quod patet familiariter quia, si aliqua mulier est male fame, sua vicina non vult ambulare secum per viam, similiter et de viris. Unde, cum quadam vice ivisset quedam domina, uxor cuiusdam militis Pisani, ad domum sive cameram cuiusdam canonici Pisani consanguinei sui, et canonicus dixisset illi militi : « Uxor tua visitavit hodie me », respondit miles: « Multum placet michi », et dixit : « Cum qua persona venit ? » Respondit canonicus : « Venit secum uxor talis », Quod cum audisset miles, cepit tristari et dicere : « Male ad opus suum venit cum illa. Heu! Non poterat habere deteriorem sotietatem ». Et hoc est quod dicit Apostolus, II Thess. III (3, 6) : Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate ; item : Non commisceamini cum illo ut confundantur, bona scilicet confusione que adducit gloriam, de qua

dictum est supra, Eccli. IIII (4, 25); item, Eccli. XXII (22, 14) : Cum insensato, idest peccatore qui dicitur insensatus quia, relicto creatore, adheret creature, ne abieris, quia non debet esse sotietas Christi ad Belial et lucis ad tenebras, Il Cor. VI (6, 14-15), et ideo debet talis peccator devitari quia qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, Eccli. XIII (13, 1).

Et sic patet quare anima dicitur pretiosa et peccatum vile.

5. Debet ergo predicator predicare tali intentione, quantum in eo est, ut separet pretiosum a vili, idest animam a peccato, et non alia mala intentione. Sic enim predicabat beatus Dominicus, unde legitur de eo quod sermo eius vel erat fructuosus vel erat nullus. Et quare ? Quia ipse fuit, sicut Iohannes Baptista, lucerna ardens, scilicet in se intentione bona, et lucens, scilicet aliis predicatione et exemplo bone operationis, Ioh. V d (5, 35).

6. Et hoc previdit mater eius visione dum esset gravida de ipso ; videbatur enim sibi quod haberet in utero unum catulum habentem in ore faculam ardentem et illuminantem totum mundum. Similiter vidit mater beati Bemardi catulum totum subruphum in dorso latrantem et in utero se habere.

Per canem in sacra Scriptura intelligitur predicator sive prelatus qui debet custodire gregem dominicum a demonibus et hereticis ne ab eis devorentur per peccatum mortale vel per hereticam pravitatem, sicut canis custodit a lupis gregem pecorum ; unde Is. IX (56, 10) : Canes muti non valentes latrare : sic vocantur prelati et predicatores non valentes predicare propter duo, scilicet ignorantia Scripturarum et conscientie sue remorsum, ne, si predicare attentaret, diceretur ei prout dicitur in Psalmo : Peccatori autem dixit Dominus : quare tu enarras iusticias meas et assumis testamentum meum, etc., et quare predicas non furandum, furaris, non mechandum, mecharis, Rom. II f (2,21-22). Non sic beatus Dominicus ; inmo, audiens in ecclesia sua in Yspania, in qua erat canonicus regularis, quod heretici superexercuerant in partibus Tolosanis, exivit de claustro et ivit ad dominum Papam Innocentium et accepit potestatem predicandi et fratres Predicatores recipiendi contra hereticos; et sic profecit, per gratiam lesu Christi, quod hodie in partibus illis, vel etiam aliis, publici vix reperiuntur.

Unde vere potest dicere Ecclesia, et etiam anima que erat in tenebra herroris sive in mortali peccato, auctoritatem quam proposuimus, scilicet : Qui elucidant me, scilicet per eorum predicationem de rubigine erroris et peccati mortalis extrahendo et lumen veritatis hostendendo, vitam eternam habebunt.

7. Similiter dicere potest sacra Scriptura, quia ipse beatus Dominicus et fratres ipsius scolas theologie ordinavit, per quos fratres magistros sacra Scriptura tota elucidata est. Erat enim prius sacra Scriptura, antequam per sanctos, scilicet Ieronimum, Bedam, Ambrosium, Rabanum et Augustinum, glosaretur, sicut gladius non acutus, non ductus ad rotam, sed per eorum expositiones et glosas facta est clara et acuta que prius erat opaca et ebetata. Sed supervenit beatus Dominicus et Predicatores. Que per dictos sanctos declarata erat, fuit elucidata, quasi polita et affilata, sicut patet, quia Vetus Testamentum et Novum totum postillatum est per fratrem Ugonem de ordine Predicatorum qui fuit presbyter cardinalis tituli Sancte Sabine. Dicit ergo sacra Scriptura : Qui elucidant me, scilicet fratres Predicatores, exponendo per moralitates utiles, varias et diversas ad hedificationem fidelium et confusionem hereticorum, vitam eternam habebunt.

Et licet ista auctoritas septem modis exponatur, sicut dicitur in Postillis predicti fratris Ugonis in principio XXIIII capituli Ecclesiastici, tamen sufficiant ad presens predicte tres expositiones.

8. Fuit igitur beatus Dominicus facula sive lucerna ardens in corde fidelis anime peccatricis et frigide per mortale, ut calefieret caritate, habendo contritionem, confessionem et

satisfactionem; fuit etiam facula illuminans sive lucens in corde infidelis et heretici, reducendo eum de tenebris erroris ad lumen veritatis et fidei christiane.

Similiter etiam hodie ceteri fratres in hoc student cotidie et laborant; sed ad quid, idest ad quod meritum ? Et certe, responsio : ut vitam eternam habeant per tribulationes multas, scilicet per famem, sitim, nuditatem, asperitatem, et per magnum studium quod habent die noctuque in sacra Scriptura, tam citra quam ultra montes, et disciplinam ; nisi enim aspere disciplinarentur, sic collaberentur sicut monacorum monasteria sunt collapsa, Act. XIIII (14, 21) : Per multas tribulationes oportet nos transire in regnum Dei.

9. Verumtamen beati qui huic medio, idest istis necessitatibus, porrigunt manum suam, quoniam talem mercedem habebunt a Deo qualem et fratres, excepta aureola quam ipsi habebunt propter laborem quem adiscendo et predicando et docendo habuerunt, unde Mt. X (10, 41) : Qui recipit prophetam in nomine prophete, mercedem prophete accipiet ! Ipsi etiam, omni hora constituta, Deo supplicant pro benefactoribus suis ; quando enim benefactores non cogitant quod Deus rogetur pro eis, et tunc rogatur, unde multi benefaciunt factum suum et de multis periculis evadunt eorum precibus, missis atque beneficiis, quod ipsi ignorant. Studeamus ergo pro Deo et pro tantis retributionibus benefacere eis, ut Deus ipsorum precibus et meritis benefaciat nobis.

10. Tales debent esse prelati et predicatores qualis fuit beatus Dominicus, ut quererent que Iesu Christi sunt et non que sua sunt, I Cor. XIII (13, 5) et Philip. II e (2, 21). Docent enim et predicant mali prelati et predicatores propter tripIex commodum : vel ut corde boni credantur, vel ut ore boni dicantur, vel ut opera bona eis tribuantur. Hoc est enim triplex munus quod desiderari, scilicet a corde, ab ore, a manu sive ab opere, consuevit ; etiam quartum munus assignari consuevit, scilicet ab obsequio quod, ut dicunt aliqui, sub munere manus vel operis comprehenditur; a quibus debent excutere manus suas, idest operationes et predicationes suas, unde Is. XXXIII (33, 15) : Beatus qui excutit manus suas ab omni munere. Isti autem statuerunt declinare oculos suos in terram, sicut dicit Psalmista, et ideo de terra, idest commodo terreno, musitabit eloquium, idest predicatio eorum, Is. XXIX a (29, 4). Non sic beatus Dominicus, quia erat ignitum eloquium eius, ut dicit Psalmista, et ideo servi Domini diligebant illud.

11. Rogemus ergo beatum Dominicum ut ipse pro nobis intercedat ad Dominum quatinus illam vitam eternam nobis concedat quam sibi concessit dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

JACQUES DE VORAGINE .
SERMONS POUR LES FÊTES
DE SAINT DOMINIQUE
(p. 1362- 1397)

Iacobi de Voragine sermones aurei, tomus II, de præcipuis sanctorum festis, ed. Rudolphus Clutius, Augustiæ Vindelicorum et Cracoviæ : Apud Christophorum Bartl, 1755*,* p. 183-184, 235-236 ; 237-238 ; 240-241. Le texte de l'édition a été corrigé à partir du manuscrit Paris, BnF lat. 15949 (c. 1319). La version longue du sermon 2 provient du manuscrit Firenze, Biblioteca Medicea Laurenziana Plut. 32, sin. 5 (14ème siècle).

L'édition critique des *Sermones de sanctis* (1ère série) est sous presse.

Il n'existe pas pas d'édition de la seconde série.

Nous remercions Paolo Maggioni d'avoir vérifié pour nous le texte des sermons de la version courte sur les manuscrits et de nous avoir généreusement fourni le texte encore inédit de la version longue du sermon 2.

Sermon 2 sur saint Dominique, version courte

Spiritus meus qui est in te, et uerba mea quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo et de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum. Is 59 (21). Uerum predicatorem tria commendant, scilicet uita sancta, doctrina assidua, et sapiens proles et fecunda.

Ista tria beatum Dominicum commendabilem reddunt; scilicet uita sancta, cum dicitur: Spiritus meus qui est in te; ipse enim Spiritum sanctum habuit, et ideo non tantum uerbo, sed etiam exemplo et uirtutibus predicauit. Utebatur enim doctrinis, exemplis et etiam miraculis. Quidam enim erant inscii et ignari, et quantum ad istos utebatur bonis, et utilibus doctrinis, ut eos instrueret. Quidam erant insipidi et indeuoti, et quantum ad istos utebatur gratiis et exemplis, ut indeuotos attraheret. Quidam uero erant duri et obstinati, et quantum ad istos utebatur miraculis, ut eos conuerteret. De his tribus dicitur, Mc ult. (16, 20) : Illi autem profecti predicauerunt ubique, ecce doctrina fructuosa, Domino cooperante et sermonem confirmante, ecce uita gratiosa, sequentibus signis, ecce miracula uirtuosa. De his tribus etiam dicitur, I Io 5 (7) : Tres sunt qui testimonium dant in celo id est, in beato Dominico spirituali et celesti: scilicet Pater qui sibi dedit miraculorum potentiam, Filius qui sibi dedit predicandi sapientiam, Spiritus sanctus, qui sibi dedit uirtutem et gratiam.

Secundum est doctrina assidua, cum dicitur: Et uerba mea quae posui in ore tuo, quod est contra Predicatores desidiosos, qui uerba Dei non habent in ore per doctrinam, sed abscondunt in corde per desidiam et per inertiam. Et tamen sunt quatuor quae abscondi non debent scilicet sapientia et thesaurus, Eccli 41 (41, 17) : Sapientia absconsa et thesaurus inuisus, quae utilitas in utrisque ? Talentum ut habetur Mt 25 (15) : Uni dedit quinque talenta. Et frumentum, Prou 11, (26) : Qui abscondit frumenta maledicetur in populis. Verba Dei abscondi non debent, quia sunt sapientia Dei, qua mediante indocti instruuntur (Ps 18, 8) : Testimonium Domini fidele sapientiam prestans paruulis. Sunt thesaurus Dei de quo egeni ditantur Ps (118, 72): Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti. Sunt talenta Dei quibus serui peccati redimuntur, et ad ista talenta aurea Christus nos admonet comparanda, ut habetur Apoc 3 (18): Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, etc. Sunt frumentum Dei quo fideles reficiuntur Mt 4 (4) : Non in solo pane uiuit homo, etc.

Tertium est proles sapiens et fecunda, cum dicitur. Et de ore seminis tui, etc. Semen enim beati Dominici est Ordo Predicatorum, quem in Christo per Euangelium generauit. Non enim ipse Ordo fuit casu inuentus, uel ex humana prudentia institutus, sed fuit potius a Deo destinatus, Luc 14 (17) : Misit seruum suum dicere inuitatis, ut uenirent. Gregorius. Hora cenae finis est seculi. In hoc fine mittitur seruus, id est Ordo Predicatorum ad inuitatos per Legem et Prophetas, ut repulso fastidio ad gustandam cenam se prepararent.

Secundo fuit a Prophetis prefiguratus et maxime ubi dicitur, quod in quarta quadriga erant equi uarii et fortes , Zac 6 (3). Isti equi sunt Predicatores Christum per uniuersum mundum portantes. Et dicuntur uarii, non tantum propter habitum, sed etiam propter uarietatem uirtutum. Et dicuntur fortes, quia fortiter sciunt pugnare et se defendere. Et sunt in quadriga quarta.

In prima enim quadriga sunt equi rufi, id est Ordo martyrum.

In secunda sunt equi nigri, id est Ordo Confessorum, qui se per carnis mortificationem denigrauerunt.

In tertia sunt equi albi, id est Ordo Uirginum.

In quarta sunt equi uarii, id est Ordo Doctorum et Predicatorum.

Tertio iste Ordo fuit a Matre Dei impetratus et habitu insignitus. Nam cum quidam sanctus uir ante istius Ordinis institutionem instaret orationi, uidit beatam Uirginem Mariam pro humano genere exorantem, cui ait Christus : Quid possum amplius facere. Misi Patriarchas et Prophetas et parum se emendauerunt, ueni et ego ad eos. Deinde misi Apostolos et me et eos occiderunt Misi etiam Martyres et Confessores ac Doctores, et nec illis acquieuerunt. Sed, quia non est fas, ut aliquid tibi denegem dabo eis Predicatores meos. Fuit etiam ab ipsa Virgine habitu insignitus. Nam cum prius fratres habitum alium deferrent, beata Uirgo istum quem habent eis ostendit.

Quarto fuit ab Apostolis Dei scientia et constantia decoratus. Nam Petrus et Paulus sibi apparuerunt, cui Petrus baculum, Paulus uero librum tradiderunt dicentes: « Uade predica, quoniam ad hoc ministerium a Deo es electus ». Per librum autem significabatur donum scientiae, per baculum vero fortitudo constantiae, quae duo maxime in Predicatoribus requiruntur.

Quinto a Uicario Dei fuit confirmatus. Cum enim summus Pontifex beato Dominico Ordinis confirmationem petenti se difficilem exhibebat, sequenti nocte uidit in uisione quod Ecclesia Lateranensis ruinam minaretur, et ecce beatus Dominicus occurrit et humeris suppositis ipsam Ecclesiam sustentauit.

Sexto fuit a beato Dominico institutus, unde super illud Eccl. 10 (4): Utilem rectorem in tempus suscitabit. Dicit interlinearis, id est, Ordinem Predicatorum, etc.

Sermon 2 sur saint Dominique – version longue

Spiritus meus qui est in te et verba mea que posui in ore tuo non deficient de ore tuo et de ore seminis tui, dicit dominus a modo et usque in sempiternum, Ys. LIX

Verum et fructuosum predicatorem tria commendant, scilicet vita sancta, doctrina assidua – unde dicitur 'uerba mea que posui in ore tuo' – tertium est proles sancta et fecunda, cum dicitur 'et de ore seminis tui dicit dominus a modo usque in sempiternum'.

Vitam ergo sanctam et beatus Dominicus habuit, quia sancto spiritu plenus fuit, ideo dicitur 'spiritus meus qui est in te'. Debet namque prelatus habere spiritum dei non spiritum mundi quem habent avari, non spiritum sui quem habent superbi, sed spiritum dei quem habent humiles et deuoti. Prelatus namque et predicator debent habere spiritum dei ut non tantum predicet uerbo sed etiam predicet exemplo. Ille etiam qui habet bonam doctrinam sed peruersam

uitam non est plenus spiritu diuino sed spiritu maligno; quare autem debeat habere spiritum dei per bonam uitam ostendit Gregorius triplici ratione.

Primo quia est pastor ouium, Gregorius in pastorali: 'Cum pastor per abruta graditur necesse est ut in precipicium grex sequatur. Nemo quippe amplius in ecclesia nocet quam qui peruerse agens nomen uel ordinem sanctitatis habet; delinquentem namque redarguere nullus presumit et in exemplum culpa uehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.

Secundo quia est medicus uulnerum, idem: 'Considerandum quoque est quod cum causam populi presul suscepit quasi ad egrum medicus accedit. Qua ergo presumptione percussum mederi properat qui in facie uulnus portat? »

Tertio quia est intercessor et mediator ad deum, idem: 'Qua mente apud deum intercessoris locum pro populo arripit qui familiarem se esse nescit?'; idem: 'Cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur'. Tales debent dicere illud Ys. III: 'Nolite me constituere principem populi, non sum medicus et in domo mea non est panis nec vestimentum'.

Ille prelatus non est uerus medicus qui uult curare aliena uulnera et nescit sanare sua. Ille non est uerus pastor ouuium qui in domo sua non habet panem, id est pabulum quo oues nutriat, sed peruersi exempli uenenum quo eas occidat. Ille non habet uestimentum qui cum sit mediator populum ab ira dei non operit, sed nudum diuine seueritati exponit.

Predicator autem qui habet bonam doctrinam sed malam uitam assimilatur ab apostolo cimbalo sonanti, I Cor. XIII: ' Si linguis hominum loquar et angelorum caritatem autem non habuero factus sum uelut es sonans aut cimbalum tinniens'. Sicut enim cimbalum aliis proficit et se consumit sic talis aliis proficit per doctrinam et sibi nocet per malam uitam. Idem autem assimilatur cineri, nam sicut cinis cetera lauat, se ipsum non lauat, immo se ipsum magis inquinat, sic talis lauat alios per bona uerba, se autem inquinat per mala opera. Ab Augustino uero assimilatur lapideo canali per quod aqua transit ad areolas et fructum facit. In canali autem nullus fructus generatur, immo quandoque alique ibi immundicie relinquuntur. Sic per tales transeunt aque doctrine, in se uero nullus fructus remanet operationis bone, sed potius immundicia culpe. A Nicolao autem papa assimilatur faci ardenti quia talis lucet aliis per doctrine mundationem, se autem consumit per uite deprauationem etc.

Secundum quod beatum Dominicum commendabilem reddit est doctrina assidua, cum dicitur 'et uerba mea que posui in ore tuo etc.'. Circa quod notandum quod sunt quidam predicatores ambitiosi, quidam presumptuosi, quidam desidiosi et quidam formidolosi. Non talis fuit beatus Dominicus.

Non enim fuit predicator ambitiosus, ideo dicitur 'et uerba mea'. Predicator enim ambitiosus non predicat uerba dei sed uerba sua, non predicat Christum sed se ipsum. Beatus autem Dominicus predicat Christum, se autem Christi seruum, II Cor. IIII: 'Non autem nosmet ipsos predicamus, sed Christum dominum nostrum, nos autem seruos uestros per Ihesum'; alias autem seruus non fuisset si placere hominibus affectasset, Gal. I: 'Si adhuc hominibus placerem Christi seruus non essem'. Quod enim hominibus placere nollet, patet ex eo quod potius affectabat uilipendi quam honorari, unde interrogatus cur libentius moram contraheret Carchassone quam Tolose, respondit « Quia Tolose omnes me honorant, apud Carchassonam uero contrario me impugnant ». Patet ex eo quod potius uolebat humiliari quam exaltari, unde electus in episcopum omnino renuit asserens primo terram deserere quam electioni de se facte aliquatenus consentiret. Patet ex eo quod contemnebat contemni et despiciebat despici.

Inridebant enim ipsum falsari ueritatis lutum et sputa in ipsum proicientes et pro derisu a tergo paleas dealligantes.

Secundo non fuit predicator presumptuosus, quod notatur cum dicitur 'que posui in ore tuo'. Presumptuosi enim predicatores non ponunt uerba dei in ore suo, quia non expectant quod ab aliis mittantur, sed ipsi se mittunt, Ier. XXIII : 'Non mittebam prophetas et ipsi mittebant, non loquebar ad eos et ipsi prophetabant'. Beatum autem Dominicum misit pater filius et spiritus sanctus, pater dando sibi potentiam miraculorum, filius dando sapientia doctrinarum, spiritus sanctus dando dona omnium uirtutum et gratiarum, I Io. V : 'Tres sunt qui testimonium dant in celo', id est in beato Dominico spirituali et celesti, 'pater', qui sibi dedit miraculorum potentiam, 'filius' qui dedit predicandi sapientiam, 'spiritus sanctus' qui dedit uirtutem et gratiam.

Et sic missus est cum miraculis, cum doctrinis, cum gratiis et exemplis. Quidam enim erant duri et obstinati, et ideo missus est cum miraculis ut duros conuerteret. Quidam erant inscii et ignari, et ideo missus est cum doctrinis ut ignaros doceret. Quidam erant insipidi et indeuoti, et ideo missus est cum gratiis et exemplis ut indeuotos attraheret et uniformaret. De hiis tribus dicitur Mc. ult. quod habuerunt apostoli et apostolici uiri, 'illi autem profecti predicauerunt ubique', ecce doctrina fructuosa, 'domino cooperante et sermonem confirmante', ecce uita gratiosa, 'sequentibus signis', ecce miracula uirtuosa.

Tertio non fuit predicator piger uel desidiosus sicut sunt multi qui uerba dei non habent in ore per doctrinam sed abscondita tenent in corde per desidium, ideo dicitur 'uerba mea que posui in ore tuo. Quatuor enim sunt que abscondi non debent que necessitas requirit, scilicet sapientia et thesaurus, de hiis duobus dicitur Ecc. XLI: 'Sapientia abscondita et thesaurus inuisus, que utilitas in utrisque?'; tertium est talentum unde seruus qui unum talentum acceperat reprehenditur a deo quod aurum? ipsum abscondit ut habetur Mt XXV; et frumentum, Pr. XI: 'Qui abscondit frumenta maledicetur in populis'. Verba enim dei non debent a predicatore abscondi quia sunt sapientia dei, qua indocti instruuntur, Ps.: 'Testimonium domini fidele sapientiam prestans paruulis'; sunt thesaurus dei quo egeni ditantur; sic ditatum sciebat se propheta dicens et 'Bonum michi lex oris tui super milia auri et argenti'; sunt talenta dei quibus serui peccati deo redimuntur, ista sunt talenta aurea que a Christo sunt emenda iuxta illud Apoc. III: 'Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum ut locuplex fias'; ista sunt eloquia dei casta que sunt argentum igne examinatum etc.; sunt frumentum dei quo fideles reficiuntur, Mt. IIII: 'Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit ab ore dei'.

Quarto non fuit formidolosus sicut sunt multi predicatores qui timore mundano uel humano a predicatione desistunt, ideo dicitur 'non deficient de ore tuo'. Non enim a predicatione desistit nec propter dampna rerum, quia omnia temporalia contempnebat, nec propter contumelias uerborum, quia eas paruipendebat, nec propter iniurias uerborum siue tormentorum, quia eas despiciebat. Vnde cum quadam die iuxta sibi paratas insidias securus incederet, illi nimirum stupefacti dixerunt ei: « Numquid tu mortis horrore concuteris, quid acturus esses si comprehendissemus te? ». Et ille: « Rogarem uos ne michi breui compendio mortem celerem inferretis, sed successiue membra singula mutilantes, deinde ostensis coram meis oculis detruncatis membrorum particulis ipsos oculos eruentes ad ultimum semiuiuum laceratumque corpus permitteretis sic cruentatum in suo sanguine uolutari ».

Tertium quod beatum Dominicum commendabile reddit est proles sapiens et fecunda cum dicitur 'et de ore seminis tui'. Semen enim beati Dominici est ordo predicatorum quem ipse in Christo Ihesu per euangelium generauit. Non enim ipse ordo fuit casu uel fortuitu inuentus uel humana prudentia institutus, sed potius fuit a deo destinatus, a prophetis dei prefiguratus, a matre dei impetratus, ab ipsa matre dei habitu insignitus, ab apostolis dei scientia et constantia

decoratus, a uicario dei confirmatus, a beato Dominico institutus, a sanctis dei in celesti gloria illustratus. Primo namque fuit a deo destinatus. Iste est enim ille seruus quem deus misit, <Luc 14 : Misit> seruum suum hora cene dicere inuitatis ut uenirent. Super quem locum dicit Gregorius: 'Hora cene finis est seculi', unde apostolus: nos sumus « in quos fines seculorum deuenerunt'. In hoc fine mittitur seruus, id est ordo predicatorum, ad inuitatos post legem et prophetas ut repulso fastidio ad gustandam cenam et se preparent. Misit autem deus ordinem predicatorum in mundum ex eo quod mundus erat famelicus, aridus, sitibundus.

Quia erat famelicus misit eum ut famelicos saciaret, unde super illud III Reg. IIII 'Regis prefecti necessaria mense regis Salomonis cum ingenti cura[m] prebe<b>ant in tempore suo' sic dicit Glossa: « Ne quid desit in domo regis, ordo predicatorum discurrendo et loquendo laborat ut in mensa domini habundet unde nutriantur fideles. »

Quia mundus erat aridus misit deus ordinem predicatorum ut aridos irrigaret, unde dicit Bernardus in sermone de sancto Andrea 'Fluuius est ordo predicatorum non permanens in eodem loco sed extendens se et currens ut diuersas irriget terras'.

Quia erat sitibundus misit deus ordinem predicatorum ut sitientes inebriet, unde super illud uerbum Cant. VII 'Umbilicus tuus crater tornatilis' dicit Augustinus: 'Quid per craterem nisi predicatorum ordinem intelligimus qui nimirum mentibus auditorum celestis doctrine uinum propinant eosque inebriant'.

Secundo iste ordo fuit a prophetis prefiguratus et maxime Zac VI, ubi dicitur: 'In prima quadriga equi rufi, in secunda equi nigri, in tertia equi albi, in quarta equi uarii et fortes'. Primo per equos rufos intelligitur ordo fratrum minorum qui dei amore rubicundi et caritate nimia inflammati terrena dispiciunt dicentes, Cant. VIII: 'Si dederit homo omnem substantiam domus sue pro dilectione quasi nichil despiciet eam'. Per equos nigros intelligitur monachorum ordo nigrorum, per albos uero ordo monachorum alborum, unde dicit sponsa Cant. I: 'Nigra sum', quantum ad monachos nigros, sed et formosa' quantum ad monachos albos. Per equos uarios et fortes intelligitur ordo predicatorum non tantum per habitum sed maxime propter uarietatem uirtutum, ut dicitur de sponsa in Ps.: 'Astitit regina a dextris tuis in uestitu deaurato circumdata uarietate'.

Tertio iste ordo fuit a matre dei impetratus, unde legitur quod quidam monachus ante huius ordinis institutionem uidit beatam uirginem flexis genibus pro humano genere Christum orantem. Cui ait Christus: « Quid amplius facere? Misi patriarchas et prophetas et parum se emendauerunt, ueni ego ad eos, deinde misi apostolos et me et illos occiderunt, misi martires confessores et doctores et nec illis acquieuerunt. Sed quia non est fas ut tibi aliquid denegem, dabo eis predicatores meos per quos illuminari ualeant et mundari ». Per id etiam tempus quidam uir sanctus uidit Christum in aere tres lanceas in manu tenentem et contra mundum iactare uolentem. Ad quem uirgo beatos Dominicum et Franciscum adduxit dicens: « Illi contra mundum decertabunt et suo domino subiugabunt ». Vnde super illud I Par. XX: 'Congregauit Ioab exercitum ut uastaret terram filiorum Ammon etc.' dicit Glossa: 'Ioab bellum inchoauit, Dauid perfecit, Christus enim bellum agit'. Cum predicatorum ordo contra mundi potentes scutum fidei opponit sed finis certaminis et triumphus ad Christum refertur qui operatur in nobis et uelle et perficere".

Item super illud Ps. 'Rex magnus super omnes deos' dicit Glossa: 'Cui ordo predicatorum seruit per uerbum euangelii gentes associando fidei'.

Quarto fuit iste ordo ab ipsa matre dei habitu insignitus quia cum a principio alium habitum deferrent, uirgo beata habitum quem modo deferunt beato Dominico et magistro Raynaldo ostendit et ut induerent precepit, ad innuendum quod debent esse induti et nigredine

humilitatis et albedine puritatis et uarietate multiplicis uirtutis; unde super illud Eccl. L 'In accipiendo ipsum stolam glorie et uestiendo eum consummatione uirtutis', dicit Glossa: 'Ordo predicatorum accipiendo stolam glorie in uestiendo se consummatione uirtutum iudicium dignitatis sue et orna[men]tum fidei et uestitum bone operationis demonstrat'.

Quinto fuit ab apostolis dei scientia et constantia decoratus. Nam Petrus et Paulus sibi apparuerunt, cui Petrus baculum, Paulus uero librum tradidit dicens: « Vade, predica quoniam a deo ad hoc ministerium es electus ». Per librum significat donum scientie, per baculum fortitudo constantie. Ista duo, scilicet scientiam et constantiam, ordo predicatorum accepit.

Scientiam quidem accepit, unde super illud Eze. II: 'Et ecce manus missa est ad me in qua erat inuolutus liber et expandit illum coram me', sic dicit Gregorius: 'Sicut per prophetam predicatorum ordo sic per librum quem accepit scripture sacre pagina designatur'. Liber autem inuolutus est quia scripture sacre eloquium est obscurum, quia profunditate sententiarum inuoluitur ut non facile sensus omnium penetretur. Sed coram propheta liber expanditur quia coram predicatoribus sacri eloquii obscuritas aperitur.

Accepit etiam constantiam quia instar leonis nullum metuit sed peccantes fiducialiter reprehendit, Provu. XXX: 'Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum', unde super illud Exo. X: 'Duodecim leu<n>culi stantes super sex gradus hinc atque inde', sic dicit Glossa: 'Per duodecim leuculos ordo predicatorum apostolicam doctrinam sequentem intelligitur, hii super sex gradus hinc atque inde <stant quia bonorum operum gressus hinc et inde> doctrinis atque exemplis <munire> certant'.

Sexto fuit iste ordo a uicario dei confirmatus. Cum enim summus pontifex beato Dominico petenti confirmationem ordinis se difficilem exhiberet sequenti nocte ecclesiam Laterani corruere in uisione conspexit, sed beatum Dominicum suis humeris eam substentantem conspiciens sue petitioni consensit. Heretici enim et scismatici ecclesiam dei plurimum infestarent nisi ordo predicatorum eis resisteret, unde super illud Est. II 'Duo eunuci regis qui ianitores erant uoluerunt regem interficere quod Mardocheum non latuit', dicit interlinearis 'id est ordinem predicatorum' et Glossa marginalis [*ms* : magistralis] sic dicit ibidem 'et possunt in duobus eunucis scismatici <et heretici> notari qui fraudis et malicie uenenum corde gestantes contra ueritatem consiliantur ut eam credentibus auferant et Christum, id est fidem Christi, in ipsis fidelibus interficiant. Sed eorum iniquitates sancti doctores manifestant ut innocentes saluentur et illi iusta ultione puniantur. » Quia ergo ecclesia sic ab infidelibus opprimebatur, ideo de utili rectore, scilicet predicatorum ordine, ipsi ecclesie prouisum, unde super illud Ecc. X 'utilem rectorem in tempore suscitabit super illam' dicit Glossa interlinearis '[et] ordinem predicatorum'.

Septimo fuit a beato dominico institutus. Mundus quidem erat oppressus, erat incultus, erat in uas contumelie transmutatus, erat armis spiritualibus spoliatus, erat in amore dei et proximi tepidus. Quia ergo erat oppressus, instituit beatus Dominicus ordinem predicatorum qui oppressos erueret, unde super illud Ier. XXXVIII 'Audiuit Adelmaleth Ethiops uir eunucus quia miserunt Ieremiam in lacum etc.', sic dicit Glossa: 'Iste Ethiops eunucus qui timore et amore dei compunctus prophetam eripuit significat predicatores de gentibus qui se ipsos castrauerunt propter regnum celorum qui uere caritatis instinctu inique oppressos student uerbo et <opere et> exemplo de fouea perdicionis eruere.

Quia mundus erat incultus instituit ordinem predicatorum ut spiritualem culturam perficeret, ut scilicet esset arator et seminator; unde super illud Amos IX 'Comprehendet [*ms* : Comprehendit] arator messorem et calcator uue mittentem semen', dicit Glossa: « Per hos omnes significatur ordo predicatorum » qui uasa contumelie in uasa glorie transmutaret', unde super illud Ecc. XXXVIII 'Sic[ut] figulus sedens ad opus suum etc.' dicit Glossa: 'id est ordo predicatorum qui

per diuersa officia ministerium suum agunt, doctrinam secundum auditores temperant, qui fragiles et infirmos uerbis et exemplo formant ut uasa in honorem faciant'.

Quia mundus armis spiritualibus erat spoliatus instituit ipsum ordinem ut arma spiritualia fabricaret, unde super illud Ecc. XXXVIII 'Sic[ut] faber ferrarius sedens iuxta incudem' dicit Glossa: 'id est ordo predicatorum », iuxta « durum presentis uite laborem », « qui spiritualia arma fabricat ».

Quia mundus erat in amore dei et proximi tepidus, instituit ipsum ordinem qui isto duplici amore ferueret et altos inflammaret, unde iuxta illud Mt. IIII 'Vidit duos fratres', dicit Glossa 'Vnitatem fraterne dilectionis approbauit sine qua nullus in ordine predicatorum admittitur', unde etiam beatus Dominicus <instituit> ut bini et bini incederent et propter honestatem et propter securitatem et propter bonum testimonium et propter genuine caritatis exemplum.

Octauo enim est a sanctorum gloria illustratus. Nam cum in gloria sunt tres ordines, scilicet martires, confessores et uirgines, martires ipsum illustrant quia unum ex ipsius collegio, scilicet beatum Petrum in suo cathalogo receperunt; confessores ipsum illustrant quia unum, scilicet beatum Dominicum, in suo consortio admiserunt; uirgines ipsum illustrant quia duos, scilicet sanctos Dominicum et Petrum, in suo coro receperunt, quorum uterque uirginitatis gloria dotatus fuit; per ipsos enim sanctos est ordo ipse multipliciter coram fidelibus et infidelibus exaltatus, unde super illud Ester X 'Exaltauit', scilicet rex Assuerus, Mardocheum' dicit Glossa: 'id est ordinem predicatorum », « <coram> fidelibus et infidelibus. »

Sermon 4 sur saint Dominique

Misit seruum suum hora cenae, etc., Luc. xiiii (Lc 14, 17) Per cenam finis seculi, per seruum ordo Predicatorum significatur, huius ordinis beatus Dominicus fuit institutor. Ad bonitatem autem serui tria requiruntur.

Primum est fidelitas, Mt. XIIII (Mt 24, 45). Quis putas est fidelis seruus et prudens. Istam fidelitatem beatus Dominicus Deo seruauit. Tria enim ab ipso accepit, scilicet corpus, animam, et res temporales, quae Deo fideliter reddidit. Nam de carne reddidit Deo puritatem, de mente deuotam orationem et de rebus liberalem ad pauperes distributionem. Fuit etiam fidelis seruus, quia in hiis quae faciebat non suum, sed Domini sui honorem intendebat, quod est contra illos, qui in his quae faciunt gloriam mundi querunt. Ipsa autem humana gloria secundum Chrysostomum aliquando opus bonum precedit, et tunc illud opus est penitus intermittendum, quia ex corrupta radice non potest bonus fructus prodire. Aliquando concomitatur, et tunc opus est continuandum et perficiendum. Aliquando uero subsequitur, quando quis de aliquo bono quod fecit intra se uane gloriatur, et tunc ad confessionem est recurrendum. Istud autem uitium uanae gloriae, secundum eundem Chrysostomum. difficiliter uincitur triplici de causa. Primo quia de bono nascitur; sicut enim ex uestimento nascitur tinea, quae uestimentum corrodit, et ex oleribus nascitur uermis qui olera corrumpit; sic ex bonis operibus interdum uana gloria nascitur, quae ipsa bona opera ledit. Secundo quia non habet contrarium per quod uincatur, sicut fornicatio habet pro contrario castitatem, superbia humilitatem semper pro contrario habet. Tertio quia quanto plus compescitur, tanto plus augetur. Et ratio secundum eundem Chrysostomum. quia omne malum ex malo nascitur. Sola autem uana gloria a bono procedit, ideo non extinguitur per bonum, sed magis augetur.

Secundo ad bonitatem serui spectat munditia, Ps. (Ps 100, 6): Ambulans in uia immaculata, hic mihi ministrabat. Istam munditiam beatus Dominicus habuit, quia uirginitatem integram

seruauit custodiuit. Quae quidem uirginitas beati Dominici uirginitati beatae Mariae in quantum fuit possibile similis multum fuit. Ipsa enim habuit uirginitatem integram, quia fuit uirgo carne et mente ; sic beatus Dominicus integritatem carnis habuit et etiam mentis puritatem seruauit. Una enim sine alia non sufficit. Unde Angelus qui Ioanni apparuit, zona aurea in pectore cinctus aduenit , ut habetur Apo. i,(cf Apc 1, 13), quia talis debet esse angelicus per integritatem carnis, et debet esse in pectore cinctus per munditiam cogitationis, et debet esse cinctus in pectore zona aurea, quia hoc debet facere ex charitate cordis. Secundo beata Uirgo habuit uirginitatem dedicatam Christo, quia ipsam primo Deo uouit et dedicauit. Sic beatus Dominicus uirginitatem suam Deo uouit et uendidit, Prov. ult. (Prov 31, 24) : Syndonem fecit et uendidit et cingulum tradidit Chananaeo. Per syndonem quae multis tonsionibus ad candorem deducitur, significatur uirginitas, quae multis macerationibus habetur. Illa uirginitas debet Deo uendi, id est, deuoueri. In qua uenditione homo cum Deo multum lucretur, quia dat Deo corporis et animae puritatem, recipit ab eo eiusdem corporis et animae felicitatem. Illi Isti autem qui mundo eam uendunt multum perdunt, quia dant aurum uirginitatis, et recipiunt plumbum, scilicet filios corruptionis. Cingulum etiam castitatis, quo sinus fluxibilium cogitationum restringatur, Chananaeo traditur, quando Christo qui est zelator sponsae suae ipsa uirginitas deuouetur. Tertio Uirgo beata habuit uirginitatem transfusam transfusiuam, quia licet fuerit pulcherrima, a nullo tamen potuit concupisci, quia puritas sua in alios transfundebatur, et omnes motus illicitos extinguebat. Istud etiam fuit autem in beato Dominico inuenitur, quia cum quidam scholaris lubricus manum ipsius celebrantis osculatum fuisset carnis lubricum pateretur, et manum eius oscularetur, ipse scholaris tantum ex de illa manu uirginea prodire sensit odorem, quod eius cor penetrauit, et omnem concupiscentiae estum extinxit; ideo eius odor assimilari potest odori cedri et myrrhae. Sicut enim odor cedri fugat serpentes, et odor myrrhae fugat uermes, sic odor suae puritatis immundas expellebat cogitationes.

Tertio ad bonitatem serui requiritur uigilantia, Luc. xii (Lc 12, 37). Beati serui illi quos cum uenerit Dominus inuenerit uigilantes. Sed beatus Dominicus ualde in orationibus uigilauit, cuius quidem orationes sex circumstantias habuerunt.

Primo namque fuerunt feruentes. Unde legitur, quod frequenter frequentius cum uestibus balneatis in Ecclesia pernoctabat. Mane autem facto huiusmodi suae uestes magis siccae reperiebantur quam uestes sociorum suorum, quamuis uestes sociorum suorum que iuxta ignem tota nocte dimittebantur. Tantus enim ardor amoris eius pectus inflammauerat, quod etiam eius corpus feruere faciebat, et sic corpus succensum uestimenta madida exsiccabat.

Secundo fuerunt efficaces. Unde dixit cuidam suo familiari : Numquam aliquid a Deo quicquam petii, quod non assequerer quin illud consequerer iuxta uotum. Ipse enim a Deo exaudiri meruit, et propter intensum amorem intimum clamorem cordis, Ps (Ps 90, 15) Clamabit ad me, et ego exaudiam eum, et propter impletionem diuinae uoluntatis, Ps (Ps 144, 19): Uoluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet, et propter magnitudinem credulitatis (Mt 21, 22): Quaecunque petieritis in oratione credentes accipietis.

Tertio fuerunt leues, et ideo in celum ascendebant. Illa enim oratio est grauis, quae uel habet pondus peccati, Ysa. i (Is 1, 15). Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam, etc. Uel pondus terrenitatis, Heb. xii: (Hebr 12, 1): Deponentes omne pondus, etc. Uel pondus carnalitatis. In ueteri autem lege de altari holocaustorum erat uia ad altare incensi, quia de mortificatione carnis transitur ad suauitatem orationis. Istud autem pondus orationes beati Dominici non habuerunt, quia et sine peccato extitit, et terrena contempsit, et carnem suam macerauit.

Quarto fuerunt continuae, quia in oratione continue pernoctabat, Luc. xviii: (Lc 18, 1). Oportet semper orare et non nunquam deficere. Sic Uere ipse non deficiebat, quando orare incepit in sua pueritia, quando super nudam terram accumbebat, et prosecutus est in etate reliqua, et consummauit in morte sua, quia tunc Christo filios suos recommendauit, et pollicitus est seruaturum post mortem suam.

Quinto fuerunt deuotae, quia tanta dulcedine plenus erat quod saepe a seipso deficiebat, Ps. (Ps 76, 4). Memor fui Dei, et delectatus sum, etc.

Sexto fuerunt sincerae, quia non petebat aliquod terrenum commodum, sed salutem animarum. Unde de eo dicitur, quia saepe Deum rogauit, quod talem gratiam sibi infundere dignaretur, qua se totum posset impendere utilitatibus proximorum, etc.

Sermon 6 sur saint Dominique

Vos estis sal terrae (Mt 5, 13).

In quantum presens Euangelium ad honorem beati Dominici decantatur, ipse ibidem assimilatur sali condienti, Luci refulgenti, ciuitati eminenti, et lucernae in candelabro radianti.

Ipse namque habuit diuinam sapientiam, et ideo assimilatur sali condienti cum dicitur. Uos estis sal terrae. Dicitur autem sal terrae ratione originis, ratione nominis, et ratione uirtutis.

Ratione originis, quia sicut dicit Chrysostomus super Mattheum. Natura salis generatur per aquam, per calorem solis, ac per flatum uenti, et ex eo quod fuit, in aliam speciem commutatur. Sic etiam beatus Dominicus in uirum spiritualem est generatus per aquam, id est, lachrymarum effusionem. Unde dicitur de eo: Crebros adiungens sedulis fletus orationibus, (Ps 510, 9). Lauabis me, scilicet per lachrymarum effusionem, et super niuem dealbabor, quia inde acquiram mentis innouationem.

Per calorem solis, id est per feruentem amorem. Unde interrogatus in quo Libro magis studuerat, respondit, in Libro charitatis (Ps 72, 21): Inflammatum est cor meum, scilicet per feruentem charitatem, et renes mei commutati sunt, scilicet per mentis puritatem. Per uentum, scilicet Spiritus sancti afflationem, qui cor eius sic afflabat, quod mentis excessum aliquando in eo faciebat, ait quod loquens cum Deo in orationibus patiebatur amoris ebrietatem, loquens cum proximo in exhortationibus contemperabat se per sobrietatem (2 Cor 5, 13). Siue mente excedimus, Deo, siue sobrii sumus, uobis.

Secundo dicitur sal ratione nominis. Sal enim secundum Isidorum dicitur a sale, id est, a mari salso, uel a sole, quia sicut sol omnibus est communis et necessarius, ita et sal. Uel dicitur a saliendo, quia salit ab igne. Beatus autem Dominicus per suam sapientiam et doctrinam modo inducebat homines ad peccati amaram contritionem, et tunc poterat dici sal a salso, modo ad lucidam Dei cognitionem, et tunc poterat dici sal a sole, et modo ad mundi contemptum et despectionem, et tunc poterat dici sal a saliendo, quia homines ab appetitu mundi resilire faciebat, iuxta illud (Nahum 3,7): Omnis qui uiderit te, resiliet a te.

Tertio dicitur sal ratione uirtutis, nam secundum Chrysostomum sal in carne fetorem aufert, sordes expurgat, et uermes non sinit generari. Sic beatus Dominicus per suam sapientiam et doctrinam auferebat fetorem malae famae, expurgabat sordes concupiscentiae, et non sinebat in conscientia generari uermem remordentis culpae. Quando autem sal istam uirtutem non habet, (Mt 5, 13), ad nihilum ualet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. Tales enim conculcantur a Sanctis in iudicio per condemnationem (Mal 4, 3) Calcabitis impios, etc. A Deo per sui furoris effusionem (Is 63, 3): Calcaui eos in furore meo, etc. Ab Angelis per separationem

(Apc 14, 20). Calcatus est lacus extra ciuitatem. A demonibus calcantur per eternam cruciationem (Iob 18, 14): Calcet super eum quasi Rex interitus.

Secundo habuit lucidam doctrinam, et ideo assimilatur luci refulgenti cum dicitur: Uos estis lux mundi. Dicitur autem lux mundi triplici de causa.

Primo propter lucis puritatem. Cum enim triplex sit species ignis, scilicet carbo, flamma et lux, non dixit Christus: Uos estis carbo mundi uel flamma mundi, sed lux mundi. Carbo enim est lux in materia terrestri; tales sunt quorum scilicet doctrina admixta est terrenae cupiditati. Flamma est ignis in materia aeris; tales sunt quorum doctrina admixta est humanae ambitioni. Lux uero ignis est in sua essentia purissima; tales sunt quorum doctrina est pura propter Deum et commodum animarum. Talis fuit doctrina beati Dominici, et talem uoluit esse doctrinam sequentium filiorum. Unde in testamento quod beatus Dominicus in morte fecit, tria eis legauit, scilicet paupertatem, humilitatem et charitatem. In hoc enim quod paupertatem legauit, noluit quod propter cupiditatem terrenam predicarent. In hoc quod humilitatem eis legauit, noluit quod propter laudem humanam predicarent. Et in hoc quod eis charitatem legauit, uoluit quod predicarent solum propter salutem animarum (I Thess 2, 5-7). Neque enim aliquando fuimus in occasione auaritiae. Deus testis est, ecce quia non fuit carbo mundi, nec querentes ab hominibus gloriam, ecce quia non fuit flamma mundi, sed facti sumus paruuli in medio uestrum, etc. ecce quia fuit lux mundi.

Secundo dicitur lux propter lucis effectum siue operationem, lux enim excitat dormientes, delectat aspicientes, et dirigit operantes. Sic Beatus Dominicus tria in hominibus faciebat propter quae monstratus est in specie catuli latrantis, faculae ardentis, et stellae micantis. Fuit enim Dei catulus in quantum peccatores latratu suae predicationis a somno peccati excitabat. Et fuit facula Dei in quantum bonos ad celestia inflammabat. Fuit stella Dei in quantum omnes in uiam iustitiae deducebat et dirigebat.

Tertio dicitur esse lux propter maioris lucis participationem. Lux enim primo continetur in luminaribus, deinde habetur in nubibus, postea in montibus, postea in terris inferioribus. Sic et radix diuinae gratiae et sapientiae primo fuit in Apostolis, tamquam in luminaribus, deinde fuit in primis Doctoribus sicut in nubibus, deinde in modernis Doctoribus, sicut in montibus, deinde etiam in subditis, et ceteris electis sicut in terris inferioribus. Beatus autem Dominicus in quantum fuit deuotus Laicus fuit terra Dei, et ideo fuit irradiatus. In quantum uero fuit regularis Canonicus, sic erat mons Dei, et ideo magis fuit illustratus. In quantum fuit homo celestis et angelicus per uirginitatem, erat nubes Dei, et ideo adhuc amplius fuit illuminatus. In quantum uero fuit uir apostolicus erat luminare Dei, et ideo fuit maxime illustratus (Prov 4, 18). Semita iustorum, id est beati Dominici, quasi lux splendens, quando scilicet fuit deuotus Laicus, procedit quando fuit regularis Canonicus, et crescit quando fuit effectus angelicus, usque ad perfectum diem, quando effectus est uir Apostolicus.

Tertio habuit uitam eminentem, et ideo assimilatur ciuitati eminenti, cum subditur: Non potest ciuitas abscondi, etc. Ciuitas supra montem posita est sana et munda et est secura. Sic et religio in eminentia perfectionis est sana propter uotum paupertatis uoluntariae (Eccli 31, 37). Sanitas est animae et corporis sobrius potus, et etiam sobrius cibus. Et contra dicitur (Eccl 37, 34): Propter crapulam multi obierunt, etc. (Ps 72, 7) Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. Est munda propter uotum castitatis et continentiae. (1 Cor 7, 1) Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus. Est secura propter uotum obedientiae. Periculosum est enim quando quis a propria uoluntate ducitur (Eccli 18, 31). Si prestes animae tuae concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis, etc.

Quarto habuit lucidam famam, ideo assimilatur lucernae super candelabrum radianti cum dicitur: Neque accendunt lucernam, etc. Prelatus etenim sicut aliis preeminet in ordine, sic preeminere debet in fama et opinione. Unde dicitur (1 Reg 9, 2), quod Saul ab humero et sursum super omnem populum eminebat. In humero pondus laboris intelligi potest. Super humerum autem est caput in quo maxime uisus et odoratus uiget. Prelatus ergo debet aliis preeminere, et in labore actionis, et in uisu cognitionis, et in odore opinionis. Sed tamen multi possunt dicere illud (Is 3, 7): Nolite me constituere principem populi. Non sum medicus, et in domo mea non est panis neque uestimentum. Non enim possunt curare aliena uulnera exemplo uitae, nec habent panem sacrae doctrinae, nec ornamentum bonae opinionis et famae. Sed de beato Dominico dicitur illud (Mt 5, 9): Qui autem fecerit, ecce uita sancta, Et docuerit, ecce doctrina clara, Hic magnus uocabitur in regno Celorum, ecce eminens fama. Fuit namque magnus in regno celorum, id est in Ecclesia militante, sed modo est maior in Ecclesia triumphante.

Sermon 2 pour la translation de saint Dominique

Enoch placuit Deo et translatus est in Paradisum, ut det sapientiam gentibus. Ecc. xliiii

Per translationem ipsius Enoch in Paradisum terrestrem significatur translatio beati Dominici hodie facta in Ecclesia militante. In uerbis autem premissis sanctus beatus Dominicus a quatuor commendatur.

Primo a deuota Christi imitatione, cum dicitur, Enoch: qui interpretatur ambulans cum Deo. Consueuit autem homo cum alio libenter ambulare et se sibi associare, aut quando est similis, aut quando est familiaris, aut quando est propinquus siue affinis. Innocentia autem facit hominem Christo similem; ideo Christus innocentes sibi libenter adiungit. Ps. Innocentes et recti adheserunt mihi. Contemplatio facit hominem deo familiarem. Unde dicitur de Moyse maximo Dei contemplatore, Exo. xxxiii : Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem sicut loqui solet amicus ad amicum suum. Castitas autem facit hominem Deo propinquum et affinem, Sap. XV : Incorruptio proximum deo facit facit esse proximum Deo. Recte igitur autem Christus ambulauit cum beato Dominico, et beatus Dominicus cum eo, et tum quia fuit sibi similis seruando innocentiam baptismalem, tum et quia fuit sibi familiaris per contemplationem celestem, tum quia fuit sibi propinquus et affinis per pudicitiam uirginalem. Ps Ego autem in innocentia mea ingressus sum, hoc quoad innocentiam baptismalem. Pes meus stetit in directo, hoc quoad uirginalem pudicitiam: Pes, id est, affectus anime tunc in directo stat, quando ad nulla immunda dilabitur, sed semper mundus et castus seruatur. In Ecclesia benedicam te Domine, hoc quoad contemplationem eternam.

Secundo commendatur a diuina approbatione cum dicitur, placuit Deo. Inter ceteras autem uirtutes, que Deo placent est misericordia, iuxta illud Mt. ix:: Misericordiam uolo, et non sacrificium. Beatus autem Dominicus habuit misericordiam et temporalem, et spiritualem. Temporalem quidem, quia libros suos uendidit, et pauperibus dedit: pro redemptione captiuorum et seipsum uendere uoluit. Si ergo fuit tante charitatis, pietatis et liberalitatis in mundo, multo fortius nunc est in celo, cum hic charitatis igniculus , ibi caminus. Ysa. xxii Dicit Dominus cuius ignis est in Syon, et caminus eius in Ierusalem. Hic stilla pietatis. Ibi fluuius. Ps. :Fluminis impetus letificat ciuitatem Dei. Hic fragmentum liberalitatis. Ibi cumulus., Lu. vi Mensuram bonam et confertam, etc. Habuit etiam misericordiam spiritualem in conuersione peccatorum per sollicitam et feruentem predicationem; noluit enim exercere officium mundanum, sed in hoc exercuit officium Apostolicum. i Cor. i Non misit me Dominus Christus baptizare, sed

Euangelizare. Officium Angelicum, Luc. ii: Ecce euangelizo uobis gaudium magnum. Officium diuinum, unde dixit Christus : Luc. iiii : Aliis ciuitatibus euangelizare me oportet regnum Dei: quia ideo missus sum.

Tertio commendatur a felici translatione, cum dicitur: Et translatus est in Paradisum. Fuit etiam Dominicus tripliciter translatus, scilicet ante mortem, in morte, et post mortem. Prima translatio est quantum ad corpus et spiritum. Secunda est quantum ad spiritum. Tertia quantum ad corpus proprium. Prima fuit de loco periculoso ad locum securum. Secunda translatio fuit de loco laborioso ad locum quietum. Tertia de loco despecto ad locum honorificum. Prima igitur quidem translatio est quantum ad corpus et spiritum, scilicet quando de mundo translatus est ad claustrum relinquens mundum, et corpore per habitationem, et mente per amorem. Sap. iiii Placens Deo factus est dilectus et uiuens inter peccatores translatus est. Secunda translatio est quantum ad spiritum scilicet de mundo ad celum. Col. i Eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis sue. Tertia est quantum ad corpus proprium de loco scilicet despecto ad locum honorificum. De quo potest exponi quod dicitur Gen. ult. Deus uisitabit uos, asportate ossa mea uobiscum de loco isto: Primam uisitationem, seu translationem fecit Spiritus sanctus, qui sibi inspirauit ut mundum relinqueret, et religionem intraret, Sap. iiii. Properauit illum educere de medio iniquitatum. Secundam fecit Angelus; immo pater et filius, ut patet in apparitione scale. Tertiam fecit fidelium cetus. Unde potest exponi illud quod dicitur ii Paral.: Cum uenissent cuncti seniorum Israel portauerunt Leuite arcam, et intulerunt eam in tabernaculum et omnem paraturam tabernaculi. Et dicit quod translatus est in Paradisum; nam prima translatio facta est in paradisum religionis. Gen. ii Tulit Deus hominem, id est beatum Dominicum, et posuit eum in paradiso uoluptatis, id est religionis, ut operaretur, et custodiret illum. Religiosus enim uir debet contemplationi insistere, per bona opera se exercere, et suum ordinem custodire. Secunda facta est in paradisum Ecclesie triumphantis. Apoc. ii: Uincenti dabo edere de ligno uite, quod est in paradiso Dei mei. Tertia translatio facta est in paradisum Ecclesie militantis, ubi datur misericordia ad remissionem, et gratia ad iustificationem, Ecc. xi: Gratia sicut paradisus in benedictionibus et misericordia in seculum permanet.

Quarto et ultimo beatus Dominicus commendatur a finali intentione cum dicitur. Ut det gentibus sapientiam. Nam in quantum translatus est in paradisum religionis, dedit sapientiam suis doctrinis, Prou. v. Deriuentur fontes tui foras, etc. In quantum uero translatus est in paradisum Ecclesie triumphantis dat sapientiam suis meritis. Ecc. xliiii Sapientiam Sanctorum narrent populi, etc. Et in quantum translatus est in paradisum Ecclesie militantis dat sapientiam suis miraculis, que quotidie innouantur et fiunt. Ecc. xxxvi Innoua signa, et immuta mirabilia

JOURDAIN DE PISE
SERMON POUR LE JOUR DE SAINT DOMINIQUE
(p. 1403-1414)

Carlo DELCORNO, « Medieval Preaching in Italy (1200-1500) », dans *The Sermon*, directed by B.M. Kienzle, Turnhout : Brepols, 2000, p. 543-560.

Predicò frate Giordano M.CCC.IIJ. di. V. d'agosto il dì di sancto Domenico in Sancta Maria Novella dopo nona.

Qui fecerit et docuerit, hic maior vocabitur in regno celorum. Queste parole sono di Cristo a' suoi discepoli, e nondimeno s'intende per tutti quelli che seguitano la vita degli apostoli. L'angelo ch'anunciò sancto Iohanni Baptista, sì disse allui : et erit magnus coram Domino, ma non disse per che cagione ; ma Cristo il dice in questo vangelio ne le parole proposte, ne le quali si comprendono tre cose. Prima, la virtù de l'operazione, in cio che dice : Qui fecerit. La seconda, il frutto de la doctrina e dell'amaestramento, in ciò che dice : et docuerit. La terza, la grandezza e dignitade di quelli che cio fanno, [in ziò che dize : hic maior est in regno zellorum].

Prima dico che si mostra la virtù del fare, e questo fare è in conservare i comandamenti di Dio. Sono molti fari, che non sono fare, ma disfare, sicome noi diciamo del maestro che disfa la casa : quegli lavora e tuttodi fa, ma il suo fare non è fare, ma disfare. Cosi sono molti, che tuttodi fanno, ma il loro fare non è altro che disfare : per questi principalmente s'intendono gli eretici e i paterini, i quagli si procacciano a podere di disfare la Fede e la Ecclesia di Cristo. [Questi propiamente sono diti disfazitori de la Gliexia di Cristo].

Messer sancto Domenico non solamente ch'egli la disfacesse, ma egli quella, che già era poco me no che disfatta, la rifece. Leggiamo di sancto Augustino e di sancto Ambrosio, che fuoro grandi doctori : questi duraron molta fatica a spegnere gli eretici, pero ch'al loro tempo n'erano di parecchie sette ; si gli spensero e tolsero via, che non se ne trovò mai poscia nullo di quelli insino al di d'oggi. Questi fuoro utili a la Ecclesia ; poscia di questi, né prima, fuori degli apostoli, non fu nullo che tanto ci fosse utile e valevoli come costoro : questi fuoro lume e sale a illuminare e a condire il mondo cieco e scipido.

Se questi sono cosi grandi sancti, e sorio cosi lodati per la grande utilitade, che fecero a la Ecclesia, molto altressi dovemo avere in reverenza messer sancto Domenico dopo illoro ; imperò che, pognamo che quelli cotali heretici non fossero allora, nondimeno s'erano levati heretici d'altre resie e paterinie, e erane pieno di là da' monti e di qua, e aveano loro vescovi, e predicavano ; ed aveane in Lombardia ; e erano non solamente d'una resia, ma di molti errori [ierano soziatti], e predicavano. Santo Domenico, vedendo la Ecclesia di Dio che ssi struggea e venia meno, fu ispirato da Dio d'uno zelo de la Eclesia ; andossene al papa, e disse che volea licenzia di predicare. Il papa se ne maravigliò, però che a quel tempo non facean prediche se none i vescovi ; i monaci , i preti, i remiti non predicavano, non piaccia a Dio ! ma i vescovi. Questo era loro proprio officio, e questi erano già a tanto venuti, chenon predicavan quasi di niuno tempo. Leggesi bene di sancto Augustino e di sancto Ieronimo, che diceano alcun'otta al popolo certe omelie, e questo fecero rade volte; gli altri non si trova che quasi predicassero, se non rade volte; quasi ne la città in tutto l'anno facea una predica il vescovo, sicché non si sapea chessi fosse predicare. Or venendo sancto Domenico al papa per questa licenzia, ché non era uficio se non di vescovi, pensossi, e disse: - Chi è questi, che vuol fare un Ordine, che sieno tutti vescovi ? - ;

maravigliossene. La notte vide una visione, che la chiesa maggior di Sancto Iohanni Laterano rovinava, e questo homo la ritenea ; si che gli fue revelato che costui dovea ritenere la Ecclesia, la quale cade a ; allora gliele conceette.

Questi dunque fu il primo che fece Ordine di predica, e questo è sanza menzogna. Nullo era prima, che predicasse: costui fu il primo predicatore, e i suoi frati, che 'l seguitaro, fece predicatori; tutti gli altri frati, chenne sono venuti molti, tutti hanno avuto questo fatto del predicare da questa Ordine di Sancto Domenico, omde tutto 'l mondo è oggi pieno di predicatori in tutte parti. In quanta tenebria sarebbe il mondo, se i predicatori non fossero ? Certo noi saremmo in tenebre maxime, come si dice d'i Greci, i quali non hanno predicatori, che sono ciechi e sono in tanta tenebria, ch'è una terribile cosa a udire : che intra loro, pur intra loro cherici, hae cento numerati errori, i qualii sono più sozzi che quelli de' pagani e de' Saracini. Tutti sono pieni d'errori grandi e di tenebria. Innumerati sono cento sanza molti altri errori e maledictioni pessime; i quali avemo tutti iscripti, e io gli ho letti, disse frate Giordano, e ènne fatto un grosso libro a mattare i loro errori, non per loro utilità. Vedete dunque in quanta tenebria sono, e questo è però che mai non odono predicatori.

Certo, se non fossero le predicazioni, noi saremmo in peggiori errori, e in più soz[z]ure che i Saracini. Quanto dunque fu utile questo homo a la Ecclesia ? non si potrebbe dire. Questi fu il primo, che fece iscuole di theologia, ove s'amaestra di divinitade. ln tutto 'l mondo non avea scuola nulla, che di cio amaestrasse, se non una in Parigi, e quivi si facea radi volte, e quasi neente. Oggi n'è piena tutta la Cristianitade, in ogni convento è scuola di divinitade; e i Frati Minori, e anche gli altri frati hanno impreso da questa, e perè catun convento d'ogni Ordine ha sua scuola di divinitade, la quaI cosa è di tanta utis litade, che non si potrebbe dire; ne le quali si mostra la Scriptura Sancta, e ove si dispongono e si dichiarano i passi obscuri de la Scriptura, e le forti parole che vi sono; ove altressi si mostra il peccato, quello ch'è peccato, e quello che non. La qual cosa è di tanta utilitade, che non si potrebbe dire. I Greci hanno bene i vangeli e le pistole come noi, ma e' non hanno nulla scuola di divinitade, e però non intendono i vangeli né pistole, e non sanno chess'è ; e sono irr tanta tenebra ch'è una terribile cosa, ne la quale non è dubbio che saremmo noi oggi, e in peggio, se que ste co se non fossero.

In quanta reverenzia il dovremmo avere, homo di tanta utilitade ! Leggesi di quello grande sancto Antonio d'Egipto, che fu co si grande sancto, il quale è commendato di cotanta penitenzia, che fece cosi grande abstinenzia, e stette in tanta contemplazione. Molto è commendato quel sancto Maccario, che'l seguitò, di grande vita. Questi, conciosiacosa che fossero cosi perfetti, non predicavano perè, non amaestravano, se non che salvavano loro medesimi.

Venne sancto Augustino, e di lui si legge che mangiè e carne e pane, e bevve vina, e vestissi a modo degli altri pontifici.

Qual fue maggiore ? Pur sancto Augustino e gli altri doctori, però che non salvaron pur loro solamente, ma tanta gente salvaron, ch'è una maraviglia, e divolsero tutti gli errori, e spensero tutte le resie; e non solamente gli caccio, ma i paterini fece perfetti cristiani, perfetti cattholici, e salvaro numero mirabile d'anime a Dio ; e non solamente quelli del loro tempo, ma poi altressi quanti se ne sono salvati e salvano tuttodi per le loro scripture, non si potrebbe dire. Questi fu utile a la Ecclesia.

Sancto Paolo, di lui si dice ch'è così grande sancto in vita eterna ; e sono certi che dissero ch'era maggiore degli altri apostoli, e provallo questo, perché si dice così grande grandezza di questo sancto: pero che fece più utilitade a la Ecclesia che quasi tra tutti gli altri ; onde egli converti e accattò anime a Dio sanza numero. E non solamente hae il merito di quelli, che in sua

vita accattò, ma di tutti quelli che oggidi per le sue parole si convertono : di tutti hae grande merito. Onde i meriti de' sancti di Paradiso sempre moltiplica, e sempre cresce e crescerà insino a la fine del secolo. E questo per l'utilità c'hanno fatta al mondo.

Onde per ogne anima, che per le loro parole si converte, e per Ii exempli de la loro vita sancta, e per Ii loro amaestramenti, di tutte hanno glorioso premio; onde sempre cresce il merito de'sancti. Quanti uomini converte tuttodi sancto Paolo, non si potrebbe dire ; onde quando si leggono le pistole sue, allora se' tu predicato dallui ; quanti ne converti sancto Augustino e gli altri doctori, e quanti ne salvano ognendi, non si potrebbe dire l'utilitade chennoi n'avemo de' sancti. E però il loro merito è infinito, e tuttodi cresce il guadagno loro. Molto è maggior fatto quello di sancto Paolo e d'Agustino et di Ieronimo e degli altri doctori, c'hanno illuminata la Ecclesia, che non fu il fatto di Macario e d'Antonio remiti. Questi salvaro loro medesimi, ma quegli salvano tutte le genti ; e però il lor merito è più sanza fine : quegli crescono in merito continuamente, quando per loro buon exemplo, e per la doctrina loro sancta, e per la sapienzia, altri si muove d'ussire di peccato e fare penitenzia. Queste sono le grandi opere, questi saranno detti maggiori nel Regno d'i cieli.

Cosi potemo dire di sancto Domenico. Ecco dunque che non solamente non fue disfacitore, ma la Ecclesia, che già era disfatta, rifece e rifrancò, e trassene ogne mala radiee in tal modo che oggi non si trova nuIlo paterino o nullo heretico ; e se alcuno n'è, si sta appiattato, ove uno e ove un altro, non è quasi nullo ; e se alcuno n'è preso, non sa chessi dire, si sono ispente tutte resie, e ciò è per lo benificio de'frati, de' quali sancto Domenico fu trovatore e cominciatore.

Il fare altressi non s' intende pur che sia buon al proximo, ma che sia buon anche as se medesimo, ché se alcuno facesse frutto altrui, e sé disfacesse, questi non è degno d'essere commendato ; e questo fare in se medesimo sta in tre cose, cioè nell'opere di fuori, ne la lingua e ne la mente. Nell'opere del corpo è in vincere e conculcare e sopiantare i vizii de la carne, cioè luxuria e gola. Grande virtude è vincere bene uno vizio. Di sancto Domenico si legge ch'egli stette bene .X. anni che non bevve vine ; ricordossi ch'avea detto Salamone : « Astennimi da vino per apprendere sapienzia ». Costui, volendo imprendere la sapienzia e la Scriptura, per questo zelo s'astenne bene .X. anni di vino, poi incagionito per alcuna infermità, un vescovo a quel tempo gli comandô che dovesse bere del vino, ma inacquato, acciò che mantenesse sua vita ; come adivenne di Timotheo discepolo di sancto Paolo, che non bevé vi no, e essendo incagionito ivi a molto tempo, sancto Paolo in una sua pistoIa gli mando a dire che bevesse vino, acciò che la sua natura non inaridisse, ma fosse inacquato; e cosî fece.

Fu altressi messere sancto Domenico vergine castissimo del corpo suo. Deh, signori ! voi non sapete ancora chessi sia verginitade, e però non ve ne curate. Chi conoscesse questa virtude, in grande reverenzia l'avrebbe. Come non è grande cosa che di .X.m l'uno non se ne trova diritto vergine ? non uno tra diecimilia non ne troviamo. Or mi di', frate, or si tenesse pur bene il matrimonio ! or e' non si trova quasi nullo, che pur il matrimonio tenga legittimamente; ch'è dato il matrimonio a poter usare e sodisfare a la natura secondo Idio, e non se ne trova quasi nel centinaio uno che bene l'oservi ; dunque come terrebbe virginitade costui? Non sapete ancora chess'è virginitade ! Troppo è grande altezza questa vertù ! Che è a pensare di quelli, che mantiene puritade tutto'l tempo di sua vita, e sempre sta in battaglia, e non è vinto ? Non dubitate che i sancti uomini non hanno però fuggite le battaglie, anzi sono bene combattuti. Che fortezza è questa, stare in virginità .X. e .XX. e .XXX. anni o.L. e non lasciarsi vincere ? Es[t]imate : s'uno fosse nel campo continuamente un grande tempo, e continuamente combattesse col nemico suo, e mai non fosse vinto solamente una volta, e ogni volta vincesse egli, bene sarebbe grande cosa ! Ecco le grandi opere e i grandi fatti, dei quali dice Cristo : « Chi

farà queste grandi opere, questi sarà chiamato grande nel Regno d'i cieli ». E però de' sancti non si potrebbe troppo dire né tanto di qualunque s'è il minore di vita eterna : non vi paia cosi, ché questi sono i franchi e i grandi cavalieri, e però hanno le veragi victorie e le grandi corone. « Quegli che farà queste opere », dice Cristo, « sarà chiamato grande nel Regno d'i cieli », come sono questi grandi sancti. Fuori di questa grande regola sono tutti quegli che non solamente <non> fanno, ma disfanno : e simigliantemente altressi tutti quelli, che non fanno né male né bene : questi sono i pigri e gli oziosi e i negligenti : tutti questi sono fuori de la regola di Cristo. Anche ne sono fuori tutti quelli che metton mano affare, e non perseverano, overo che fanno opere debili e piccole. I sancti dunque hanno fatte le grandi opere.

Ancora questo fare non è solamente nell'opere di fuori, ma ne la lingua. Sancto Iacopo apostolo dice: « Chi non offende ne la lingua, questi è bene perfetto ? ». La lingua è posta a modo dei freno, e in luogo di timone che dirizza la nave: pochissimi sono e radi, che questa lingua sappiano bene menare, ebene guardare. Leggesi d'i sancti padri che n'hanno fatti grandi fatti per domare la lingua, e sonsi fug[g]iti e stati molto tempo in silenzio; e di tale si legge .XX. anni che non parle per domarla bene ; conoscea la virtù de la lingua.

Di sancto Domenico si legge ne le testimonie che i frati disserodi lui, che sono scripte a Bologna, che un frate, suo compagno, giurà a le sancte Idio vangelie, che in presso a .X. anni ch'egli era ito collui per via, e stato e mangiato e ito di qua e di là collui, che unquanche non gli udi di sua bocca uscire una parola oziosa o rea, altro che parole utili e necessarie e d'edificazione e di grande utilitade: non parlava invano costui ! Un altro giurò, ch'era anche stato collui, che unquanche nol vide giacere in letto o in luogo assettato, cioè dispensato, però che dovunque il sonno li venia, quivi era il suo letto, e dormia pur in Sancto. Quando era stato in orazione, dovunque il sonno li venia, ivi dormia ; non era altrimenti suo letto dispensato ; e dovunque era giaciuto, si vi-ssi trovava la mattina molle, bagnato di lagrime, ch'egli gittava per li peccatori. Tanto fu tenero dell'anime, che sempre si procacciava pur di salvarle : non fu buono solamente pur ad se proprio, no, ma voile essere buono a tutte genti. E or lo volesse Idio, che noi ci sforzassimo d'essere buoni pur a noi medesimi, e di salvare l'anime nostre solamente: di questo tuttodi semo predicati e ammoniti, e non vale nulla, che noi pur salviamo l'anime nostre sanza cura d'altrui. Ma non stette egli contento a salvare pur l'anima sua, ma voile salvare molte anime ; ma oggi pare ch'appena l'uomo possa salvare pur se solo: grande tepiditade è questa ! Queste sono dunque le grandi opere, che mai non peccè in verbo.

Il terzo e ultimo modo si è di stare puro de la mente, e questa è grande cosa. Radissimi sono, i quali l'anima e la mente tegnano pura : questa è troppo grande opera! Sonne bene di quelli, che fanno molte buone opere di fuori, e la lingua buonamente tengono sempre affreno ; ma di quelli che la mente tegnano bene pura, questi sono si radi, ch'appena se ne trovano. Molti e molte sono, che mantengono bene virginitade di corpo, che mai non sono corropti, ma pur l'anima e la mente loro hanno soz[z]ata per mali desideri, e per male volontadi, e per laide cogitazioni, e hanno lercia l'anima loro spesse volte di sozzi e fracidi pensieri. Sicché pochi sono, che l'anima e la mente tegnano bene pura e netta: questa è maggior virtude.

Vegnono molte persone a' frati, e dicono: - Io non posso guardare la mente, ch' io non pecchi, e vengonmi pensieri di mille materie. Questi cotali non si sanno bene arrostare da le mosche, cioè da le tentazioni. In nullo modo si può l'anima e la mente tenere netta cosi bene come per orare : l'orazione è quella, che tiene netta l'anima e la mente. Questa è la rosta, che caccia la tentazioni. Di sancto Domenico si legge che quasi sempre stava a l'orazione, poco tempo ne lasciava, se non quel cotanto tempo che dormia ; e pero la mente sua stette pura Ondedi lui si legge, e di san Piero Martire, che mai non si sozzè né nel corpo né ne la lingua né ne

la mente loro, tanta purità ebbero ; e dicesi di loro, che in quella puritade, che trassero del battesimo, cosi la mantennero intera sanza sozzura insino a la fine con acrescimento di merito infinite.

Or queste sono dunque le grandi opere, e le vere. Chi queste opere cosi superne fa, questi sarà detto grande nel Regno d'i cieli. E disse frate Giordano : quando noi vo lerno conoscere uno santo, la sua grandez[z]a, noi non ponerno mente a' rniracoli, ma a la vita, che vita egli menò ; qui si conosce la grandezza de' sancti. Di molti santi si legge, che sono grandissirni nel Regno d'i cieli, e non fece Idio nullo miracolo per loro. Uno di questi fu sancto lohanni Baptista. Di lui non si legge che in sua vita facesse miracolo neuno, e si è cosi grandissimo sancto : imperò che fece la maggior vita che null'altro sancto Si che si guardi pur a l'opere e a la vita loro, pero che quelle sono le maggior opere che sieno, le quali ho dette. Ma quando seguitano i miracoli co la buona vita, è più provato. Dell'ammaestrare e de la gloria sua non predicò più. Deo gratias. Amen.

JOURDAIN DE SAXE
PRIÈRE AU BIENHEUREUX DOMINIQUE.
(p. 1428-1435)

Elio MONTANARI, *B. Iordanis de Saxonia OP oratio ad beatum Dominicum*, Firenze : Università degli Studi di Firenze, Dipartimento di Scienze dell'Antichità « Giorgio Pasquali », 1991, p. 83-91.

Oratio ad beatum Dominicum

1. Sacerdos Dei sanctissime, confessor alme et prædicator egregie,
beatissime pater Dominice,
virgo electe a domino
et super omnes in diebus tuis Deo placens atque dilecte,
vita, doctrina et miraculis gloriose,
quem apud dominum Deum nostrum advocatum præcipuum habere gaudemus,
ad te,
quem inter sanctos et electos Dei multa revereor devotione,
de profundis clamo in hac valle miseriæ.

2. Adesto, quæso, piissime,
adesto, clementissime,
peccatrici animæ meæ omni virtute et gratia destitutæ,
multisque miseriis ac vitiorum et peccatorum vinculis involutae.

Adesto miseræ et infelici,
o beata et benedicta anima viri Dei,
quam benedictione tanta ditavit gratia divina,
ut non solum te
ad beatam requiem, ad tranquillam sedem,
ad cælestem gloriam sublimaret,
sed et alios innumerabiles ad eamdem beatitudinem
tua laudabilis vita traheret,
dulcis admonitio incitaret,
suavis doctrina instrueret
et fervens prædicatio provocaret.

Adesto igitur, benedicte Dominice,
et inclina aurem pietatis tuæ
ad vocem devotæ supplicationis meæ.
Ad te confugiens pauper et mendica anima mea,
tibi se prosternit quam humili mente (potest,
tibi fundit preces quanto affectu potest),
tuum implorat auxilium quanto desiderio potest,
tibi sese conatur languida præsentare,
tibi, quantum moribunda valet, nititur supplicare,

ut potentibus meritis et piis precibus tuis
eam digneris vivificare atque sanare,
et benedictionis tuæ dono copiose replere.

3. Scio namque, scio vere et certus sum quia potes,
confido ex magna caritate tua quia voles,
spero ex immensa misericordia salvatoris quia apud eum quid voles efficies.
Spero utique,
ex nimia illa familiaritate dilectissimi tui et electi ex milibus Iesu Christi,
quia tibi non negabit,
sed apud eumdem dominum et amicum tuum
quicquid volueris obtinebis.
Quid enim dilecto suo negare poterit tam dilectus?
Quid non dabit illi, qui postpositis omnibus
se ipsum totum et sua omnia sibi dedit ?

4. Sic utique didicimus
sic te laudamus et veneramur.

Tu in ætate adhuc florente
virginitatem tuam specioso virginum sponso dedicasti.
Tu candidatam fonte sacrato et dotatam Spiritu Sancto
animam tuam
amatori regi regum castissimo sponsam dedisti.
Tu corpus tuum
hostiam viventem, sanctam, Deo placentem exhibuisti.
Tu institutione divina formatus
teipsum totum Deo tradidisti.

Tu iam pridem regularibus armis instructus
ascensiones in corde tuo disposuisti.

Tu de virtute crescens in virtutem,
de bono semper in melius profecisti.

Tu viam denique perfectionis aggressus,
derelictis omnibus nudus nudum Christum sequendo
thesaurizare magis in cælestibus elegisti.
Tu vehementius temetipsum abnegans
atque viriliter crucem tuam baiulans,
redemptoris nostri et ducis veri sequi vestigia studuisti.

Tu zelo Dei atque superno igne succensus propter nimiam caritatem tuam
in vehementis spiritus fervore et paupertatis voto perpetuæ,
apostolicæ religioni et evangelicae praedicationi
temetipsum totaliter impendisti,

et, ad hoc opus alto iam dudum providente consilio,
ordinem fratrum praedicatorum instituisti.

5. Tu per orbem
terrarum gloriosis meritis et exemplis tuis
sanctam Ecclesiam illuminasti.

Tu derelicto carnis ergastulo
ad supernam assumptus curiam ascendisti.
Tu, decoratus stola iam prima,
advocatus noster ad dominum accessisti.

Te igitur quæso,
mihi et omnibus caris nostris subveni et universo clero et populo,
atque devoto femineo sexui,
qui salutem generis humani tanto zelo desiderasti.
Tu post beatam reginam virginum spes mea dulcis atque solatium,
tu singulare mihi refugium,
intende propitius in meum auxilium.
Ad te unum,
ad te confugio, ad te solum audacter venio, ad tuos pedes me prosterno,
te patronum supplex invoco, te imploro et tibi devote me recommendo.

6. Tu suscipere et custodire,
tu protegere et adiuvare me
dignare pius,
ut, interveniente gratia tua,
desideratam Dei gratiam recuperare
et misericordiam eius invenire,
et præsentis atque futuræ vitae remedia ad salutem merear impetrare :
cor videlicet contritum et humiliatum,
cor devotum atque timoratum,
cor stabile semper et quietum,
cor mundum et immaculatum,
corpus sobrium et temperatum,
rationabile simul et acceptum debitæ servitutis obsequium,
consilium sanum semper
et auxilium in omni genere temptationum,
continuam
atque mentis et corporis sinceram castitatem,
rectam fidem, firmam spem
et perfectam caritatem
atque fervorem spiritus indeficientem,
sanctæ religionis et animarum zelum
et in ipso semper gratiam et profectum,
caelestis patriæ desiderium,

peregrinationis huius terrenæ fastidium,
dominicæ incarnationis et humiliationis
et dulcissimæ crucis et passionis eius
piam semper memoriam et amorem,
et voluntariam atque devotam ipsius imitationem
et perseverantiam usque in finem.

7. Sic, sic, magister optime, sic, quaeso, fiat, fiat,
dux inclite, pater alme beate Dominice.
Sic mihi precor assis et omnibus,
et esto nobis verus Dominicus,
domini gregis custos assiduus.
Custodi nos semper et guberna,
et tibi commissos nos emenda,
et emendatos recommenda,
et cum gaudio post hoc exilium nos repræsenta
benedicto domino et dilecto tuo,
altissimo Dei Filio, Iesu Christo, salvatori nostro,
cuius honor, laus et gloria,
et inenarrabile gaudium et beatitudo perpetua,
cum gloriosa virgine matre Maria et universa supernorum civium curia,
sine fine manet in sempiterna sæculorum saecula. Amen.

ACTES DES CHAPITRES GÉNÉRAUX
(extraits)
APPELS À ENRICHIR
LA MÉMOIRE DE SAINT DOMINIQUE
(p. 1440-1459)

Acta capitulorum generalium ordinis Praedicatorum, ed. Benedictus Maria REICHERT, vol, 1. Ab anno 1220 usque ad annum 1303 ; Romae : In domo generalitia – Stuttgardiae : Apud Jos. Roth – Romae : Ex typographia polyglotta S.C. de propaganda fide, 1898, p. 2-3 ; 10-11 ; 24 ; 33 ; 43 ; 53 ; 70-71 ; 76-77 ; 81-83 ; 98 ; 105 ; 129-130 ; 142 ; 148 ; 153 ; 185 ; 192 ; 196 ; 215 ; 218 ; 225 ; 228 ; 232-233 ; 236 ; 252 ; 257-259 ; vol. 2. Ab anno 1304 usque ad annum 1378, Romae : In domo generalitia – Stuttgardiae : Apud Jos. Roth – Romae : Ex typographia polyglotta S.C. de propaganda fide, 1899, p. 3 ; 11 ; 17 ; 19 ; 26-27 ; 36 ; 44 ; 61 ; 67; 70 ; 73-74.

TUGWELL Simon, « Did dominicans practise affiliation in the thirteenth century ? », *AFP* 79 (2009), p. 153-154 (pour les chapitres de 1238 et de 1239).

Ab anno domini · m° · cc° · xx° · usque ad annum eiusdem domini benedicti · m° · cc° · xl° · de actis capitulorum generalium pauca que potui reperire inferius annotavi.

Ab anno vero domini · m° · cc° · xl° · usque ad annum domini · m° · ccc° · v° · quo hec scripsi. habentur inferius complecius recollecta. quibusdam tamen exceptis. pro quibus suo tempore si occurrerit recolligendis et complendis. spacia vacua locis suis inferius dimittantur.

Anno domini · m° · cc° · xx° · primum capitulum generale huius ordinis per beatum Dominicum institutorem ipsius ordinis fuit Bononie celebratum.

Cui capitulo interfuit digne deo memorie frater Iordanis. postmodum successor sancti Dominici missus de Parisius cum tribus aliis fratribus. Quia magister Dominicus mandaverat per suas litteras quatuor fratres de domo Parisiensi. ad Bononiense capitulum sibi mitti. sicut scribit ipse frater Iordanis in libello suo de principio ordinis.

In illo capitulo de communi fratrum consensu. statutum est. generale capitulum uno anno Bononie. altero vero Parisius celebrari. Ita tamen. ut proxime futuro anno apud Bononiam ageretur. et hoc propter sollempnitatem magnam tunc numerosi conventus.

Tunc eciam ordinatum est. ne possessiones vel redditus de cetero tenerent fratres nostri. sed et hiis renunciarent; quos habuerant in partibus Tholosanis. Unde per constitucionem perpetuam, abdicatis omnibus temporalibus, resignando tam presentibus redditibus quam futuris, ordo fratrum predicatorum paupertatem voluntariam est professus.

Alia quoque ibidem plura constituta sunt. que usque hodie observantur.

Anno domini · m° · cc° · xxi° · secundum generale capitulum est Bononie per beatum Dominicum celebratum. In quo fundatis per orbem · lx · circiter conventibus. dicti conventus per · viii · provincias sunt distincti. scilicet Hyspaniam. Provinciam. Franciam. Lombardiam. Romanam provinciam. [Ungariam. Theutoniam]. Angliam. In quo quidem capitulo generali frater Iordanis predictus factus fuit prior provincialis Lombardie. sicut ipsemet in suo libello seu tractatu de principiis ordinis scribit. qui tamen presens non erat.

In ipso quoque capitulo conventus fratrum in Angliam cum fratre Giliberto priore scilicet provinciali. transmissus est.

Eodem anno. post capitulum generale. nonis augusti beatus Dominicus apud Bononiam. secundum quod ipse predixerat. diem clausit extremum plenus miraculis plus quam annis.

Anno domini · m° · cc° · xxii° · celebratum fuit tercium capitulum generale Parisius. In quo capitulo electus fuit in magistrum ordinis frater Iordanis Theutonicus verus Israelita. qui tunc erat prior provincie Lombardie.

1228

Anno domini · m° · cc° · xxviii° · celebratum fuit a prefato magistro Iordane. primum capitulum generalissimum Parisius. In quo capitulo. · viii · prefatis provinciis per beatum Dominicum institutis. · iiiior · fuerunt superaddite scilicet Polonia. Dacia. Grecia. et Terra sancta. Et quedam alia que in constitucionibus continentur; fuerunt ibi instituta et ordinata.

1233

Anno domini · m° · cc° · xxxiii° · fuit Bononie celebratum ab eodem Iordane magistro · xii^{m} · capitulum generale.

In quo capitulo translatum est corpus beati Dominici prima vice a venerabilibus viris archiepiscopo Ravennate et · iiii^{or} · episcopis et magistro Iordane. et plus quam trecentis fratribus aliis. qui ad capitulum venerant generale. et potestate Bononiensi cum nobilibus viris suis. videbatur enim et hoc beati viri sarcofagum aclamare. Nam cleri et populi ad ipsum devocione crescente monumentum elevabatur a terra quasi virtute interiori exterius pelleretur. In prima autem apercione sepulcri tanta odoris suavitate repleti sunt omnes ac si celestium cella aromatum patuisset. et multi compuncti et plures a diversis infirmitatibus sunt sanati.

1238

Anno domini · m° · cc° · xxxviii° · celebratum est Bononie capitulum generale in quo fuit electus in magistrum ordinis. die translacionis beati Dominici fere ab omnibus electoribus frater Raymundus de Penaforti Cathalanus nacione Barchinonensis. qui fuerat doctor in decretis Bononie. domini pape capellanus et penitenciarius. Qui mandante domino papa Gregorio · ix° · compilaverat decretales. Summam eciam de casibus seu de penitencia perutilem fecit.

Parisius – 1239

Item. Admonemus. ut fratres nostri si vacaveri<n>. semel in septimana celebrent in honorem beati Dominici missam conventualem. et quod in festis · ix · lectionum dicatur ad vesperas ad memoriam antiphona. Transit pauper. ad laudes antiphona. Carnis vigor. ad secundas vesperas. O decus Hyspanie. In diebus vero ferialibus ad vesperas. Senescenti Iacob. in matutinis. Imitator.

Bononie – 1242

Item. Monemus et volumus. quod abradatur de legenda beati Dominici. ubi semetipsum asserit. licet in carnis integritate divina gracia conservatum. nondum illam imperfectionem evadere posse. quin magis afficeretur iuvencularum colloquiis. quam affatibus vetularum.

Colonie – 1245

Et mandamus omnibus fratribus. qui aliquod miraculum de beato Dominico sciunt. preter ea que in vita sua scripta sunt. quanto poterunt testimonio. sequenti capitulo scribant. Idem dicimus de magistro Iordane.

Apud Treverim – 1249

Item hanc. Ubi dicitur. In omni oracione. quando nomen beate virginis nominatur. addatur et dicatur sic. quando nomen beate virginis et beati Dominici nominatur.

Londoniis – 1250

Item. Quod seculares persone in refectorio et in domo hospitum. de facili non admittantur. nec in dedicacionibus et festis ecclesiarum. ut beati Dominici. ad prandium invitentur.

Item. Admonemus quod tam priores quam alii fratres solliciti sint constructiones <et> dedicaciones ecclesiarum et altarium tam apud se quam apud alios in honorem beati Dominici procurare.

In Buda – 1254

Item hanc. In capitulo de professione. ubi dicitur. et beate Marie. addatur. et beato Dominico.

Item. Priores et alii fratres. curam habeant diligentem. quod nomen beati Dominici et beati Petri martiris. in kalendariis et in litaniis scribantur. et picture fiant in ecclesiis. et quod fiant festa eorum.

Item. Concedimus fratribus. quod in festo beati Dominici fiat processio. ubi commode fieri poterit. et priori et fratribus visum fuerit expedire.

Mediolani – 1255

Item. Fratres qui sciunt. vel scient in antea aliqua miracula pertinencia ad beatum Dominicum. vel beatum Petrum. que non sunt scripta. priori Bononiensi scribant. pertinencia ad beatum Dominicum. priori vero Mediolanensi. pertinencia ad beatum Petrum. et illi habeant curam redigendi in scriptis; ad perpetuam memoriam.

Parisius – 1256

Item. Apponatur diligencia. quod festum beati Dominici et beati Petri. ubique celebretur. et quod ymagines eorum in locis congruentibus depingantur. et nomina eorum in kalendariis et litaniis et martirologiis annotentur.

Item. In quolibet conventu. in margine martyrologii. in crastino beati Iohannis Baptiste scribatur sic. Eodem die obiit in partibus Tholosanis. dignus memoria nobilis vir. Symon. comes Montisfortis. zelator fidei. et specialis amicus beati Dominici. et illud pronuncietur post lectionem. ut fratres illo die orent pro anima eius. et toto genere suo. quod multa devocione nobis est astrictum.

Item. Volumus ut qualibet septimana. dicantur in quolibet conventu · vii · psalmi. cum letania. a fratribus prostratis. cum oracione de beata virgine; et beato Dominico. et Ineffabilem. cum versiculis. pro bono ordinis. quousque hoc fuerit revocatum.

Valencenis – 1259

Item. In vita beati Dominici. in rubrica ubi dicitur. qualiter episcopus Oxomensis instituit monasterium de Pruliano. deleatur. episcopus Oxomensis. et dicatur. beatus Dominicus. etc. Similiter ibidem. in textu ubi dicitur. dei servus Didacus. deleatur hoc totum. et dicatur. beatus Dominicus.

Apud Argentinam – 1260

Item. Mandat magister. quod fratres utantur legenda beati Dominici que inserta est in lectionario; et alie deinceps non scribantur.

In Montepessulano – 1265

Item. In festo sanctorum Dominici confessoris. et Petri martiris. fratres in domibus nostris opera fieri non permittant.

Item. Rogamus priores et fratres universos. quod, cum ad honorem beati Dominici patris nostri fiat Bononie structura solempnis, si de alicuius pecunie dispensacione vel aliunde honeste aliquod subsidium impertiri voluerint, illud priori Bononiensi transmittant, ne propter defectus expensarum opus remaneat incompletum.

Viterbii – 1268

Item. In oracione. a cunctis. post illud. et beatis apostolis tuis Petro et Paulo. addatur. atque beato Dominico.

Parisius – 1269

Item. Priores et fratres curam habeant diligentem. quod nomen beati Dominici et beati Petri martyris. in kalendariis. et in letaniis religiosorum et secularium annotetur. et quod fiant festa eorum.

Apud Mediolanum – 1270

Item. Quod in oracione. a cunctis. et in postcommunione quando ad nomen beate virginis fratres inclinant. inclinati persistant. quousque sit nomen beati Dominici nominatum.

Apud Pisas – 1276

Item hanc. In capitulo de ieiuniis. ubi dicitur. et vigiliam Iohannis Baptiste. Petri et Pauli. Iacobi. addatur. beati Dominici.

Burdigale – 1277

Item. Ordinamus. quod singulis diebus immediate post matutinas exceptis festis simplicibus et supra. fratres in choro super formas prostrati pro bono statu et conservacione ordinis; dicant psalmum. deus in adiutorium cum letania. qua finita dicatur. kyrie eleyson. pater noster. cum versiculis. post partum virgo. ora pro nobis beate Dominice. memor esto congregacionis tue. salvos fac servos tuos. esto nobis domine turris fortitudinis. et oracionibus. protege domine famulos tuos. concede quesumus omnipotens deus. et. ineffabilem misericordiam tuam. et ad ista suffragia fratres. ubicumque fuerint. teneantur.

Apud Mediolanum – 1278

Item hanc. In capitulo de inclinacionibus. ubi dicitur. in capitulo ad oracionem. sancta Maria. addatur. et in prefacione et in omni oracione. quando nomen beate virginis et beati Dominici nominatur.

Florencie – 1281

Pro domino Latino Hostiensi episcopo quilibet sacerdos ·i· missam de beata virgine. et quilibet conventus ·i· de beato Dominico.

Apud Viennam in Theotonia – 1282

Item. Ubicumque fit mencio de confessione generali in officio ecclesiastico. ubi dicitur. confiteor deo et beate Marie. addatur. et beato Dominico.

Apud Montepessulanum – 1283

Pro domino Latino Hostiensi et Veletrensi episcopo. quilibet sacerdos · ii · missas. unam de beata virgine et aliam de beato Dominico.

Bononie – 1285

Pro domino Hostiensi. quilibet sacerdos · ii · missas. unam de beata virgine et aliam de beato Dominico; et quilibet conventus · i · de spiritu sancto.

Parisius – 1286

Item hanc. In ordinario ad memoriam beati Dominici per totum annum etc. in vesperis ubi dicitur. ad magnificat antiphona. magne pater. et in laudibus antiphona. benedictus. deleantur iste due antiphone. et provideat magister ordinis de aliis duabus in diebus profestis. et de aliis duabus in diebus festivis.

Item. Declaramus. quod constitucio de ieiunio in vigilia beati Dominici de vigilia precipui festi et de ieiuniis ordinis sit intelligenda. et ob hoc priores seu eorum vicarii non exhibeant se difficiles ad dispensandum cum fratribus debilibus vel aliis indigentibus. cum in sabbato fuerit ieiunanda.

Apud Treverim – 1289

Item. Vult magister ordinis et monet. quod fratres qui habent certa miracula et probata. que de novo evenerint de beato Dominico sive de beato Petro martyre. conscribant diligencius et curent quam cicius magistro ordinis intimare.

Ferrarie – 1290

Item. Volumus et ordinamus. ut pro bono statu et conservacione nostri ordinis. et ut ordinem deus preservet ab instantibus periculis. fiat cotidie per ordinem memoria de beata virgine. preterquam in duplicibus et supra. tam in vesperis quam in matutinis. Fiat autem semper ante memoriam de beato Dominico. et dicatur in matutinis antiphona. sancta dei genitrix etc. in vesperis autem antiphona. sub tuum presidium. etc. et utrobique versiculus. post partum. etc. et oracio. protege domine famulos tuos. etc. fiat eciam cotidie memoria de beata virgine Maria in missa per oracionem. concede nos. preterquam in duplicibus et supra. dummodo non sint tot memorie sanctorum. que numerum excedant prescriptum.

Item. Inhibemus. ne in conventibus nostris organa aut due campane simul ad horas pulsentur. preterquam Bononie. ubi ob reverenciam beati Dominici patris nostri hoc permittatur. ita tamen; quod hoc cum decencia et honestate debita observetur.

Pro domino fratre Latino cardinali. quilibet sacerdos · ii · missas. unam de beata virgine. aliam de beato Dominico.

Pro domino fratre Hugone cardinali. quilibet sacerdos · ii · missas. unam de beata virgine. aliam de beato Dominico.

Pro dominis Iacobo et Petro de Columpna cardinalibus. quilibet sacerdos · ii · missas. unam de beata virgine. aliam de beato Dominico. et quilibet conventus · i · de spiritu sancto.

Apud Tholosam – 1304

Item hanc. In ordinario in rubrica de festo toto duplici. ubi dicitur. festum totum duplex fiat etc. post illud. que in kalendariis sunt notata. addatur et dicatur sic. feria · v · infra octavas trinitatis fiat festum totum duplex de corpore Christi. sicut summus pontifex ordinavit. quod si dictum festum in translacione beati Dominici venire contingat; ad sequentem feriam transferatur.

Ianue – 1305

Item. In ordinario in rubrica de concomitancia festivitatum, ubi dicitur : quando autem unum festum simplex post aliud festum simplex evenerit, post illud : memoria fiat de primo festo, addatur : preterquam in octavis beati Dominici, que habeant vesperas suas integras, et de sequenti festo memoria tantum fiat.

Parisius – 1306

Item hanc. In ordinario in rubrica ad memoriam faciendam de b. virgine etc. ponatur in principio : per totum annum fiat memoria de b. virgine in vesperis per antiphonam : Regali ex progenie, versum : Ora pro nobis, collecta: Protege. In matutinis vero per antiphonam : Sub tuum, versum : Post partum, et oracionem predictam ante memoriam de b. Dominico diebus, quibus memoria de b. Dominico fieri consuevit, et infra octavas exceptis diebus, quibus secundum ordinarium de ea festum vel memoria sunt agenda.

Pro venerabilibus patribus dominis cardinalibus domino Nicholao Hostiensi et Velletrensi episcopo, domino Thoma tituli S. Sabine presbitero cardinali, et domino Nicholao tituli Eusebii presbitero cardinali quilibet sacerdos · iv · missas, et quilibet conventus · i · de b. Dominico, etc.

Argentinae – 1307

Pro venerabilibus patribus dominis cardinalibus Hostiensi et Velletrensi episcopo domino Thoma tituli S. Sabine presbitero cardinali, et domino Nicholao tituli Eusebii presbitero cardinali quilibet sacerdos · iv · missas, et quilibet conventus · i · de b. Dominico, etc.

Pro venerabili patre magistro ordinis et ministro generali quilibet sacerdos tres missas, unam de trinitate, aliam de beata virgine, aliam de beato Dominico.

Paduæ – 1308

Pro venerabilibus patribus et dominis nostris cardinalibus domino Hostiensi et Velletrensi episcopo, domino fratre Thoma tit. s. Sabine et domino fratre Nicholao tituli s. Eusebii presbiteris cardinalibus, quilibet sacerdos · iii · missas, et quilibet conventus unam missam de b. Dominico, etc.

Caesaraugustae – 1309

Pro domino Nicholao Hostienso et Velletrensi episcopo cardinali et domino fr. Thoma tit. S. Sabinae et domino fr. Nicholao tit. s. Eusebii presbiteris cardinalibus, quilibet sacerdos · iii · missas, et quilibet conventus unam missam de b. Dominico, etc.

Pro magistro ordinis et ministro fratrum minorum quilibet sacerdos · iii · missas, unam de trinitate, aliam de beata virgine et terciam de beato Dominico.

Carcassonae – 1312

Pro sanctissimo patre ac domino nostro summo pontifice et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos ·vi· missas et quilibet conventus unam de b. Dominico dicat.

Methis – 1313

Pro sanctissimo patre ac domino nostro summo pontifice et pro bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos ·vi· missas et quilibet conventus ·iii· missas, unam de spiritu sancto, aliam de b. virgine, tertiam de b. Dominico.

Pro venerabilibus patribus dominis cardinalibus domino Nicholao Ostiensi et Velletrensi episcopo, domino Nicholao tit. s. Eusebii presbitero cardinali et domino Guillelmo tit. s. Cecilie presbitero cardinali, quilibet sacerdos ·iii· missas, et quilibet conventus ·iii· missas, unam de spiritu sancto, aliam de b. virgine, terciam de b. Dominico.

..

Londoniis – 1314

Cum in tribulacionibus multiplicibus et malis ingruentibus, quibus presentibus premimur, dei ac sanctorum mente devota debeamus suffragia implorare, volumus et ordinamus, quod letania cum psalmo, versiculis et collectis solitis post matutinas intus et extra omnibus diebus profestis dicatur ; singulis eciam septimanis in omnibus conventibus una missa de beata virgine et alia de beato Dominico solempniter celebrentur.

Volumus et fratribus universis mandamus, quod, si qua miracula meritis sanctorum nostrorum noviter facta deveniant ad noticiam aliquorum, ea quam cicius quod poterunt, teneantur, que ad beatum Dominicum pertinebunt priori Bononiensi, que vero ad beatum Petrum martyrem, priori Mediolanensi vel magistro ordinis intimare.

Pro electione futura summi pontificis, ut dominus provideat ecclesie sue sancte, quilibet sacerdos .iii. missas, unam de spiritu sancto, aliam de beata virgine, terciam de beato Dominico.

OFFICES LITURGIQUES
POUR LES FÊTES DE SAINT DOMINIQUE
(p. 1469-1509)

Texte établi d'après le manuscrit Rome, AGOP, XIV L. 1.

1. Pour la fête du bienheureux Dominique (5 août)

Ad uesperas

1. Super psalmos antiphona.

Gaude, felix | parens Hispania,
nove prolis | dans mundo gaudia ;
sed tu magis | plaude, Bononia,
tanti patris | dotata gloria ;
lauda, tota | mater ecclesia,
nove laudis | agens sollemnia.

Ps. Laudate pueri *cum ceteris*

[Laudate Dominum omnes gentes / Lauda anima / Laudate Dominum quoniam bonus /Lauda Hierusalem]

2. *Capitulum.*

Quasi stella matutina in medio nebule, et quasi luna plena in diebus suis, et quasi sol refulgens : sic iste effulsit in templo Dei.

3. *Responsorium.*

Granum, excussum palea,
nexu soluto luteo,
de paupertatis area
caeli locatur horreo
cum mercede virginea,
doctorum fulgens cuneo.
V. Flos in florum | virens areola
bina gaudet | sortis aureola
Cum mercede
V. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto Doctorum.

4. *Ymnus.*

i. Gaude, mater ecclesia,
letam agens memoriam
que nove prolis gaudia
mittis ad celi curiam.
ii. Predicatorum ordinis
dux et pater Dominicus
mundi jam fulget terminis
civis effectus celicus.

iii. Carnis liber ergastulo
celi potitur gloria,
pro paupertatis cingulo
stola dotatur regia.
iv. Fragrans odor de tumulo
cum virtutum frequentia,
clamat pro Christi famulo
summi regis magnalia.v. Trino Deo et simplici
laus, honor, virtus, gloria :
qui nos prece Dominici
ducat ad celi gaudia. Amen.

5. *Versiculus.*

Ora pro nobis, beate Dominice R. Ut efficiamur digni promissionibus Christi.

6. *Antiphona ad Magnificat.*

Transit pauper | ad regni solium,
dux ad sceptrum, | victor ad premium ;
mors in vitam, | labor in otium,
presens cedit | luctus in gaudium.

7. *Oratio.*

Deus, qui ecclesiam tuam beati Dominici confessoris tui illuminare dignatus es meritis et doctrinis ; concede ut ejus intercessione temporalibus non destituatur auxiliis, et spiritualibus semper proficiat incrementis. Per.

Ad matutinum

8. *Invitatorium.*

Assunt Dominici
leta sollemnia :
laude multiplici
plaudat ecclesia.
Ps. Venite

9. *Hymnus.*

i. Novus athleta Domini
collaudetur Dominicus,
qui rem conformat nomini
vir factus evangelicus.
ii. Conservans sine macula
virginitatis lilium,
ardebat quasi facula
pro zelo pereuntium.
iii. Mundum calcans sub pedibus,
manum misit ad fortia,
nudus occurens hostibus,
Christi suffultus gratia.

iv. Pugnat verbo miraculis,
missis per orbem fratribus,
crebros adjungens sedulis
fletus orationibus.
v. Trino Deo et simplici
laus, honor, virtus, gloria :
qui nos prece Dominici
ducat ad celi gaudia. Amen.

In primo nocturno

10. *Antiphona.*

Preco novus et celicus,
missus in fine seculi,
pauper fulsit Dominicus,
forma previsus catuli.
Ps. Beatus vir

11. *Antiphona.*

Florem pudicitie
servans illibatum
attigit eximie
vite celibatum.
Ps. Quare fremuerunt

12. *Antiphona.*

Documentis artium
eruditus satis,
transiit ad studium
summe veritatis.
Ps. Domine, quid

13. Quod per beatum dominicum Deus ecclesie sue providit. Lectio prima.

Beatus Dominicus predicatorum dux et pater inclitus, qui appropinquante mundi termino quasi nouum sidus emicuit, ex Yspanie partibus uilla que dicitur Calaroga oxomensis dyocesis oriundus fuit. Decebat sane ut qui olim luciferum in tempore suo produxerat hesperum quoque aduesperascente iam die super filios terre consurgere faceret ab occasu, ut extremis temporibus ab extremis terre nubes educeret quarum ymbre serotino uineam quam dextera eius plantauerat uberius irrigaret. Sicut enim lohannes Baptista uelut lucifer solis ortum preueniens saluatoris primum prenunciauit aduentum sic sanctus iste Dominicus uespertini syderis in se gerens officium occidente seculi luce uicinum creditur preuenisse iudicium.

14. *Responsorium.*

Mundum vocans | ad Agni nuptias,
hora cenae | paterfamilias
servum mittit | promittens varias
vite delicias.
tam permagnificum,
elegit nuntium
sanctum Dominicum. Promittens.

15. Quod ejus nativitas divinitus premonstrata est. Lectio secunda.

Huius mater, antequam ipsum conciperet, uidit in sompnis se gestare catulum accensam in ore faculam baiulantem qui egressus ex utero totum mundum incendere uidebatur. Quo prefigurabatur ex ea predicatorem eximium nasciturum qui facem igniti portaret eloquii quo frigescentem in multorum cordibus caritatem uehementius inflammaret et sedule predicationis latratibus lupos arceret a gregibus, dormientes quoque in peccatis animas ad uirtutum uigilantiam excitaret. Quod et rei postmodum probauit euentus. Fuit enim uitiorum mirabilis obiurgator, oppugnator heresum, fidelium diligentissimus exortator. Verba quidem eius ardebant ut facule quia in spiritu uenerat et uirtute Helye.

16. *Responsorium.*

Datum mundo | pro mundi gloria
mira Christi | presignat gratia,
cujus ortum | precurrunt nuntia
veri presagia.
V. Stella micans | in fronte parvuli
novum jubar| premonstrat seculi. Cujus.

17. De bona indole ipsius. Lectio tertia.

Natus autem ex piis parentibus et religiose nutritus cepit esse puer ingeniosus, utpote qui sortitus est animam bonam. A domino siquidem in benedictionibus dulcedinis est preuentus. Pater eius Felix, mater uero lohanna nuncupata est. Horum itaque pio studio priusquam seculare aliquid eius illaberetur animo traditus est ecclesiastico imbuendus officio, ut sanctitatis odorem uelut testa recens imbiberet quem postmodum antiquata perpetuo tenore seruaret. In illa sua puerili etate cor ei senile iam inerat et sensus ueneranda canicies sub tenella facie latitabat. Diuina igitur gratia iarn in eo mirabiliter operante, cum esset adhuc puerulus nondum a nutricis diligentia segregatus deprehensus est sepe lectum dimittere quasi carnis iam delicias abhorreret, et eligebat potius super terram accumbere quam in lecto corporali quodammodo quiete resolutus iacere. Extunc autem duxit in consuetudinem declinata stratus mollicie frequentissime super terram dormire.

18. *Responsorium.*

Verbum vite | dum palam promitur,
surgunt hostes, | liber conscribitur,
favent omnes : | sic error vincitur,
fides extollitur.
V. Ter in flammas | libellus traditus
ter exivit | illesus penitus. Sic.
V. Gloria Patri, Filio et Spiritui Sancto - Fides.

In secundo nocturno

19. *Antiphona.*

Sub Augustini regula
mente profecit sedula ;
tandem virum canonicum
auget in apostolicum.
Ps. Cum invocarem

20. *Antiphona.*

Agonizans | pro Christi nomine,
mundum replet | divino semine,
paupertatis | degens sub tegmine.
Ps. Verba mea

21. *Antiphona.*

Pernox cum Christo, proprium
non possidebat lectulum
post lacrimarum fluvium ;
vix humi dans corpusculum.
Ps. Domine, Dominus noster

22. Qualiter in fronte ejus apparuit stella. Lectio quarta.

Volens quoque magnum aliquid prouenturum ex puero futurorum prescius deus ostendere, cuidam matrone, que eum uidelicet ex baptismi fonte leuauerat, uisionem huiuscemodi per sompnium demonstrauit. Videbatur siquidem illi matri eius spirituali puer Dominicus quasi stellam habens in fronte que totam terram suo lumine perlustrabat. Quo dabatur intelligi quod dandus foret quandoque in lucem habitantibus super terram illuminare hiis qui in tenebris et in umbra mortis sedent. Ipse enim quasi Stella matutina fulsit in mundo uisaque est cum eo noua lux quedam oriri seculo cuius claritas iam diffusa est ubique terrarum. Erat autem hec matrona nobilis, que uisionis magnitudine stupefacta matri eius cum ingenti gaudio quod uiderat nunciauit.

23. *Responsorium.*

Paupertatis | ascendens culmina,
clamat mundi | detestans crimina,
frangit hostes | et fugat agmina :
nulla sanctum | frangunt discrimina.
V. Nocte, celi | perlustrans limina
die, terris | dat Verbi semina Nulla.

24. Quod missus est Palenciam ad studium, et quid ibi egit. Lectio quinta.

Puerilibus autem annis innocenter excursis missus est Palentiam ut sibi liberalium artium compararet studii exercitatione peritiam. Ibi enim tunc temporis generale florebat studium habundans tam multitudine numerosa scolarium quam studiosa perfectione doctorum. Cepit autem sancte puer indolis non segniter agere, eruditioni cuius gratia missus erat diligenter intendere omissisque friuolis quibus adolescentior solet etas effluere maturioribus sese studiis occupare. Et ut animum suum plenius transferret ad sapientiam cogitauit a uino abstrahere carnem suam, unde et uinum per decennium non bibebat; postmodum autem lacescente stomacho compulsus est a bone memorie Didaco oxomensi episcopo modico uino uti, quod tamen ita temperatum sumebat ut uix in eo saporis uestigium remaneret. Unde factum est ut in liberalium artium eruditione supra multos coetaneos suos spacio breuiore proficeret.

25. *Responsorium.*

Panis oblatus celitus,
fratrum supplet inopiam,
viteque natus redditus
matris pellit tristitiam
V. Signo crucis | obedit pluvia
lingua verba | transformat varia. Vite.

26. Lectio sexta.

His ergo competenter instructus, ne in huiusmodi non tam scientiis quam uere et summe philosophie preludiis tempus salubriori discipline congruum deperiret, ad theologie studium se totum contulit cepitque diuinis inhiare uehementer eloquiis, quorum mellea delectatus dulcedine hauriebat auide quod postea effudit habunde. Hiis itaque sapientie salutaris studiis quatuor annis inuigilans tanta diligentia tantaque discendi auiditate sacris litteris inherebat quod pene noctes ducebat insompnes. Diuini quoque uerbi semina intenta cordis aure suscipiens tanquam terra celesti ymbre perfusa non solurn sanctarum meditationum et affectionum segetes sed etiam operum bonorum fructus uberrimos producebat Effudit proinde largius intellectum fons sapientie super latitudinern cordis eius, et quod etiam humane peritie deerat hoc in eo diuine gratie illuminatio habundanter supplebat. Sanctitatem quidem uite ratiocinationum argutiis et spiritualem fructum uerborum foliis preponebat. Et sermo eius et predicatio eius erat non in doctis humane sapientie uerbis sed in ostensione spiritus et uirtutis.

27. *Responsorium.*

Granum, excussum palea,
nexu soluto luteo,
de paupertatis area
caeli locatur horreo
cum mercede virginea,
doctorum fulgens cuneo.
V. Flos in florum | virens areola
bina gaudet | sortis aureola Cum mercede
V. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Doctorum.

In tertio nocturno

28. *Antiphona.*

Sitiebat servus
Christi martyrium
sicut sitit cervus
ad aque fluvium.
Ps. Domine, quis habitabit

29. *Antiphona.*

Migrans pater filiis
vite firmamentum,
paupertatis humilis
condit testamentum.
Ps. Domine, in virtute

30. *Antiphona.*

Liber carnis vinculo,
celum introivit,
ubi pleno poculo
gustat quod sitivit.
Ps. Domini est terra

31. Lectio septima.

Secundum Matheum.

In illo tempore dixit Jhesus discipulis suis : « Vos estis sal terre. Quod si sal evanuerit, in quo salietur ? » et reliqua.

Omilia beati Augustini episcopi.

Hic ostendit Dominus fatuos esse judicandos qui temporalium bonorum vel copiam sectantes vel inopiam metuentes amittunt eterna, que nec dari possunt ab hominibus nec auferri. Itaque, si sal infatuatum fuerit, in quo salietur ? Idest : si vos, per quos condiendi sunt quodammodo populi, metu temporalium persecutionum amiseritis regna celestia, qui erunt homines per quos vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus per quos errorem auferat ceterorum ? Ergo ad nichilum valet sal infatuatum nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus. Non itaque calcatur ab hominibus qui patitur persecutionem, sed qui persecutionem timendo infatuatur. Calcari enim non potest nisi inferior. Sed inferior non est qui, quamvis corpore multa in terra sustineat, corde tamen in celo fixus est.

32. *Responsorium.*

Felix vitis | de cujus surculo
tantum germen | redundat seculo,
celi vinum | propinans populo
vitali poculo.
V. Ex ubertate palmitum
mundi jam cinxit ambitum. Celi.

33. Lectio octava.

Vos estis lux mundi. Quomodo dixit superius sal terre, sic nunc dicit lumen mundi. Nam neque superius ista terra accipienda est quam pedibus calcamus corporeis, set homines qui in terra habitant, vel etiam peccatores, quorum condiendis et extinguendis fetoribus apostolicum salem Dominus misit. Et hic mundum non celum et terram, sed homines qui sunt in mundo vel diligunt mundum oportet intelligi, quibus illuminandis apostoli missi sunt. Non potest civitas abscondi supra montem posita, idest fundata super insignem magnamque justiciam, quam significat etiam ipse mons in quo Dominus disputavit.

34. *Responsorium.*

Ascendenti | de valle lubrici
mundi, chori | plaudunt angelici ;
Ihesu bone, | prece Dominici
tibi presta| nos gratos effici.
V. Per quem multos | a morte suscitas :
penas nobis | relaxa debitas. Ihesu.

35. Lectio nona.

Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio. Quid putas ? ita esse dictum sub modio nisi ut occultatio tantum lucerne accipienda sit, tanquam si diceret « Nemo accendit lucernam et occultat eam » ? An aliquid etiam modius significat ut hoc sit ponere lucernam sub modio superiora facere corporis commoda quam predicationem veritatis, ut ideo quisque veritatem non predicet dum timet ne aliquid in rebus temporalibus et corporalibus moleste patiatur ? Et bene modius dicitur : sive propter retributionem mensure, quia ea quisque recipit que gessit in corpore ut illic, inquid Apostolus, recipiat unusquisque que gessit in corpore ; et tanquam de hoc modio corporis alio loco dicitur : in qua enim mensura mensi fueritis remetietur vobis ; sive quoniam temporalia bona que corpore peraguntur, certa dierum mensura inchoantur et transeunt, quam fortassis significat modius. Eterna vero et spiritalia nullo tali fine cohercentur. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.

36. *Responsorium.*
O spem miram quam dedisti
mortis hora te flentibus,
dum post mortem promisisti
te profuturum fratribus :
imple, pater, quod dixisti,
nos tuis juvans precibus.
V. Qui tot signis claruisti
in egrorum corporibus,
nobis opem ferens Christi
egris medere moribus.
Imple.
V. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Imple.

In laudes
37. *antiphona.*
Adest dies leticie
quo beatus Dominicus
aulam celestis curie
civis intrat magnificus.
Ps. Dominus regnavit
38. *Antiphona.*
Pauper in peculio,
dives vita pura,
paupertatis pretio
celi tenet iura.
Ps. Jubilate
39. *Antiphona.*
Scala celo prominens
fratri revelatur,
per quam pater transiens
sursum ferebatur.
Ps. Deus, Deus
40. *Antiphona.*
Lingue, manus studio
scalam hanc erexit,
quam Virgo cum Filio
mater sursum vexit.
Cant. Benedicite
41. *Antiphona.*
Fulget in choro virginum
doctor veritatis
sertum honoris geminum
gerens cum beatis.
Ps. Laudate

42. *Capitulum*
Quasi stella.
43. *Ymnus.*
i. Ymnum nove leticie,
dulci productum cantico
noster depromat hodie
chorus sancto dominico.
ii. Vergente mundi vespere,
novum sidus exoritur,
et clausis culpe carcere
preco salutis mittitur.
iii. Doctrinam evangelicam
spargens per orbis cardinem,
pestem fugat hereticam,
novum producens ordinem.
iv. Hic est fons ille modicus
crescens in flumen maximum :
qui mundo jam mirificus
potum largitur optimum.
v. Trino Deo et simplici,
laus, honor, virtus, gloria :
qui nos prece Dominici
ducat ad celi gaudia. Amen.
44. *Versiculus.*
Justus germinabit sicut lilium [R. Et florebit in eternum ante Dominum.]
45. *Ad Benedictus antiphona.*
Carnis vigor, | mentis martyrium,
mundum replens, | lingue preconium,
pauper Christi, | post cursus stadium
vite tibi | mercantur praemium.

Ad tertiam
50. *capitulum.*
Quasi stella.

Ad sextam
47. *capitulum.*
Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, que posui in ore tuo, non recedent de ore tuo et de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum.

Ad nonam
48. c*apitulum.*
Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus ; in pace et equitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate.

Ad uesperas

49. Capitulum ymnus versus ut in primis uesperis

50. Ad Magnificat a*ntiphona*

O lumen ecclesie,
doctor veritatis,
rosa patientie,
ebur castitatis,
aquam sapientie
propinasti gratis :
predicator gratie,
nos junge beatis.

51. *Per octauas quando de ipsis agitur et in octaua die inuitatorium sicut in die. Sequentes uero antiphone cotidie infra octauas ad benedictus et ad magnificat uel ad memoriam*

52. *Ad Benedictus antiphona.*

Benedictus | Redemptor omnium,
qui saluti | providens hominum
mundo dedit | sanctum Dominicum.

53. *Ad Magnificat antiphona*

Magne pater, | sancte Dominice,
mortis hora | nos tecum suscipe,
et hic semper | nos pie respice.

MESSE DU BIENHEUREUX DOMINIQUE

Beati Dominici confessoris

Officium

In medio ecclesie aperuit os eius, et impleuit eum dominus spiritu sapientie et intellectus, stola glorie induit eum.

V. Iucunditatem et exultationem thezaurisauit super eum. Gloria patri.

Gloria

Gloria in excelsis.

Oratio

Deus qui ecclesiam tuam beati Dominici confessoris tui illuminare dignatus es meritis et doctrinis, concede ut eius intercessione temporalibus destituatur auxiliis, et spiritualibus semper proficiat incrementis. Per.

Epistula. Ad Tymotheum.

Karissime : testificor coram Deo et Ihesu Christo qui iudicaturus est uiuos et mortuos per aduentum ipsius et regnum eius : predica uerbum insta oportune importune argue obsecra, increpa in omni patientia et doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus et a ueritate quidem auditum auertent ad fabulas autem conuertentur. Tu uero uigila in omnibus labora opus fac euangeliste ministerium tuum imple. Sobrius esto. Ego enim iam delibor et tempus mee resolutionis instat. Bonum certamen certaui cursum consummaui fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex, non solum autem michi sed et his qui diligunt aduentum eius.

Responsorium

Os iusti meditabitur sapientiam et lingua eius loquetur iudicium.

V. Lex dei eius in corde ipsius et non supplantabuntur gressus eius.

Alleluia.

V. Pie pater Dominice tuorum memor operum, sta coram summo iudice pro tuo cetu pauperum.

Sequentia

In celesti hierarchia
noua sonet armonia
nouo ducta cantico.
Cui concordet in hac uia
nostri chori melodia
congaudens Dominico.
Ex Egipto uastitatis
uirum sue uoluntatis
uocat actor seculi.
In fiscella paupertatis
flumen transit uanitatis
pro salute populi.
In figura catuli
predicator seculi
matri premonstratur.
Portans ore faculam
iam ad amoris regulam
populos hortatur.
Hic est nouus legislator
hic Helyas emulator,
et detestans crimina
Vulpes dissipat Sampsonis
et in tuba Gedeonis
hostis fugat agmina.
A defunctis reuocatum
matri uiuum reddit natum
uiuens adhuc corpore.
Signo crucis ymber cedit
turba fratrum panem edit
missum dei munere.
Felix per quem gaudia
tota iam ecclesia
sumens exaltatur.
Orbem replet semine
in celorum agmine
tandem collocatur.
Iacet granum occultatum
sidus latet obumbratum
sed plasmator omnium.

Ossa Ioseph pullulare
sidus iubet radiare
in salutem gentium.
O quam probat carnis florem
omnem superans odorem
tumuli fragrantia.
Egri currunt et curantur
ceci claudi reparantur
uirtutum frequentia.
Laudes ergo Dominico
personemus mirifico
uoce plena.
Clama petens suffragia
eius sequens uestigia
plebs egena.
Sed tu pater pie bone
pastor gregis et patrone
prece semper sedula
Apud curiam summi regis
derelicti uices gregis
commenda per secula.
Amen.

Euangelium

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis Vos estis sal terre. Quod si sal euanuerit in quo salietur? ad nichilum ualet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, et glorificent Patrem uestrum qui in caelis est. Nolite putare quoniam ueni solvere legem aut prophetas. Non ueni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis donec transeat celum et terra iota unum aut unus apex non praeteribit a lege donec omnia fiant. Qui ergo soluerit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines minimus uocabitur in regno caelorum. Qui autem fecerit et docuerit hic magnus uocabitur in regno caelorum.

Offertorium

Desiderium anime eius tribuisti ei domine et uoluntate labiorum eius non fraudasti eum, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.

Secreta

Munera tibi domine dicata sanctifica et meritis beati Dominici confessoris tui nobis proficiant ad medelam. Per.

Communio

Fidelis seruus et prudens quem constituit dominus super familiam suam ut det illis in tempore tritici mensuram.

Postcommunio

Concede quesumus omnipotens deus ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur beati Dominici confessoris tui patricinio subleuemur. Per.

2. Pour la translation du bienheureux Dominique (24 mai)

Ad uesperas

1. super psalmos antiphona

Adest dies leticie
quo beatum Dominicum
exaltavit rex glorie
per odorem mirificum. Alleluia.

Ps. Laudate pueri cum ceteris [Laudate Dominum omnes gentes / Lauda anima / Laudate Dominum quoniam bonus / Lauda Hierusalem]

2. *Capitulum, ymnus, versus sicut infra in festo ipsius*

3. *Responsorium.*

In odoris | mira fragrantia
populorum | currit frequentia,
ubi passim | Christi clementia
sana reddit | membra languentia.
V. Sidus, quondam | oppressum nebula,
veri solis | pandunt miracula .Vbi.
Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Sana.

4. *Ad Magnificat antiphona.*

Magnificat Dominicum
Christus novo miraculo,
dum odorem mirificum
ejus profert ex tumulo. Alleluia.

5. *Oratio.*

Deus qui ecclesiam.

Ad matutinum

6. *Inuitatorium*

Assunt Dominici leta solemnia
laude multiplici plaudat ecclesia. Alleluia.

7. *Ymnus*

Nouus athleta.

In nocturno

8. Antiphona

Preco nouus et celicus
missus in fine seculi
pauper fulsit Dominicus
forma preuisus catuli. Alleluia
Psalmus beatus uir

9. *antiphona*

Florem pudicie seruans illibatum
attigit eximie uite celibatum. Alleluya
Psalmus Quare

10. *antiphona*

Documentis artium eruditus satis
transiit ad studium summe ueritatis. Alleluya
Psalmus Domine quid

11. *Versus*

V. Amauit [eum Dominus et ornauit eum
R. Stolam glorie induit eum]

In translatione beati Dominici quando contigit extra tempus paschale

12. *lectio prima* .

De translatione sacrosancti corporis ejus et mirabili odoris fragrancia.

Post transitum uenerabilis patris Dominici a multiplicandis miraculis per eius merita diuina potentia incessanter non destitit. Quorum quamplurima indiscreta fratrum humilitas, ne uidelicet sub hoc optentu notam superbie uel cupiditatis incurrerent, occultauit. Sicque sibi tam inprouide prouidentes unde fame sue cogitauerunt inconsulte consulere inde quantum subtraxerint dei glorie minus prouidi non uiderunt. Nonnulla uero per negligentiam pretermissa ingratitudinis proles obliuio sepeliuit.

13. *Responsorium primum*

Mundum.

14. *Lectio secunda.*

Deus autem omnipotens qui in sanctis suis gloriosus ostenditur non est passus solem obumbrari sub nubilo nec thesaurum in puluere latitare ut nimirum lucerna tam inclita super candelabrum ecclesie posita ad profectum omnium coruscaret signis, radiaret exemplis. Quapropter crebrescentibus indesinenter miraculis, cum non posset ulterius beati uiri sanctitas occultari, fidelium dignum duxit deuotio corpus eius humili prius loco repositum ad altiorem debito cum honore transferre. Indignum nempe uidebatur et erat ut illius ossa uilis theca contegeret cuius merita dei potentia signis tam euidentibus predicaret.

15. *Responsorium secundum*

Datum mundo.

16. Lectio tertia.

In diebus autem illis apud Bononiam multitude fratrum conuenerat ad capitulum generale. Aderat autem frater Nicholaus de luuenatio uirtute pariter et opinione preclarus. Qui cum intempeste noctis silentio super instanti translatione sollicitus quedam in animo uolueret de futuri casus incertitudine, uidelicet anxius utrumne dominus ad exaltationem sancti sui Dominici signum aliquod dignaretur ostendere, tandem quasi inter soporem et uigiliam constituto uisum est uirum quendam sibi conspicere claraque sibi uoce dicentem, Hic accipiet benedictionem a domino et misericordiam a deo salutari suo.

17. *Responsorium tertium.*

Fulget decus ecclesie
novo clarum prodigio :
lucerna splendet hodie,
diu latens sub modio,
quam odore rex glorie
revelavit eximio.
V. O mira suavitas
inaudite fragrantie,

per quam patris dignitas
declaratur ecclesie. Quam.
Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Quam.

18. Lectio quarta.

Statuta igitur hora hi qui ad exequendum prefate translationis negocium interesse debuerant conuenerunt. Erat autem monumentum in quo tam preciosus thesaurus iacebat reconditus grandi lapide supertectum durissimoque cemento circumquaque conclusum ita ut nec spiramen quidem uel ab interioribus posset procedere uel ab exterioribus subintrare. Hoc cum fuisset fracto uix ferreis instrumentis cemento sublatoque lapide patefactum, tanta subito ex ipso erupit suauissimi odoris fragrantia ut non tam sepulchrum quam cella uideretur aromatum patuisse.

19. *Responsorium quartum* :

Paupertatis.

20. Lectio quinta.

O stupendum sed omni prorsus consentaneum rationi miraculum. Decebat namque et omnino decebat ut corpus illud quod, ut luce clarius patuit, diuina conseruante uirtute perpetua uirginitate illibatum permanserat †et ipsius uirginitatis etiam mortuum testimonium perhiberet, dum ad honorem et gloriam conditoris unde nullus unquam exalauerat fetor detestande libidinis inde mira suauitas fragraret odoris, et quod per incorruptionis mundiciam aliarumque possessionem uirtutum super terram positum sancti spiritus odoriferum extiterat organum sub terra reconditum unguentorum fragrantium fieret alabastrum, odorique odor per conuenientiam responderet.

21. *Responsorium quintum* :

Panis.

22. Lectio sexta.

Odor suauissimus, odor inenarrabilis, cuius suauitas si illius antiqui quondam patris Ysaac nares forsitan attigisset uere siquidem potuisset exultare rursum et dicere, Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit dominus. Annon uere dominus benedixit ei de quo uox ut supra diuinitus illata testata est, Hic accipiet benedictionem a domino et misericordiam a deo salutari suo? Annon inquam uere illi dominus benedixit quem in benedictionibus tot preuenit? Benedictionibus quidem celi desuper per uirtutum que de celo sunt quibus dum uixit claruit habundantiam. Benedictionibus abyssi iacentis deorsum per eam que de tumulo ipsius odoris post mortem erupit fragrantiam. Ideoque ipsius memoria in benedictione non immerito perseuerat.

23. *Responsorium sextum.*

Virgo pugil Christi, virtutum forma fuisti
Verbo fulsisti : dum transferri meruisti
fragat odor, dulces cantant celi agmina laudes
V. Regna tuis pande celi, doctor uenerande.
Fragrat. Gloria. Fragat.

24. Lectio septima.

Erat autem odor ille tantus tamque mirabilis ut inusitata suauitate fragrantie cuncta plane superaret aromata, nec alicuius rei naturalis odori similis uideretur. Nec solum ossibus aut pulueri sacri corporis uel capse inerat uerum etiam †in re circumquaque congesta ita ut ad longinquas postmodum regiones delata odorem ipsum longo tempore retineret. Fratrum uero manibus maxime aliquid de sacrosanctis reliquiis tangentibus sic inhesit ut quantumcumque lote uel etiam confricate per plures dies conseruate fragrantie testimonium presentaret.

25. *Responsorium septimum* :

Felix.

26. Lectio octava.

Multi etiam de populo concurrente ex eodem sacro conspersi puluere sanitatum uaria beneficia receperunt. Sic reuera prudenter et suauiter sapientia disposuit redemptoris ut illius corpus emortuum corporum cederet in medelam cuius nimirum uiuentis lingua felix animarum languentium salutaris extiterat medicina, et illius caro sanctissima digne in opinione mortalium uenerabilis haberetur propter coruscantia beneficia sanitatum que per uirginitatis gloriam illibatam germana fuerat angelorum. Quid denique mirum si uirtutes spirituales retinuerunt pulueres illius corporis quod tamdiu largitor uirtutum omnium inhabitauit spiritus dei ?

27. *Responsorium octauum* :

Ascendenti.

28. Lectio nona.

Interfuerunt autem huic tam uenerande translationi exceptis fratribus uenerabiles uiri unus archiepiscopus scilicet rauennas, quatuor episcopi scilicet mutinensis postmodum uero sabinensis, brixiensis, bononiensis et tornacensis, insuper autem et potestas bononiensis cum suis militibus qui sepulchrum accincti armis ne quis uidelicet de sacrosanctis reliquiis quicquam subriperet circumstabant. Hi omnes testes omnium que circa presens negocium uel humanitus gesta sunt uel ostensa diuinitus extiterunt, ad honorem et gloriam Ihesu Christi qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in secula seculorum, amen.

29. *Responsorium nonum.*

In odoris | mira fragrantia
populorum | currit frequentia,
ubi passim | Christi clementia
sana reddit | membra languentia.
V. Sidus, quondam | oppressum nebula,
veri solis | unt miracula . Vbi
Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto . Sana.

In translatione beati Dominici in paschali tempore.

30. *Lectio prima*

De quibusdam aliis notabilibus que contigerunt in diversis partibus Ytalie, et primo de cujusdam viri religiosi qui prius detraxerat beato Dominico.

Cum de sanctitate beati Dominici que in ipsius est translatione potissime patefacta uarii uarie loquerentur, contigit ut frater quidam predicator quodam sero coram quodam uiro religionis eximie Nicolao nomine origine ueronensi, per quem etiam hoc scripto est demandatum, beatum Dominicum commendaret. Quem cum econtrario predictus Nicolaus uerbis stomachantibus despexisset eodem sero febris eum arripuit, quem et uexauit grauissime tota nocte. Ad quem uisitandum cum supradictus frater accederet eique diceret, Vide frater ne quia despexisti sanctum Dominicum hoc tibi contigerit, non solum culpam preteritam non agnouit sed indignans potius ad uerba iterum contumeliosa prorupit. Sequenti uero die cum febris uiolentia non cessaret sed grauius conualesceret in augmentum, hora none cum uehementius estuaret ad se compunctus rediens secum dixit, Vere uereor quod hoc idcirco michi accidit quod sanctum dei blasphemaui. Voueo igitur deo et sibi quod si me liberauerit usque ad uesperas nunquam de eo aliquid mali dicam decetero sed dicentibus contradicam. Mirum in modum uix uerba finierat et ab ipsa febre se sensit continuo liberatum.

31. *Lectio secunda* : De quodam alio viro religioso liberato ad invocationem ejus a gravi infirmitate.

Quidam uir magne religionis in ciuitate bononiensi etate septuagenarius uel amplius herniosus defluentibus ad inferiora intestinis grauiter nimis affligebatur, timensque ne forte esset oneri fratribus suis sedulo interpellabat pro curatione sua sanctos illos quos habebat familiares, uidelicet sanctum Jacobum cuius limina uisitauerat cum adhuc esset in seculo aliosque nonnullos. Et cum a nullo eorum prestari sibi sentiret auxilium occurrit menti eius beatus Dominicus qui de nouo fuerat canonizatus, quem quidem bonum hominem fuisse audierat et bene credebat ipsum esse cum Christo in uita eterna sed non tanti meriti ut posset inuocantibus patrocinari ut multi asserebant. Cumque firmasset cor suum ad inuocandum eum et promitteret se crediturum uera esse que de ipso dicebantur et glorificaturum deum in illo si per eius preces et merita sanaretur, post prolixam orationem aliquantulum soporato apparuit beatus Dominicus colligens in anteriori parte scapularis sui defluentia intestina eius. Et statim expergefactus sensit se penitus liberatum, gratias agens deo et beato Dominico. Et hoc fratribus suis indicauit, per quos predicatum et diuulgatum est miraculum ad gloriam saluatoris.

32. *Lectio tertia* : De muliere que beatum Dominicum blasphemavit.

In Sicilie partibus apud Augustam in festo translationis beati Dominici cum matrone quedam que in ecclesia fratrum interfuere missarum sollempniis domum redirent inuenerunt mulierem quandam domus sue sedentem pre foribus et filantem. Quam cum uerbis caritatiuis arguerent quare in festo tanti patris a seruili opere non cessasset illa protinus indignanti animo et turbata facie dixit eis, Vos que estis bizoce fratrum eius festa colite sancti uestri. Statimque oculi ipsius in tumorem cum pruritu conuersi sunt et ex ipsis ceperunt uermes protinus scaturire ita quod uicina quedam quam ad se perterrita conuocauit decem et octo uermes eduxit ab eius oculis in instanti. Quapropter contrita spiritu ad ecclesiam beati Dominici cum eiulatu cucurrit, ante cuius ianuam se prosternens et peccata sua confitens cuidam fratri, facto uoto quod decetero sancto dei Dominico nunquam detraheret et festa eius deuotissime custodiret, continue tumor cum pruritu disparuit et in eius oculis uermes amplius non fuerunt.

In laudes

33. *Antiphona.*

Gemma sub terra latuit,
despecto jacens loculo,
cujus virtus apparuit
multiplici miraculo. Alleluia
[Ps. Dominus regnavit]

34. *Antiphona.*

Corpus sacrum, quod fuerat
apoteca carismatum,
universam exuperat
fragrantiam aromatum. Alleluia
[Ps. Jubilate]

35. *Antiphona.*

Glebam sacri corporis
odor propalavit,

quam neglecti temporis
cursus occultavit. Alleluia
[Ps. Deus, Deus]
36. *Antiphona.*
Tumba, mira fragrantia
profundens vim odoris,
corda reddit ardentia
in laudem Salvatoris. Alleluia
[Cant. Benedicite]
37. *Antiphona.*
Superans fragrantiam
odor pigmentorum
tumulum et gloriam
monstrat premiorum. Alleluia
[Ps. Laudate]
38. *Capitulum, ymnus, uersus sicut infra in festo ipsius*
39. *Ad Benedictus antiphona.*
O quantus stupor populi
quanta fratrum leticia
dum loco sacri tumuli
mira prodit fragrantia :
currunt senes et parvuli
ad sancti beneficia.

40. *Ad horas capitula sicut in alio festo*

Ad uesperas
41. *Capitulum, ymnus uersus ut in primis uesperis*
42. *Ad Magnificat antiphona.*
O speculum mundicie,
carnis carens spurcicia,
tue colentes hodie
translationis gaudia,
transfer ad regnum glorie
post hujus vite stadia. Alleluia.

MESSE POUR LA TRANSLATION DU BIENHEUREUX DOMINIQUE

Alleluia. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur mors illi non dominabitur.

Post ascensionem : Alleluia. V. Ascendens Christus in altum captiuam duxit capitiuitatem dedit dona hominibus.

Post trinitatem : R. Os Os iusti meditabitur sapientiam et lingua eius loquetur iudicium.

V. Lex dei eius in corde ipsius et non supplantabuntur gressus eius.

LA RÉVÉLATION DIVINE DE LA SAINTETÉ DE DOMINIQUE

(p. 1513-1521)

Anonymi Bononiensis opusculum de translatione S. Dominici, éd. Simon TUGWELL, « Scripta quaedam minora de S. Dominico, I », *AFP* 83 (2013), p. 7-17.

Solet diuina bonitas sua indagabili sapientia plerumque bonum differre non ut auferatur, sed ut dilatum surgat uberius in tempore oportuno. Siue igitur deo sue ecclesie melius prouidente siue diuersis diuersa sentientibus, quorum quidam simplicitatis uiam absque prudentia sectantes immortalem memoriam serui altissimi domini, ordinis qui predicatorum dicitur institutoris, sancti Dominici fatebantur sufficere notam esse apud deum nec curandum fore utrum ad hominum notitiam perveniret, nam quedam caligo ut supra dictum est fratrum corda obtexerat ut uix esset qui diuine gratie condigna gratiarum occurreret actione – expergefacta siquidem post obitum uiri dei reuerentia populi et accurrentibus multis qui diuersis infirmitatum quarumcumque premebantur molestiis ibique permanentibus diebus ac noctibus fatebantur omnino percepisse se remedia sanitatum, unde curationum suarum testimonia deferebant suspendentes ad tumulum beati uiri cereas oculorum, manuum, pedum ceterorumue membrorum effigies prout uaria fuerat eorum infirmitas et corporum siue rerum multifarie reddita ualetudo (enimuero uitam quam in celis possederat in terris miraculis declarabat), uisum est autem plerisque non debere receptari miracula ne sub specie pietatis speciem questus incurrerent, frangebant itaque allatas ymagines et deiciebant et, dum propriam opinionem inconsiderata zelare cupiunt sanctitate, communem ecclesie neglexere profectum et gloriam sepeliere diuinam – alii etiam aliter sentiebant, tamen pusillanimitatis depressi spiritu hiis non obuiabant, sicque factum est ut beati patris Dominici gloria absque omni sanctitatis ueneratione per annos fere duodecim sopita permaneret. Iacebat nempe thesaurus absconditus carens utilitate, et subtrahebantur beneficia desuper a uirtutum largitore ; iustitie etenim equitas exigebat hiis gratiam subtrahi qui gratiam dei et gloriam occultare nitebantur. Nec enim granum in fructum prodiet si quando prodierit sepius pedibus conculcetur. Prodibat sepius virtus Dominici sed suffocabat eam incuria filiorum.

Patiens et multum misericors patienter expectabat sed, cum uox non esset neque sensus de debito honore sancti Dominici cogitans, adiecit occasionem qua fratrum segnities excitaretur. Crescente denique fratrum numero apud Bononiam necesse erat domos et ecclesiam dilatari. Nouis succedentibus uetera diruuntur et corpus dei famuli sub diuo remansit. Quis rationis capax dignum estimaret puritatis speculum, castitatis uasculum, uirginitatis sacrarium, sancti spiritus organum sic humili tectum loculo permanere, qui tota uita sua, ut eius ultima duodecim astantibus sacerdotibus confessio declarauit, mortalis culpe macula ipsum dulcem anime hospitem spiritum numquam a sue anime hospitio eiecit ?

Ad cor igitur quidam e fratribus reuersi conferebant inter se ut ad locum decentiorem transferretur, sed nec hoc absque romani pontificis licentia fieri uolebant. Vere in multis perpenditur humilitatis uirtutem exaltationem mereri. Poterant siquidem per se patrem sepelire fratres et filii, sed dum in hoc maioris auctoritatem requirunt cessit in melius ut non solum simplex sed et canonica fieret translatio gloriosi.

Neglectum est tamen et hoc, diutius fratribus interim de decenti sarcophago ordinantibus et aliis summum pontificem dominum Gregorium adeuntibus ut premissum negotium eidem intimarent. Ille uero, ut erat uir magni zeli et fidei, durissime illos corripuit qui tanto patri debito

honore neglexerant famulari. Subiunxit autem, Noui uirum totius apostolice regule sectatorem quem et in celis non ambigo ipsorum glorie copulatum. Scripsit igitur rauennati archiepiscopo ut, quia multis prepeditus ipse personaliter adesse non poterat, tante translatione cum suis suffraganeis interesset.

Volens itaque omnipotens consilio uniuersalis ecclesie pastoris segnitiei nebulas detergere aperuit et ipse manum suam de alto et miraculorum fragore intonuit de celo ut manifeste daretur intelligi totam illam celestis Ierusalem curiam immensa tunc letitia exultare et congratulari gloriam sui magni conciuis terrigenis declarari. Sancti namque, inuidie fomite excluso et diuini amoris gremio amplexati, sue benedictionis habundantiam omnibus uolunt esse communem. Cecis uisus, claudis gressus, paraliticis sanitas, mutis loquela, demonibus fuga, febribus conualescentia et diuersis languoribus exilium indicitur, et electi dei Dominici sanctitas luculenter demonstratur. Salientem uidimus Nicholaum anglicum diu paraliticum in hac sollemnitate, morbus fici incurabilis uoto emisso cessit, apostemata fugiunt, et multa alia in ipsius canonizatione coram summo pontifice et dominis cardinalibus et uniuersis astantibus perlecta et exposita clarissime patuerunt. Nec mirum si cum deo regnans hoc facere potuit qui mortali toga uestitus librum fidei ab igne illesum rehabuit, uirginem matrem infirmanti fratri adesse persensit, pluuiam signo dominico depulit, prece in luto candelam accendit, nouitium a stupendo ardore uestium eripuit, demonem cruce expulit, duobus mortem corporis duobus anime prenuntiauit, duobus Rome uitam restituit, Christum se uocantem in morte uidit, in canone discipulo coronatus apparuit, scalis candidis a uirgine Maria et eius filio in throno glorie eleuatus ostensus fuit. Testantur domini Gregorii pape de ipsius canonizatione littere plurima miraculorum ipsius insignia et uirtuose uite fastigia gloriosa.

Adest dies celebris in qua translatio eximii doctoris celebretur, adest et uenerabilis archiepiscopus et episcoporum ac prelatorum multitudo, adest innumerabilis diuersarum terrarum populi deuotio, adsunt et bononiensium caterue armate ne sanctissimi corporis patrocinia ipsis auferantur. Sunt fratres anxii, pallent et orant timidi, illic trepidantes timore ubi non erat timor, ne scilicet sancti Dominici corpus, quod pluuiis et estui tanto tempore uili reconditum loculo sicut alius qui inter mortuos computabatur patuerat, uermium scateret uoragine, fetore horrido presentium odoratum grauaret, et sic tanti uiri deuotio fuscaretur. Ignorantes ergo quid agerent hoc solum habent residui ut totos se deo committant

Accedit pia episcoporum deuotio, accedunt et alii. Instrumentis fabrilibus lapis duriori cemento sepulchro compaginatus aufertur et erat desuptus capsa lignea terre subfossa, sicut uenerabilis papa Gregorius hostiensis tunc episcopus sacrum corpus humauerat, in qua paruulum foramen eminebat. Ablato siquidem lapide cepit odor quidam mirificus ex foramine exalare cuius fragrantia astantes attoniti mirabantur quid esset. Remoueri iubent capse tabulam et ecce apotheca unguentorum, paradisus aromatum, ortus rosarum, campus liliorum et uiolarum, ac omnium florum suauitas uicta perhibetur. Bononia quondam adueniente rota fetore perfunditur, sed dum gloriosi Dominici sepulcrum panditur odore omnium aromatum suauitatem uincente purificata exhilaratur. Stupent qui aderant et stupore perterriti cadunt, hinc ruunt dein fletus miscent et gaudia (timor et spes in campo anime consurgunt mouentque bella mirifica) mirifici odoris suauitatem sentientes. Sensimus et nos huius odoris dulcedinem et que uidimus et sensimus hec testamur. Numquam etenim, licet diutius iuxta corpus dominici eloquii portitoris sancti Dominici studiose steterimus, poteramus tanto dulcore satiari. Dulcor ille fastidium exiliabat, deuotionem ingerebat, miracula suscitabat. Si manu, si cingulo, si aliqua re tangebatur corpus, per tempus prolixum odor ille remanebat.

Delatum est corpus ad monumentum marmoreum cum propriis aromatibus ibidem recondendum. Spirabat odor mirificus ex corpore sancto ostendens cunctis lucide quam bonus Christi odor hic esset. Celebrantur missarum sollemnia ab archiepiscopo et, quia tertius dies pentescosten enituit, Accipite iocunditatem glorie uestre in introitu chorus intonat, quam uocem de celis sonantem fratres in sua iocunditate susceperunt. Tube concrepant, innumeram cereorum multitudinem populi erigunt, processiones etiam honeste fiunt, Benedictus Ihesus Christus ubique resultat.

Acta sunt hec in civitate bononiensi, nono kalendas iunii anno gratie .m.xx.ccc. indictione sexta romane sedi Gregorio nono presidente et imperii sceptra Federico secundi gubernante. Ad honorem domini nostri Ihesu Christi et beati Dominici serui sui fidelissimi.

JEAN DE LA ROCHELLE
SERMON SUR LES SAINTS FRANÇOIS ET DOMINIQUE
(p. 1527-1534)

BOUGEROL Jacques-Guy, « Sermons médiévaux en l'honneur de saint François », *AFH* 75 (1982), p. 391-395.

Edition citée, texte contrôlé et corrigé à l'aide du manuscrit Paris, BnF lat. 16477, 266vb-267vb, non utilisé par Bougerol (qui a établi son édition sur la collation de cinq manuscrits).

Dabo duobus testibus meis Eliae et Enoch etc. Ap. II, 3.

I. - Duo testes sunt duo Christi confessores, beatus Franciscus et beatus Dominicus. Testes sunt ad faciendum fidem de veritate : sic et isti confessores. Sed cum venerit Filius hominis, putas inveniet fidem in terram (Luc. 18,8). Insurrexerunt enim testes iniqui contra catholicam veritatem haeretici, et mentita est iniquitas sibi (Ps. 26, 12). Sed econtra ipse Iesus instaurat hos testes pro veritate.

1) Testis fuit beatus Dominicus, de quo Eccli. 31, 28 : Splendidum in panibus, benedicent labia multorum, testimonium illius veritatis fidele. Splendidus in panibus, clarus in divinis sermonibus fuit beatus Dominicus, sicut ipse Dominus ostendere dignatus est matri spirituali quae eum de sacra fonte suscepit in visione, quia videbatur puer Dominicus quasi stellam habens in fronte quae totam terram suo lumine perlustrabat. Unde laudi eius convenit illud Eccli. 50, 6 : Quasi stella matutina in medio nebulae et quasi luna plena etc. Stella matutina fuit illa beata anima pueri Dominici, medium nebulae, status pueritiae, in quo scilicet nebula de terra ascendente [-ibus], id est de carnis humilitatibus, lux rationis obscuratur : postmodum luna plena in statu adolescentiae, quantum ad praedicationem quae recepit lumen a sole ; postmodum quasi sol in morte quantum ad glorificationem, et miraculorum radiationem. Sic ergo splendidum in panibus etc.

2) Testis etiam fuit beatus Franciscus. Unde convenit ei quod dicitur in laudibus Samuelis, Eccli. 46, 22 : Ante finem mortis suae testimonium praebuit in conspectu Domini et Christi eius et pecuniam et usque ad calceamenta ab omni carne non accepit etc.

II. - Dabo duobus testibus meis etc. Ad testimonium ferendum requiritur testium incorruptio et pluralitas, concordia et idoneitas.

1) Pluralitas requiritur, Deut. 17, 6 : Nemo occidatur, uno dicente testimonium contra se, sed in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum etc. Propter hoc ordinavit Dominus quod essent duo testes, duo patres Franciscus et Dominicus et duo ordines, quamvis quilibet [238va] eorum trinum testimonium fieret. Nam tres sunt qui testimonium dant in caelo etc., et tres sunt qui testimonium dant in terra : spiritus, aqua et sanguis (I Io. 5, 7-8). Caelum, caelestis illa conversatio beati Dominici, terra humillima et infima conversatio beati Francisci. Tres dant testimonium in caelo, quia et Pater tot <et ?> tantos genuit filios heredes regni aeterni quot sunt viri sancti in ordine praedicatorum ; Verbum, qui praedicandi scientiam ministrat ; Spiritus Sanctus qui sanctitatem conversationis adiunxit. Et tres sunt qui testimonium dant in terra in Francisco : spiritus in virtute, 1 Co. 2,4 : Non fuit sermo noster in persuasibilibus humanœe scientiae verbi<s>, sed in ostensione spiritus et virtutis ; aqua litteratura est que adiuncta est, quod mirabile est quomodo ad idiotam confluxit ; sanguis qui ipsum praerogativa speciali signatum insignivit.

2) Concordia necessario requiritur. Si enim discordant convincuntur falsum dixisse testimonium. Hinc Daniel convincit senes ex ore suo falsum dixisse testimonium, quia unus dicit sub scino, alius dicit sub prino, Dan. 13, 58. O quanta concordia fuit in beatis patribus Francisco et Dominico qui ad omnimodam convenientiam testimonii voluerunt ordines unire, ut unus esset ordo. Sed divina ordinatione impeditum est, quia melius est duos esse quam unum, quia si duo sunt fovebuntur se mutuo, si unus ceciderit, ab altero fulcietur, et ideo vae soli, quia, si ceciderit, non habet sublevantem, Eccl. 4, 10-11. Concordia tanta fuit ut esset in ordinibus, aliter testibus non crederetur.

3) Incorruptio etiam requiritur. Corrumpitur autem testis aut timore, aut cupiditate, aut amore, aut odio. Sancti patres incorrupti timore qui contra hostes Christi infideles et mundanos bella indesinentia inchoaverunt. Unde ante conceptionem beatus Dominicus monstratus est matri ut catulus habens facem quae totum mundum inflammare videbatur. Beato Francisco, ante conversionem, arma monstrata sunt in aula, quae futura sunt eius militumque suorum, ut et filiis eorum detur exemplum audaciae, ut non timeant eos qui occidunt corpus (Mt 10, 28). Incorrupti etiam cupiditate mercedis, qui omnia contempserunt velut stercora (Ph. 3,8). Incorrupti etiam amore qui etiam carnales amicos dimiserunt, secundum illud [238vbJ ; Nisi qui reliquerit patrem etc. (Mt. 19, 29). Incorrupti odio qui etiam inimicos dilexerunt secundum illud Mt. 5,44: Diligite inimicos uestros etc. Secus est de clericis, praelatis et doctoribus mundanis, Ap. 6, 8 :Unus equus pallidus et qui sedebat super illum nomen illi mors, et data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame et morte et bestiis terrae. ln gladio timoris error, in fame appetitus cupiditatis, in morte odium, quia qui non diligit, manet in morte (1 Io. 3, 14). in bestiis amor carnalium amicorum. Unde Eccli. 10, 13 : Dives cum dormierit, haereditabit serpentes, bestias et uermes. Serpentes, id est daemones, capiunt animam ; bestiae, quasi vastiae, carnales amici, possessionem ; vermes vero devorant carnem.

4) Quarto requiritur idoneitas testium quae consistit in septem conditionibus : conditio, sexus, aetas, discretio, fama, fortuna et fides. ln testibus ista requires. Conditio requiritur libertatis, servi enim suspecti sunt, qui possunt exactione induci. Sexus virilis, nam mulieres fragiles facile inducuntur ad dicendum falsum testimonium. Aetas, quia pueris non est credendum. Discretio, quia furiosi excluduntur, nesciunt enim quid dicunt. Fama, quia infames repelluntur et merito, quia qui non verentur maiestatem divinam, quomodo timerent offendere veritatem ? Fortuna, quia pauperes suspecti sunt, quia de facili possunt pecunia corrumpi. Fides, quia haeretici et infideles veritati non credunt et periuri, quia veritatem violaverunt, credulitate indigni sunt.

III. - Unde nota specialiter quod idoneitas in testibus septiformis est, ex septiformi gratia Spiritus Sancti, Ac. I, 8: Accipietis virtutem Spiritus Sancti, scilicet, supervenientis in vos et eritis mihi testes etc. Et e contrario, defectus idoneitatis septiformis.

1) Excluduntur ergo servi qui timent paenam, sed non diligunt iustitiam, quia idoneitate carent quae ex dono timoris, Ro. 8, 15 ; Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus : Abba Pater.

2) Excluduntur infames, quia carent dono pietatis unde fama et lux animae sanctae est, Ps. 111, 5 : Beatus vir qui miseretur et commodat ; laudatio eius manet in saeculum saeculi (Ps. 110, 10), vel quia infames, qui malo exemplo perdunt alios, impii sunt. Gregorius super illud, Non occides, Exo. 20, 13: « Scire debent praelati quia tot mortibus animarum digni sunt quot ad posteros exempla perditionis transmittunt ».

3) Excluduntur furiosi, id est, tumultuosi qui carent dono discretionis et scientiae, nesciunt enim conversari cum aliis. Unde illos qui agebantur furiae daemonio, cum vellent testimonium

perhibere Christo : Tu es Filius Dei vivi etc., quamvis verum dicerent, nolebat testimonium eorum recipere, immo dicebat quod tacerent (Mt. 8, 29).

4) Excluduntur mulieres, id est effeminati et muliebres, quia carent dono fortutidinis : Mulierem fortem quis inveniet ? Pro 31, 10 ; Eccle. 7, 29 : Unum virum de mille reperi, mulierem ex omnibus non inveni.

5) Excluduntur etiam pauperes, id est, avari quia carent dono consilii. Pauperes enim sunt secundum veritatem affectu non effectu, voluntate non opere, Ap. 3, 17 : Tu dicis quia dives sum et nullius egeo, et nescis quia miser es et pauper etc., ideo carent idoneitate consilii, secundum quod dicitur : Vade et vende omnia quae habes etc. (Mt. 19, 21).

6) Excluduntur infideles quia carent idoneitate intellectus, Is. 7, 9 : Nisi credideritis, non intelligetis.

7) Excluduntur pueri quia carent dono sapientiae, I Co. 3, I :Tamquam parvulis in Christo ; 3, 6 : Sapientiam loquimur inter perfectos. Hinc est quod parvuli in theologia qui parvo tempore audierunt, excludendi sunt a testimonio doctrinae et praedicationis.

Rogemus ergo etc.

MIRACLES DE SAINT DOMINIQUE À ROUEN
(p. 1541-1566)

Miracula Rotomagensia, dans : HUMBERTI DE ROMANIS *Legendae sancti Dominici,* éd. Simon Tugwell, Romae, : Institutum Historicum Ordinis Fratrum Prædicatorum, 2008, MOPH XXX, p. 533-554.

1. Anno domini .m.cc.lxi. placuit altissimo clarificare miraculis apud Rothomagum in Normannia beatum patrem Dominicum et celebre facere nomen eius, ex quibus multis aliqua pauca que ad fratrum pleniorem noticiam peruenerunt rudi quidem sed ueraci stilo sunt conscripta examinatione diligenti premissa.

2. Apud Rothomagum in parrochia Sancti Eligii fuit quidam paruulus Iohannes nomine circiter anni unius. Qui cum secunda feria in mane infra octauas beati Dominici coram matre luderet cum quodam uerteolo ligneo, quod est pondus fusi nentium mulierum iuxta satis grosse nucis quantitatem, illum cum fuso in gutture infixit, extractoque fuso uerteolus in gutture infixus remansit. Aspiciens autem mater paruulum coram se pre angustia uolutantem digitos infixit in gutture fortiusque uerteolum infixit. Quod sibi multi accurrentes faciebant aliud facere non ualentes. Tondebantque paruulum per pedes suspensum sub gutture et super collum nec educi ualebat uerteolus aliquatenus nec induci. Superuenit autem quidam cirurgicus qui omnem sue artis expertus industriam tandem dixit hoc solum superesse remedium ut guttur paruuli finderetur. Quo audito et uiso mater eius quasi amens aufugit seque abscondit. Accurrens autem auia paruuli, ad memoriam reducens miracula que per beatum Dominicum fieri audierat, exclamauit Beate Dominice redde michi filium meum. Susceptusque paruulus ab una e uicinis ad fratrum ecclesiam gestabatur, semper auia per uicos clamante Beate Dominice michi redde filium meum. Sicque ad altare beati Dominici delato paruulo, conuentu fratrum missam de beato Dominico sollempniter inchoante, fit concursus populi ad ecclesiam flentis et compacientis paruulo tam elegantis forme in tanto periculo constituto, cui per humanum auxilium erat omnino impossibile subueniri. Sic enim uerteolus gutturi paruuli adherebat intraque gutturis angustias constrictus erat ut, carnibus intra uerteoli foramina impactis, sicut in axe rota tangentium digitis in gutture uolueretur. Missa itaque sollempniter celebrata dictaque sexta, iam ipsius carne premortua, colore mutato, artubus rigidis frigidisque iam effectis, inuicem dentibus constrictis, hanelitu intercluso, per os nares auresque sanguine defluente, eum iam omni motu ac sensu priuatus penitus uideretur, a multisque mortuus indubitanter clamaretur omninoque ab omnibus desperaretur de uita, ecce mirantibus omnibus subito redit uita repenteque uerteolum multo sanguine cruentatum in manu fratris qui astabat cunctis cernentibus euomuit, uiuificatoque et exhilarato uultu quasi risum emisit plenarie liberatus. Quo uiso clamor populi attollitur, laudes et gratie deo et beato Dominico a populo et fratribus non sine lacrimis exsoluuntur, uerteolus autem super altare beati Dominici in testimonium tanti miraculi suspenditur ad laudem eius et gloriam qui in sanctis suis mirabilis predicatur.

3. Mulier quedam etate et honestate prouecta Agnes nomine, cuiusdam seruientis regis uxor, de parrochia Sancti Laurentii rothomagensis, graui quadam gutta que dicitur artetica in omnibus suis menbris detinebatur per dimidium annum et amplius grauiter cruciata ita quod nec stare nec surgere nec aliquod menbrorum suorum excepta lingua per se mouere poterat ad momentum, sed nec etiam ab alio moueri ualebat sine grauamine et dolore. Multis autem et uariis

remediis frustra adhibitis medicorum, cum mulier nullum illorum sibi prodesse sed potius obesse sentiret, quasi de recuperanda sanitate penitus desperata omnia medicamina abiecit penitus et reiecit. Sic itaque omni humano auxilio et consilio de recuperande sanitatis beneficio destituta omnibusque rite dispositis ad moriendum parata beatum Dominicum deuote fusis lacrimis inuocauit uotumque uouit se deinceps eiusdem esse seruam et famulam si ipsam a tanto discrimine liberaret. Fidelis sermo. Mox enim ut orationem uotumque compleuit manus per se mouere cepit, assumptaque fiducia, uoce magna clamans Beatus Dominicus me liberauit, per se de balneo in quo suorum manibus posita fuerat surrexit, per seque cunctis qui aderant stupentibus lectum intrauit, que paulo ante si in aquam fuisset paululum inclinata se permisisset submergi nisi alterius auxilio iuuaretur. Sicque post modicum, recuperatis adeo per beatum Dominicum plenarie uiribus, altare beati Dominici deuote uisitauit uotumque reddidit et a longo morbo in breui liberata deuotas gratias egit de percepto plenarie et integre beneficio sanitatis.

4. Iuuenis quidam Guillelmus nomine etatis annorum .xv., de parrochia Sancti Petri Portarii rothomagensis, dominica in quinquagesima iter faciens per locum quendam in quo multitudo suspensorum erat horrore nimio ac tremore percussus quandam mentis alienationem incurrit. Unde ad domum rediens quasi alienatus lecto languidus per .viii. dies decubuit. Octaua autem die cum Christi corpus recepisset assumptis quibusdam forcipibus illas in uentrem infigere et occidere se uolebat nisi fuisset prohibitus a quadam muliere matrona illi pro custodia deputata. Confestim autem priuatus est sensu loquela et auditu omniumque penitus menbrorum usu. Ipsum ergo factum tanquam animal brutum et inutile ac in tali miseria .x. diebus continue permanentem predicta mulier multis sanctis deuouit. Cum autem adhuc iuuenis semper in eodem statu miserabili persisteret mulier quasi desperata de recuperanda ipsius iuuenis sanitate dixit quod ipsum nulli sancto de cetera deuoueret. Decima autem die ad memoriam reducens miracula que deus tunc temporis per beatum Dominicum faciebat, calore fidei succensa ait Confido in domino quod deus per beatum Dominicum in isto faciet miraculum. Et adiunxit Beate Dominice si unquam fecisti quod deo placuerit et si quid potes apud eum, redde isti iuueni sensum suum et uerbum. Mane autem facto stans mulier coram egroto ait Guillelme ego te uoui beato Dominico et te ducam ad illum si tibi dederit sanitatem ; nonne uis ire fili mi ? Loquere michi in caritate. Cumque idem uerbum iterum repetisset, ecce subito iuuenis sensu sibi reddito, auditu recuperato lingueque soluto uinculo, clara uoce respondit Trade ergo michi uestes meas in nomine domini et ibimus ad beatum Dominicum. Confestim currens mulier attulit candelam longitudinis eius cum gaudio. Continuo uero surgens iuuenis se induit seque ipsum per se calciauit, qui paulo ante nec ad modicum pedem aut manum mouere poterat signo crucis se muniens deoque et beato Dominico recommendans, sicque ad altare beati Dominici ab amicis cum ingenti letitia deducitur proprio restitutus sensui et saluti.

5. Eadem hora [qua] cum predictum miraculum multis astantibus coram altari beati Dominici referretur deoque et beato Dominico gratie agerentur, affuit quidam ciuis rothomagensis uir honestus deo et beato Dominico pro se similiter gratias agens, asserens se per eum liberatum a graui dolore et morbo tibie medullitus intercluso qui nec curari ualebat a medicis nec cognosci. Siquidem paulo ante se beato Dominico deuouerat et in signum deuotionis tibiam ceream obtulerat, spem suam ponens in deo et beato Dominico, auxilio in hominibus non inuento.

6. Frater quidam de conuentu rothomagensi, uir religiosus et antiquus in ordine, frater lohannes de Ergolio nomine, de ciuitate rothomagensi, graui dentis cuiusdam maxillaris dolore torquebatur. Vocatus autem quidam peritus artis extractorie dentium, cum in extrahendo dente cum forfice ferreo non sine fratris angustia ter totum frustra exceruisset conatum, quarta uice

dentem medium fractum extraxit, reliqua parte media radicitus remanente. Cum autem partem illam toto conamine extrahere bis attemptasset nec posset, remansit dens cum uehementissimi doloris angustia, tumore nimio uultus et gutturis subsecuto. Paucis autem euolutis diebus, cum nec adhuc dolor cessaret quin potius dens corruptione et fetore os inficeret, mandauit idem frater pro quodam alio qui se in hac arte peritiorem dicebat. Cum autem eius aduentum trepidus expectaret non immemor pristini adhuc recentis uehementissimi cruciatus, adhuc expectans similem uel maiorem, ad beatum patrem Dominicum ut tutum refugium se conuertit, ipsum deuote inuocans atque orans in hec uerba : Beate pater Dominice miserere michi seruo tuo deo tibique in tuo ordine famulanti et me a tanto dolore, quem iam tam anxium sum expertus et quem iterum expecto pauidus, digneris misericorditer liberare. Mox autem ut orationem compleuit dens ille euulsus radicitus, sine omni immo omni prorsus fugato dolore, in manum eius mira celeritate protinus exiliuit. Currensque frater cum ingenti letitia ad altare beati Dominici deo et beato patri Dominico de tanto beneficio dignas laudes exsoluit. Factum est autem hoc eo tempore quo adhuc fratres apud Sanctum Matheum ultra Secanam morabantur.

7. In parrochia Sancte Crucis rothomagensis fuit quidam puer Garnerus nomine contractas habens tibias et natibus adherentes, que si aliquando extenderentur aliquantulum uiolenter mox ad nates redibant. Accidit autem ut quadam die mulier quedam que paruulum ex sacro fonte leuauerat, ipsum tenens super gremium, contracto filiolo compatiens diceret matri eius Commater uoueamus filiolum meum beato Dominico qui est ad Sanctum Iacobum (sic enim fratrum ecclesia uocitatur), qui ut dicitur sanat pueros, ut sanet eum. Placet inquit mater. Tunc illa, Filiole uoueo te beato Dominico rogans illum ut tibi in tibiis tribuat sanitatem, et cum candela tue longitudinis te ducam ad illum. Mox ut uerbum compleuit paruulus unam tibiam extendit, qua apodiare se cepit. Tune illa assumpta fiducia exclamauit Beate Dominice qui unam tibiam reddidisti redde et aliam. Confestim pàruulus aliam tibiam extendit et iuxta sue etatis modum ambulare cepit. Quem mater et matrina ad fratrum ecclesiam attulerunt gaudentes, dignas deo et beato Dominico gratias exsoluentes.

8. Puellam quandam Amelinam nomine annorum trium, de parrochia Sancti Saluatoris rothomagensis, quodam sabbato inuasit subito horribilis infirmitas ut toto corpore ac menbris singulis horribiliter distenderetur ac tremeret, et sine uoce apertis oculis nichil uidens in colorem tetrum ac terreum mutaretur. Cuius mater nimium stupefacta post longam moram, continue etiam inualescente molestia ut puella mori morte horribili uideretur, per quandam uicinam suam admonita, parum ante complectorium puellam ad ecclesiam fratrum coram altari beati Dominici cum lacrimis attulit. Que mox uoce horribili clamare cepit adeo ut clamore terribili ac menbrorum motibus intuentibus et audientibus terrorem incuteret ac horrorem. Appositis autem super illam beati Dominici reliquiis, post modicum spacium antequam complectorium finiretur quieuit, mammas suxit et suggendo suauiter obdormiuit. Tota autem nocte suauiter dormiens facto mane sana et incolumis exurrexit. Cuius mater gratias agens deo et beato Dominico puellam sanam et hylarem fratribus presentauit.

9. Paruulus quidam Durandus nomine cuiusdam diuitis filius, de parrochia Sancti Eligii rothomagensis, testam mediam conche marine que gallice molles dicitur habuit in gutture infixam profunde ita quod nec tonsionibus super collum et guttur siue aliquo alio remedio aliquatenus educi poterat uel induci. Imminente ergo paruuli morte uultusque mutato colore, cum iam omnino humanum deesset auxilium, inuocauit mater beatum Dominicum ut sibi redderet filium. Continue paruulus testam cruentatam euomuit statimque ad altare beati Dominici defertur cum gaudio pristine redditus sospitati.

10. Sanctimonialis quedam de Bondeuilla rothomagensis dyocesis Mabilia nomine, antiqua et deuota femina, apud Rothomagum acuta febre laborans grauissima, inualescente morbi molestia desperata est a medicis euidentibus signis mortis. In qua quidem infirmitate deuote deo et beato Dominico se deuouit. In illo igitur discrimine constituta cum aliquantulum in pectore sudare cepisset de lecto surrexit, et postmodum ad lectum rediens omnino sudorem se amisisse inuenit. Cum autem conquereretur nimium ac doleret de sudore perdito ipsumque recuperare conaretur nec posset, leui quodam corripitur sompno uisumque est ei quod frater quidam predicator similitudinem habens ymaginis beati Dominici que super eius altare in ecclesia fratrum decenter habetur insculpta ipsam aqua suis digitis leuiter aspergebat blandisque uerbis eam consolabatur dicens Confide filia, ne desoleris, quia tibi dabo satis aquam. In qua aspersione et iocunda uisione miro delectabatur modo. Expergefacta uero inuenit sudore se adeo madefactam ut in aqua immersa penitus uideretur. In quo sudore conualuit et deo beatoque Dominico gratias dignas egit.

11. Mercator quidam de parrochia Sancti Eligii rothomagensis in quibusdam existens nundinis quinquaginta leucis a Rothomago distantibus graui cordis dolore per triduum uexabatur eique uidebatur quod cor eius acuum aculeis pungeretur adeo quod nec ualeret quiescere ad momentum. Die ergo tertia, ad memoriam reducens beneficia que deus per beatum Dominicum ipsum inuocantibus apud Rothomagum exhibebat, beatum Dominicum inuocauit illique se deuote deuouit, alleuiatum [liberatum]que se continuo sensit. Qui postquam Rothomagum rediit beatum Dominicum adiit uotumque suum reddidit liberatorique suo gratias egit.

12. In festo beate Marie Magdalene uenit quidam fullo de parrochia Sancti Machuti rothomagensis ad reliquias beati Dominici uisitandas. Quas cum deuote oscularetur deuote deo et beato Dominico gratias exsoluebat, asserens se a magnis et grauibus doloribus qui ipsum per triduum uexauerant liberatum. Testabatur etiam quod uxorem suam a febre quartana, que ipsam per annum integrum uexauerat, mox ut se beato Dominico deuouit penitus liberauit.

13. Eadem hora astitit matrona quedam rothomagensis gratias agens et beati Dominici testimonium perhibens sanctitati, asserens se die dominica precedenti in sero propter ulcus periculosum et grande quod super aurem habebat grauiter cruciatam, que inuocato beato Dominico beneficium sanitatis optinuit in momento.

14. Eadem die post prandium due mulieres ecclesiam intrauerunt quarum una matrona puerulum gestabat in sinu, quem inde extrahens super altare beati Dominici proiecit. Cumque a fratribus qui astabant an paruulus esset mortuus, nulla enim eius uox audiebatur, quereretur, responderunt : Absit inquiunt sed per beatum Dominicum uita uiuit. Nam cum mater eius in partu per triduum laboraret plus quam .x. galones aque siue quartas diebus singulis hauriebat ita quod paruulum submersum indubitanter in utero credebamus. Heri ergo ipsam et paruulum beato Dominico deuouimus et continue paruulum istum sanum et incolumem ex maternis uisceribus suscepimus. Propter quod non inmerito deo et beato Dominico gratias agimus.

15. Ante festum beati Dominici tribus circiter septimanis Robertus piscarius, de parrochia Sancti Michaelis rothomagensis, graui dolore dentium cruciatus inuocato beato Dominico est continue liberatus. Qui tamen ex obliuione uel negligentia liberatori suo distulit reddere uotum suum. Unde factum est ut feria tertia ante dictum festum dolor idem rediret immanior et adeo grauior ut ab illa die usque ad .vi. feriam nec dormire posset nec nisi uix cibum sumere nec ad momentum quiescere, dolore nimium ingrauante, uultu eius conuerso horribiliter in tumorem. Feria ergo .vi. predicta, qua uigilia beati Dominici habebatur, infirmus ad se rediens ait uxori Credo quod hec tam grauis infirmitas michi accidit quia de sanitate doloris pristini dentium per beatum Dominicum michi reddita ipsi condignas non egi gratias nec reddidi uotum meum. Vade

inquit cito et fac michi fieri uultum cereum si forte eum inueniam michi placatum. Quo facto ad ecclesiam fratrum uenit, uotum suum super altare beati Dominici deuote obtulit et antequam ad domum redisset propriam beneficium sanitatis obtinuit. In crastinum autem ad ecclesiam fratrum rediit, deo et beato Dominico gratias egit, et predicta fratribus nuntiauit.

16. Mulier quedam lohanna nomine, de parrochia Sancti Eligii rothomagensis, in partu diebus .xv. laborauit. Viribus ergo corporis penitus destituta, succumbente prorsus natura, deficiente uoce, cum iam se sentiret in extremo spiritu constitutam, beati Dominici memoria eius menti occurrit. Cumque ipsum deuote ut poterat inuocasset illique uotum uouisset si ab instanti periculo liberaretur, continuo prospere partum edidit, liberataque liberatori suo dignas laudes gaudens exsoluit.

17. Matrona quedam nobilis, domina Elyxabeth de Perches nomine, de parrochia Sancti Geruasii rothomagensis, in ecclesia fratrum aliquando existens, uidens populum deuote ad altare beati Dominici confluentem signaque deuotionis plurima offerentem audiensque quod deus ibidem per beatum Dominicum miracula et uirtutes plurimas faciebat, deuotionem huiusmodi et miracula [contempnebat] deridebat et incredula per omnia existebat, nomenque beati Dominici retinere nullatenus poterat sed quantumcumque sibi frequenter esset nominatum obliuioni statim dabat. Ipsa igitur in tali cordis duricia persistente, diebus .xii. circiter ante festum beati Dominici inuasit eam subito dolor grauissimus tibie in tumorem nimium repente conuerse adeo quod tibia cruri in grossitie equaretur, ulceribus liuidis ac rubeis sparsim per totam tibiam superfusis. Vocantur cirurgici, apponunt remedia, et augent supplicia, quantoque plura remedia adhibebantur tanto plus de diem in diem dolor intolerabilis augebatur. Huiuscemodi ergo flagello per dies circiter .xii. cruciata ita quod nec quiescere ualeret aliquatenus ad momentum, in sero quodam quo beati Dominici uigilia habebatur seueritatem diuine iusticie in se sentiens manifeste adeo quod igne infernali comburi tibiam estimaret, ad se rediit deuoteque beatam uirginem inuocauit, uere confidens et arbitrans tantum et tam graue flagellum sibi propter peccatum aliquod accidisse, cepitque ipsam deuote circiter .c. uicibus salutatione angelica salutare. In qua oratione subito obdormiens uidit se in ecclesia fratrum coram altari beati Dominici orantem in hec uerba, cum tamen de hoc nunquam ullatenus cogitasset et festum penitus ignoraret : Beate Dominice propitius esto michi peccatrici que tibi et tuis miraculis detraxi tibique deuotos tanquam fatua derisi; miserere queso mei et indulge michi. In quibus uerbis excitata si adhuc dies esset ad familiam exclamauit; comperto uero quod non dies esset, expectata luce cum desiderio statim cerem tibiam fieri sibi iussit. Quam assumens surgere cepit dicens se uelle ire ad Sanctum lacobum ad beatum Dominicum, cunctis qui aderant stupentibus et clamantibus quod hoc facere aliquatenus non ualeret. Cum ergo domum egressa paululum processisset mox in tibia sensit pruritum et quasi graues formicarum puncturas. Cum autem portam primam fratrum fuisset ingressa cessauerunt omnino punctiones huiusmodi et pruritus. Ut autem ad beati Dominici reliquias accessit et adorauit omnis penitus dolor aufugit, rediensque cum gaudio sine difficultate ad domum inuenit tibiam ab omnibus ulceribus et doloribus penitus liberatam. Mirantur amici, uicini, insuper cirurgici, gratias agentes deo et beato Dominico qui sicut uult salubriter percutit et sanat, eradit et flagellat. Verumptamen prefata domina rem gestam, fortassis ex quadam uerecundia quia sancto detraxerat, non statim fratribus intimauit. Sed postmodum per soporem frequenter admonita diligenter de uita beati Dominici a fratribus inquisiuit, deuote et cum lacrimis audiuit, et tocius rei geste seriem recognouit, se deinceps seruam et famulam beati Dominici profitendo.

18. Mulier quedam Petronilla de Chaumont nomine, de parrochia Sancti Candidi lunioris rothomagensis, in festo beati Augustini in sero carnes comedens os quoddam ex utraque parte acutum et longum iuxta fere duorum latitudinem digitorum transglutiuit, sed profundum in gutture transuersatum et infixum remansit ita quod nullatenus educi potuit uel induci. Cumque uehementissimi cruciatus aculeis agitata multis se deuouisset sanctis, adhuc nichilominus instabat periculum mortis. In lecto ergo suorum manibus reposita, cum nullatenus quiesceret utpote que mortis instantis in se sentiebat indicia, a filia est admonita ut se beato Dominico deuoueret. Que mox de lecto consurgens cubitos et genua cum filia in terra posuit, beatum Dominicum deuotione qua potuit inuocauit, illique uouit quod eius reliquias nudis pedibus et sine camisia uisitaret si ipsam ab instanti mortis periculo liberaret. Mirum in modum mox ut uerbum compleuit os mira celeritate euomuit, et hec de cuius omnino desperabatur uita sana gaudens euasit. Mane igitur facto sicut deuouerat deuote ad altare beati Dominici uenit, rem gestam coram multis retulit, deo et beato Dominico gratias egit, osque predictum fratribus presentauit.

19. Puella quedam septennis lohanna nomine, de parocchia Sancti Hermelandi rothomagensis, aliquo tempore amiserat usum lingue. Ducta autem a matre ad reliquias beati Dominici mox ut de uino gustauit in quo intincte beati Dominici fuerant reliquie integritatem lingue pariter recuperauit et usum.

20. luuenis quidam Guillelmus nomine, de parrochia Sancti Gildardi rothomagensis, sabbato post natiuitatem beate uirginis os quoddam grosse persice usque ad os stomachi transglutiuit, sed ultra nullatenus transire ualens ibidem infixum remansit. Qui mox pene exanimatus et spasmum passus corruit, sed super collum ab astantibus percussus et concussus expergefactus est, admonitusque a circumstantibus ad altare beati Dominici prout citius potuit cucurrit. Cumque de uino reliquiarum in eius esset stillatum ore nec unam quidem guttam potuit transglutire. Volutabatur itaque coram altari beati Dominici miserabiliter multis eum aspicientibus et compacientibus in tanta angustia et instantis mortis discrimine constituto. Admonitus autem a quodam fratre peccata sua tanquam mox moriturus prout potuit est confessus. Facta autem confessione deo et beato Dominico emendationem uite prout loqui poterat promisit deuoteque se deuouit si eum ab imminentis mortis periculo liberaret. Facto autem modico interuallo, populo et fratribus deum et beatum Dominicum pro illo deuote rogantibus, cum se iam suffocari sentiret et extingui iamque hanelitum penitus intercludi deoque animam suam uelud moriens commendaret omninoque desperaret de uita, de uino reliquiarum in eius ore est iterum instillatum. Fidelis sermo. Mox enim ut uinum transglutiuit mirabili facilitate multis astantibus coram altari super pauimentum os illud euomuit adeo subito ; quod nec sensit. Clamor populi cum lacrimis pre gaudio attollitur deuoteque a populo et fratribus deus in sancto suo Dominico collaudatur.

21. In parrochia de Doudeuilla uersus Fiscannum fuit quidam iuuenis clericus Guillelmus de Fraxino nomine, cuius pater eodem nomine uocabatur, nomen autem matris eius lohanna. Hic cum laborasset diuturna infirmitate febrium et lateris tandem incidit in langorem. Qui cum uidisset quod nulla humana medicamina nec in febre nec in langore ei aliquatenus profecissent, licet multa talia circa ipsum apposita fuissent, iam omni spe curationis destituti non expectabant ipse et parentes eius de ipso nisi mortem, maxime cum ipse in tantum feteret quod uix poterat sustineri et iam ita erat extenuatus quod hanche sue uidebantur perforate, et per multum temporis omne quod comedebat per os reiciebat, etiam quod iam in intestinis receptum erat. Accidit autem quadam die domino uolente quod quedam bona mulier de Rothomago familiaris eorum ueniebat per locum illum apud Fiscannum peregre proficiscens, et cum mater infirmi desideraret ire cum ea filius hec audiens prohibuit dicens sibi mortem imminere ita quod quasi certus erat quod

moreretur ea nocte. Sed tunc misericors dominus qui non uult mortem peccatoris misit in mentem mulieris aduene miracula beati Dominici, et ait Ha quare morietur iuuenis iste? Et conuersa ad infirmum dixit Eya karissime deuouete uos ad sanctum Dominicum cuius altare et reliquie sunt in ecclesia fratrum predicatorum rothomagensium, qui tam crebra facit miracula apud nos. Qui desiderans salutem propriam corporis continue uotum emisit quod requireret eum et esset de cetero seruus eius, et statim melius fuit ei et, quod stupendum est, sensit quasi quoddam lignum aridum in corpore suo interius frangi, dixitque clara uoce Ego sum totus sanus. Et uenit ad reddendum gratias deo et beato Dominico cum sacerdote quodam honesto et fratribus noto.

22. Apud Nouum Castrum in Braio quedam mulier nomine Ydonia habebat quendam puerum masculum qui erat maligniosus et grauis mirabiliter ad educandum. Que cum supra modum grauaretur amittendo sompnum suum sepissime et in aliis multis, quadam nocte instinctu diabolico, licet esset mulier deuota, cum esset ualde tedio affecta, pre grauamine quasi effrenata maledixit puero passione illa pessima ad quam male assueti sunt multi ; et, quod horrendum est, statim illa passio occupauit puerum forte tricesies uel quadragesies illa nocte et die sequenti uexans eum. Quod cum sciuit soror sua deuota mulier ualde, recordata miraculorum beati Dominici, emisit uotum pro nepotulo suo ad sanctum dei Dominicum et extunc a morbo illo caduco liberatus est.

23. Sed non multo post tempore ipsa pueri supradicti mater peraccuta febre correcta in tantum uexata est ut morte [ut dicitur] ut credebatur imminente et muta est effecta. Quod uidens dicta Beatrix soror sua, cum esset tenere conscientie, uehementer timuit ne moreretur dicta soror sua insufficienter parata. Unde et beatum Dominicum rogauit deuotissime pro reddenda sorori loquela ut saltem posset sufficienter confiteri peccata uel, quod mallet, impetraret ei sanitatem perfectam. Quod statim factum est quia ilico ei loquta est et in breui recuperauit sanitatem.

24. Quedam puella circa .xiii. annos etatis habens Marota nomine, de parrochia Sancti Eligii rothomagensis, cum iam uexata fuisset febre cotidiana fere per totam quadragesimam, circa pascha recordata miraculorum beati Dominici uenit ad altare eius et sicut uidebat et audiebat ab aliis fieri, candela empta, rogauit sanctum dei ut sanaret eam. Statimque curata est ita quod extunc de illo morbo maculam non senserat aliquam.

25. Mulier quedam erat rothomagensis que habebat filium paruulum quem permultum diligebat, maxime quia uidebatur ei quod pro puero illo maritus eius magis ipsam diligeret cum prius eam potius haberet in despectu. Sed diabolus totius boni emulator procurauit ut puer subito moreretur. Sed ipsa mater aliunde ueniens, puerum mortuum deprehendens, uicinas conuocans et pre dolore in altum eiulans, deuouit eum beato Dominico et attulit, et reuixit.

26. Mulier quedam alia attulit filium suum quasi trium annorum ad altare beati Dominici, cuius brachium dextrum erat emortuum ita quod pendebat ad latus eius quasi quedam manica pellicea. Cum autem mater uellet offerre pro filio candelam accensam, mox puer extendit manum prius mortuam ad candelam et cepit eam de manu matris, et extunc curatus est.

27. Alia quedam de parrochia Sancti Geruasii habebat filium paruulum. Quo lacte mamillarum pasto necesse habuit mater ire in ciuitatem, et non habens commode et prompte cui dimitteret filium custodiendum nisi deo et beato Dominico ipsum dimisit secure commendans beati Dominici custodie. Cum uero post magnum temporis spacium, eadem tamen die, rediret percepit fumum magnum exire de domo et loco ubi iacebat puer et cum intraret, deprehendens lectum suum iam inflammatum, clamans quasi furibunda Beate Dominice reddite michi filium, appropinquauit ad puerum et extrahens eum de lecto inuenit puerum sanum et incolumem licet

ignis fere omnia circa puerum consumpsisset, uidelicet stramen culcitram et pannos super que iacebat et etiam manicam circa brachium pueri, ipso brachio illeso remanente.

28. Monialis quedam de Bondeuilla Maria nomine, cognominata de Vernone, cum fere .xii. annis interius, ad minus .x. in corpore, quasi morbo qui dicitur ficus uel potius ydropisis infirmaretur uultuque semper pallido manente debilis et aliis honerosa multum esset, nec aliqua medicinalia eidem ualuissent licet multa adhibita fuissent, tandem confirmata est in ydropisim, et tunc uenit Rothomagum et mansit ibidem per fere tres menses ut haberet consilium medicorum. Sed cum tedio affecta in querendo et sustinendo diuersas medicinas iam esset nec speraret aliqua humana medicinalia sibi ualitura, maxime cum de die in diem deterioraretur, rediit ad domum suam et cotidie plus et plus sentiebat se debilitari et inflari, et in corrigia sua percipiebatur inflatio excreuisse circa mensuram pedis. Dicebant etiam medici quod in breui moreretur. Porro quia summus medicus reseruauerat eam a se per sancti sui Dominici merita sanandam cum ei placuit, missa sibi occasione, uenit ibi quidam frater deuotus Amicus nomine, tunc lector in conuentu fratrum predicatorum rothomagensi, qui eam monuit de faciendo uoto ad sanctum dei Dominicum. Quo facto statim sensit se eleuari in spem recuperandi sanitatem et iam se melioratam, et in breui quasi in .iii. diebus perfecte curata est. Infra enim triduum post uotum sensit morbum quasi omnino eam reliquisse. Sed et extunc cepit in beatum Dominicum tantam fiduciam habere quod in omnibus necessitatibus suis corporalibus siue spiritualibus et angustiis ipsum interpellans sensit semper sibi ab ipso subueniri.

29. Quedam autem alia monialis discipula supradicte curate, Ascelina nomine, uiso tanto miraculo, cum esset quartanaria et uexasset eam febris quartana per menses circa .viii., facto uoto ad beatum Dominicum perfectam extunc recuperauit sanitatem. Vouerunt enim tam magistra quam discipula quod si beatus Dominicus impetraret eis sanitatem facerent officium suum amodo in festis suis annuis.

30. Anno etiam domini .m.cc.lxvii. circa natiuitatem domini supradicta Maria monialis de Bondeuilla, usu menbrorum suorum omnino per tres dies destituta, cum se deuouisset beato Dominico, quem multotiens senserat sibi beneficum in infirmitatibus suis tam spiritualibus quam corporalibus, continue arripuit eam sudor suauissimus durans per tres dies, et in illis tribus diebus perfecte curata est licet a multis paralitica iudicaretur. Sed et discipula sua supradicta, hoc uiso et a sua magistra de indeuotione ad sanctum dei Dominicum reprehensa, facto uoto liberata est a temptatione et tribulatione maxima, diu tamen a talibus antea uexata. Que etiam cum esset in anxietate et fletu magno pro se et pro magistra sua aliquantulum pre lassitudine soporata, apparuit ei quidam pulcher et uenerandus senex in specie fratris dicens ei Ne timeas quia iuuabo te.

31. Fuit apud Vallem Rodolii quedam deuota mulier a longo tempore dolore dentium acerrime uexata Ada nomine. Erat autem priorissa hospitalis dei, et habebat unam sociam de beguinnis rothomagensibus Aelesiam nomine que hortabatur eam de faciendo uotum ad beatum Dominicum. Que cum ei non assentiret fecit sibi dentem extrahi maxillarem a quodam cirurgico dentium, qui fere extraxit maxillam. Remansit tamen gena quasi disiuncta cum media parte dentis in quo dolorem senserat, dolore autem ultra modum augmentato. Sed tandem compuncta de consilio castellane de Valle Rodolii deuouit se sancto dei Dominico et continue fuit curata, uenitque statim Rothomagum ad memoriam sancti dignas deo et sancto suo Dominico gratias exsoluens.

32. Quedam iuuenis beguinna que creditur multum simplex et deuota nomine lohanna cum infirmaretur grauissime febre terciana et iam continuata esset sibi febris per sex septimanas nec iam expectaret nisi mortem sibi appropinquantem, deficiente sibi penitus cibi cuiuslibet appetitu

et quasi tota uirtute menbrorum destituta, cum fiducia uenit ad beatum Dominicum prosternens se ante eius altare, preces et deuotiones suas deo et sancto suo effundens. Vouit quod si ab illa febre liberaretur ipsa de cetero festiuaret beati Dominici festiuitates. Mira res, quia statim fuit a febre curata cum illa hora esset in feruore sue accessionis, nec deinceps habuit aliam accessionem.

33. In ciuitate rothomagensi erat quedam burgensis cui satis huius seculi prosperitas arridebat nomine lohanna de Boutelles, que quendam paruulum habebat quem tenerrime diligebat Thomam nomine qui sepe graui laborabat infirmitate, et semel in tantum inualuit in eo quod nichil aliud in ipso nisi mors sperabatur. Que cum filium suum quasi mortuum defleret nec consolationem uellet accipere, nutrix pueri Matildis nomine ait matri Domina mi uouete filium uestrum beato Dominico per cuius merita dominus multis patrocinatur. Respondit illa Quare petam quod obtinere non possum ? En moritur puer. Secure ait nutrix uouete, quia nichil inde potestis amittere. Tunc mater Domine inquit sancte Dominice succurrite isti matri misere et reddite michi filium meum si potestis, et ipse erit homo uester reddens singulis annis altari uestro .iiii. denarios. Mira res. Vix uerba ista finierat et ipse puer pristine sanitati fuit statim restitutus. Mater uero ingratitudinis obliuio propositum matris ita impediuit quod [infra] usque ad annum ad beatum Dominicum puerum afferre distulit. Unde accidit quod infirmitas grauissima puerum eundem arripuit, que in tantum eum uexauit quod iam nichil nisi de sepultura et feretro cogitarent assistentes. Mater tamen ad se rediens animaduertit quod uotum dudum factum pro puero non soluerat et ideo sibi merito hoc accidere debebat. Que accurrens cum magno eiulatu ad ecclesiam fratrum uenit sed intrare non potuit quia nimis erat tarde, de uoto tamen satisfecit. Ipsa uero ad domum rediens putauit puerum inuenire mortuum, sed per dei uirtutem et beati Dominici meritis inuenit eum pristine sanitati penitus restitutum.

34. Sub silentio similiter non est pretereundum quod accidit in parrochia Sancti Andree extra portam. Quidam enim ciuis rothomagensis Galterus de Ambianis nomine et uxor eius Gemmina habebant quandam filiam paruulam quam tenerrime diligebant. Hec cum quadam die ascenderet solarium domus, in quo solario erat quedam appertura per quam in domum inferius respici poterat, et pater timens de casu filie multociens ea die ab illa appertura puellulam fecerat reportari, instigante tamen inimico humani generis occupatis parentibus filia sua iterum ascendit et per dictam solarii aperturam respiciens in aream domus, que distabat a solario plus quam .xxv. pedibus, corruit et quasi exanimis ad terram iacuit. Pater uero casum intelligens, accurrens et eiulans et iurans dicebat matri Vere accidit quod uerebar, mortua est filia tua. Mater uero ponens in domino et beato Dominico totam fiduciam suam, uotum faciens ad beatum Dominicum quod si ei illam filiam suam sanam redderet eidem uultum cereum filia singulis annis offerret. Quo facto deus, qui in sanctis suis ostendit se mirabilem, dictam puellam prius omni motu et sensu destitutam ad honorem suum et sancti sui Dominici exaltationem nulla apparente lesione uel liuore pristine reddidit sanitati.

35. Anno domini .m.cc.lxv. quodam sabbato Stephanus le Danois de parrochia Sancti Machuti, cuius uxor lohanna nuncupata est, filiam habebat nomine Petronillam que monstruose et deformiter manus habebat inuersas et penitus inutiles ad operandum. Cuius pater, recolens multa per merita beati Dominici auribus suis insonuisse miracula, eidem filiam suam assumpta fiducia deuouit et suam oblationem beato Dominico se redditurum promisit. Mirum in modum uix uerba finierat et ecce puella statim usum dextere totaliter recuperauit, et in crastino, uidelicet dominica, usum sinistre et plenam ambarum manuum ad gloriam dei et sancti Dominici sui recepit sanitatem.

36. Anno autem domini .m.cc.lxvi. accidit in parrochia Sancte Marie dicte La Petite quod quedam mulier nomine Auiegne habebat quendam puerum nundum anniculum Robinum. Huic tradidit mater anulum suum cupreum, quem puer ori suo applicans in guttur recepit. Quem cum non posset inducere uel educere, mutato iam colore propter constrictionem, gutturis angustiam et anelitus interclusionem, quasi in extremo spiritu positus uicine mortis euentum sentiens expirabat. Quo comperto a parentibus et dicente matre se credere quod haberet anulum suum in gutture, pater imposito digito temptabat anulum eripere. Quod cum non posset deuouerunt se et puerum sanguini fiscannensi. Quod cum non sibi prodesse uiderent consilio cuiusdam deuote mulieris deuouerunt eum beato Dominico. Quo facto, uix etiam uoto emisso, puer euomuit anulum sanguinolentum in longu<l>um recuperata penitus sanitate.

37. Eadem die et anno in parrochia Sancti Petri Honorati fuit quedam puella quasi .xv. annorum Aeliesa nomine que usum lingue quoad loquelam omnino amisit, et propter curationem in ciuitate sua rothomagensi multa de consilio amicorum suorum sanctorum et sanctarum petiuit limina nec profecit. Tandem ad reliquias beati Dominici ueniens facta oratione et oblatione loquelam ilico recuperauit.

38. Apud Bondeuillam uersus Fiscannum fuit quedam mulier que os quoddam cum poreta sua satis magnum ignoranter sumpsit, quod ita fortiter gutturi inhesit quod nec inducere illud poterat nec cibum nisi in liquida substantia sumebat, et fere deficiebat. Factis autem uotis ad plures sanctos, uidens se in nullo proficere, de consilio cuiusdam alterius ad beatum Dominicum se deuouens statim usum comedendi recepit et dolorem pristinum amplius non sensit; et interiecto temporis spatio, doloris anterioris oblita, os illud quod tam diu gutturi suo inheserat absque humano adminiculo in manu sua cecidit, plena sanitate secuta. Hec omnia dicta mulier cum marito, adiunctis sibi pluribus promiscui sexus, in ecclesia fratrum coram pluribus fratribus et plurimorum testimonio uicinorum asseruit esse uera. Habebat etiam in societate quandam mulierem cum paruulo et patre. Qui emisso uoto ad sanctum dei Dominicum, uxor eius a quartana febre et puer a terciana fuerunt protinus liberati. Hec facta sunt circa natiuitatem beati lohannis baptiste anno domini .m.cc.lxvi. predicto.

39. De parrochia de Soteuilla iuxta Rothomagum uir quidam nomine Guillelmus le Pilouer, quem grauis dolor gutte in uia sancti lacobi arripuit, uouit se beato Dominico et fuit continue liberatus.

40. Quedam mulier de Bosco Guillelmi cuius filius grauiter infirmabatur uouit eum beato Dominico et continue recepit sanitatem, et inde gratias deo et sancto referens obtulit in altari beati Dominici pallam unam.

41. In domo sororum ordinis beati Dominici rothomagensi soror quedam iuuencula Perrera nomine, neptis fratris Gaufridi de Belloloco, graui manus circa nodum percussa est morbo, inualescenteque molestia morbus usque ad totum brachium, postremo usque ad spatulam, grauiter se infudit. Adhibitis igitur per cuiusdam sororis, magistre sue, sollicitudinem multis et uariis medicorum remediis non solum non conualuit, quinimmo morbus fortius inualescens continue augebatur et in tantum postremo inualuit quod brachium emortuum et omnino inualidum remansit. Desperantibus igitur de puelle conualescentia medicis, uidens prefata soror humana omnino deesse iuuamina se contulit ad diuina. Unde de consilio et licentia confessoris sui puellam deo et beato patri Dominico deuotione qua potuit tradidit et deuouit. Dum autem cum puella haberet colloquium ipsam monendo et instruendo qualiter a priorissa peteret licentiam beato Dominico se uouendi, subito manum extendit quam ante tanquam penitus inualidam nec ad modicum mouere ualebat. Quo uiso dicta soror tanto repleta est gaudio pariter et stupore quod pêne nesciret quasi extra se posita ubi esset. Cum autem puellam ad

priorissam perduxisset sanum brachium inuenerunt. Congregato igitur conuentu sorores campanam pulsauerunt et deo gratias agentes Te deum laudamus deuotis mentibus cantauerunt. Interim autem dum cantarent puella flexis genibus salutationem beate uirginis frequenter repetens formicationes quasdam in braçhio sentiebat. Finitis autem a sororibus Te deum et a puella centies salutatione uirginea, repertum est brachium ab omni infirmitate totaliter liberatum, omnibus prorsus doloribus effugatis. Hec autem a priorissa dicti loci et a predictis, puella scilicet de qua agitur et magistra eius, fide per omnia dignis, audiui et scripto fideliter commendaui. Actum est hoc anno gratie .m.cc.lxx.

MIRACLES DE SAINT DOMINIQUE RECUEILLIS À LA DEMANDE DE MAÎTRE BÉRENGER
(p. 1571-1594)

Miracula sancti Dominici mandato magistri Berengarii collecta, éd. Simon Tugwell, *MOPH* 26, Romae : Apud Institutum Historicum Ordinis Fratrum Praedicatorum Historica, 1997, p. 111-126.

Incipit legenda de miraculis beati Dominici.

Qualiter beatus Dominicus fratrem Petrum Celani misit Lemouicas, cui ipsius meritis cuncta prospere successerunt. i.

Qualiter beatus Dominicus dum oraret a terra diuinitus eleuatus fuit. ii.

Qualiter beatus Dominicus claruit spiritu prophetie et duobus scolaribus apud Bononiam secreta cordium reuelauit. iii.

De tunica fratris minoris quam reintegrauit, que a cane fuit lacerata. iiii.

Qualiter beatus Dominicus mulieri maledicenti miraculose loquelam abstulit et miraculose restituit. v.

De gratia quam beatus Dominicus impetrauit cuidam nobili uirgini Romane in fauorem propositi uirginalis. vi.

De muto cui per merita beati Dominici fuit loquela restituta in prouincia Dacie. vii.

De quodam puero meritis beati Dominici a mortis periculo conseruato. viii.

De puero suscitato apud Esculum ad tactum dentis beati Dominici. ix.

De manu cuiusdam fratris sanata. x.

De puella que beati Dominici meritis in uirum mutata est. xi.

Qualiter nouitius quidam per Christi gratiam et merita beati Dominici fuit in ordine confirmatus. xii.

De quodam preposito Ungaro per beati Dominici merita suscitato. xiii.

De puella suscitata in eisdem partibus cum aqua lotionis <digiti> beati Dominici. xiiii.

De puero trucidato qui fuit per beatos Dominicum et Petrum martirem suscitatus. xv.

Qualiter puella quedam de Dacia per beati Dominici merita a nacta curata <est>. xvi.

De puero suscitato per merita beati Dominici apud Ganzanicum. xvii.

De aqua putei turbida que ad benedictionem beati Dominici clara effecta est. xviii.

De pena et curatione illius qui beati Dominici festum celebrare noluit. xix.

Hec que de beato patre nostro Dominico hic conscripta sunt, siue in ipsius uita peracta meritis eius siue post mortem, non sunt in aliqua de legendis eius. Sunt tamen scripto fideliter commendata, ne a filiis ipsius et deuotis ignorentur aut obliuioni tradantur que diuina potentia per tanti patris merita dignata est operari. Sunt autem collecta et scripta de mandato uenerabilis patris Berengarii, magistri ordinis fratrum predicatorum.

1. *Qualiter beatus Dominicus fratrem Petrum Celani misit Lemouicas, cui ipsius meritis cuncta prospere successerunt.*

Cum beatus Dominicus fratres per mundum dispergeret fratrem Petrum Celani, ciuem Tolosanum, misit Lemouicas ut acciperet ibi conuentum. Cumque frater ille ignorantiam et

librorum penuriam allegaret, nam unum solum quaternum de omeliis beati Gregorii tantum habebat, respondit pius pater, cuius cor erat fiduciam habens in domino, Vade inquit fili et confidenter uade, omni die bis habebo te coram deo. Et ne dubites, multos acquires domino et afferes fructum multum. Cresces et multiplicaberis et dominus erit tecum. Qui post modicum tempus Lemouicas <ueniens> ab episcopo et capitulo Lemouicensis ecclesie benigne receptus fuit, locum ad habitandum recepit et multis habitum sanctum dedit. Et in terra sicut unus de prophetis antiquis apud clerum et populum in magna reuerentia et honore consenuit. Et sicut ipse frater Petrus postmodum suis familiaribus enarrauit, quando intus uel extra aliqua angustia artabatur, inuocabat beatum Dominicum, reducens ad memoriam promissum suum, et omnia ei prospere succedebant. Hic post beatum Dominicum primus in ordine frater fuit et primus prior Lemouicensis in prouincia Tolosana.

2. *Qualiter beatus Dominicus dum oraret a terra diuinitus eleuatus fuit.*

Beatus pater Dominicus loca orationum et corpora sanctorum libenter et frequenter uisitabat, et dulcedine deuotionis allectus sepe diem iungebat nocti in oratione et contemplatione celesti. Quadam autem die in diocesi Albiensi in uilla que dicitur Castras reliquias beati Vincentii leuite et martiris in quadam ecclesia uisitauit. Celebratis autem missarum sollempniis more suo post missas remansit ante altare in ecclesia orans. Erat autem in illa ecclesia prior frater Matheus Gallicus, uir doctus et prudens. Cum autem iam ascendisset dies et prandium paratum esset et mensa posita, misit prior unum de clericis qui beatum Dominicum uocaret ad prandium. Qui cum intrasset ecclesiam uidit beatum Dominicum totaliter separatum a terra et quasi per medium cubitum in aere eleuatum, tremensque et stupens nuntiauit hoc domino suo. Qui aliquamdiu expectans tandem iuit et quasi per unum cubitum eleuatum uidit et tanto tempore expectauit quousque a celesti habitatione reuertens ad incolatum corporeum ante altare prostratus iacuit. Hoc uidens predictus prior post modicum tempus suo abrenuntians prioratui beatum Dominicum est secutus, panem uite et aquam celi sibi et omnibus quos recipiebat promittentem. Hunc enim modum tenebat semper beatus pater Dominicus quando fratres recipiebat et eis habitum dabat. Hic est enim frater Matheus qui fuit postmodum primus et nouissimus in ordine nostro abbas. Hunc misit beatus Dominicus Parisius quando fratres dispersit de Tolosa, cum fratre Bertrando de Gariga de prouincia Prouincie cum litteris summi pontificis ad publicandum ordinem confirmatum, qui fuit primus prior Parisiensis et primus prior prouincialis Francie.

3. *Qualiter beatus Dominicus claruit spiritu prophetie et duobus scolaribus apud Bononiam secreta cordium reuelauit.*

Antiquus quidam et ualde deuotus uir, ciuis Bononie, sepe fratribus et secularibus referre consueuerat quod, dum ipse iuuenis esset et magnam deuotionem haberet ad sanctum Dominicum tunc temporis Bononie commorantem, quadam die ipse beatus Dominicus ire debebat ad predicandum ad quandam ecclesiam ciuitatis. Et licet esset beatus pater Hispanus, nichilominus clare et expedite in omni uerbo suo ibi intelligebatur a populo. Populus autem Bononiensis propter ipsius eximiam sanctitatem et uerba gratiosa et fructuosa plurimum, que ei Christi contulerat gratia, ita eum auide audiebat quod, quando sciebat ipsum ire debere ad predicandum, non ipsum ad locum predicationis ut moris est preueniebat, sed omnes primo ueniebant ad ecclesiam sancti Nicolai, ubi habitabat beatus Dominicus cum fratribus, et ibi eum cum mira deuotione recipientes ipsum usque ad locum ubi predicare debebat cum reuerentia deducebant. Cum igitur ille qui hec retulit simul cum populo uenisset ad ecclesiam sancti Nicolai ad excipiendum beatum patrem, eo teste uidente et audiente, duo scholares accesserunt ad ipsum

beatum Dominicum, quorum unus dixit ei, Obsecro domine oretis pro me dominum ut michi remittat peccata mea. Ego enim de meis culpis prout michi uidetur doleo et omnia peccata mea que in memoria habui confessus sum. Tunc beatus Dominicus accedens ad altare breuem fecit orationem et rediens ad scholarem ait, Confide in domino et perseuera in dilectione eius, quia ipse tibi omnia peccata remisit. Tunc scholaris alius socius illius hoc audiens dixit, Rogo pater ut etiam pro me oretis, quoniam et ego mea peccata confessus sum. Beatus autem Dominicus rursum ad altare rediens orauit et post breuem orationem dixit illi, Fili noli incaute in tui ipsius detrimentum illudere deo. Nam confessionem de tuis peccatis imperfectam fecisti. Unum enim peccatum propter erubescentiam tacuisti. Et trahens ipsum ad partem dixit ei peccatum quod ille erubuerat confiteri. Cui ille, Ignosce michi pater, quoniam per omnia ita est ut dixisti. Et expeditis hiis que pro illius erant directione necessaria discedens inde ad stationem preordinatam simul cum populo ipsum prestolante processit.

4. *De tunica fratris minoris quam reintegrauit, que a cane fuit lacerata.*

Narrauit frater quidam conuersus ordinis fratrum minorum Albertus nomine apud Mathelicam in Marchia Anconitana quod, dum ipse iret cum beato Dominico ultra montes, canis quidam magnam partem tunice fratris illius cum dentibus lacerauit. Tunc beatus Dominicus, quia in tali erant loco ubi filum et acum habere non poterant ad suendum, accipiens lutum liniuit super fracturam tunice et partes diuisas ab inuicem cum luto reintegrauit. Cumque prosequentibus ipsis ceptum iter per uiam fuisset exsiccatum lutum, frater ille inde ipsum amouit manibus confricando. Quo facto sic reunita et reintegrata illa scissura apparuit ac si tunica ipsa numquam lacerata fuisset.

5. *Qualiter beatus Dominicus mulieri maledicenti miraculose loquelam abstulit et miraculose restituit.*

Idem frater Albertus de ordine fratrum minorum, de quo superius facta est mentio, retulit quod, dum esset cum beato Dominico uadens cum eo Tolosam et peruenissent ad locum quendam in finibus Lombardie, oportuit eos ad comune hospitium cum quibusdam secularibus declinare. Cumque sederent ad mensam, ceteris recipientibus carnes quas apposuerat hospita, beatus Dominicus una cum sociis carnes recipere recusauit. Illa igitur uidens beatum Dominicum cum sociis modico uino uti soloque contentari pane, unde edificari ad penitentiam debuit, inde maximam indignationem ostendit, eo quod de ipsius et sociorum fratrum prandio se parum lucrari posse iudicauit. Deique timore postposito in seruum Christi uerbis iniuriosis et stomacantibus insurrexit. Cumque beati uiri humilitate et benignis responsis placari non posset, sed iterum atque iterum ipsum iniuriis et contumeliis lacesseret nec precibus uel persuasionibus astantium ei posset imponi silentium, beatum patrem rogauerunt omnes ut oratione sua tanto furori remedium adhiberet. Tunc beatus pater, zelo dei non cordis amaritudine prouocatus, utpote qui erat in tribulationibus indefessus, ait, Ut discas filia seruos dei caritatiue recipere et, pro eo quod tali domino seruiunt, ab eorum de cetero iniuriis abstinere, rogo dominum Ihesum Christum ut tibi imponat pro tua correctione silentium. Statim ut beatus pater uerba compleuit, mulier muta totaliter est effecta, nec umquam potuit uerbum loqui ulterius usque ad beati Dominici reditum de Tolosa. Qui post octo menses Bononiam rediens et inde transitum faciens inuenit eam penitus loqui non posse. Que uiso beato Dominico eius pedibus humiliter prouoluta cum lacrimis misericordiam postulauit. Qui facta breui oratione signum <crucis> Christi super os eius fecit et confestim solutum est uinculum lingue eius.

6. *De gratia quam beatus Dominicus impetrauit cuidam nobili uirgini Romane in fauorem propositi uirginalis.*

Nobilis quidam ciuis Romanus filiam habuit nomine Stephaniam deo et beato Dominico ualde deuotam, que glorie celestis amore desiderabat uirginitatem suam usque in finem uite illibatam ad saluatoris reuerentiam conseruare. Ipse autem pater uirginis uolebat ipsam omnino quantumcumque renitentem uiro magno et nobili in matrimonio copulare. Cumque nobili cuidam Romano die quadam uirginem promisisset essetque iuxta promissum patris in crastino desponsanda, nocte precedente desponsationis diem totam se ad beatum Dominicum contulit ipsum deuotis lacrimis interpellans, quem deuotum patronum habebat, ut tale ei a domino remedium impetraret quod sponsum alium preter Christum habere non posset. Beatus uero Dominicus nocte ipsa celeste ei remedium procurauit. Nam labium inferius oris eius ipsa nocte diuina operatione sine dolore uel effusione sanguinis scissum fuit, propter quod inferiores dentes cum deformitate quadam pro magna parte discooperti erant, propter quod oportuit eam omni tempore uite sue labium habere uelatum. Mane facto donum quod a beato Dominico receperat cum multa letitia ostendit patri. Qui dei beneplacitum in miraculo uidens filie propositum approbauit. Vixit autem prefata domina annis multis et peruenit ad uenerabilem senectutem, conseruans perpetuo uirginitatis propositum ad Christi seruitium et honorem. Deuotionem uero quam in pueritia conceperat ad beatum Dominicum aduocatum et patronum suum augmentis continuis ampliauit, fratresque eius ordinis per castrum Insule transitum facientes, ubi habitabat, iuxta Romam ad sex miliaria, pro ipsius amore semper suscepit hospitio et uelut karissimos suos caritatiue et honeste tractauit.

7. *De muto cui per merita beati Dominici fuit loquela restituta in prouincia Dacie.*

Cum in uigilia beati Dominici reuerendus uir frater Oliuerus tunc prior prouincialis Dacie in conuentu Nestuicensi populo predicaret, contigit puerum quendam seruum predicti conuentus, qui ex infirmitate quadam per decem annos ita mutus fuerat quod omnino loqui non poterat, predicationi huiusmodi interesse. Qui, quamuis mutus accidentaliter esset, clare tamen ut prius solitus fuerat audiebat. Cum autem prouincialis prefatus quedam beati Dominici miracula recitaret, mutus ille ad beatum Dominicum ampliori deuotione concepta orauit statim ipsum intra se ut qui indigentibus multis beneficia tot et tanta contulerat sibi etiam in necessitate sua pietate solita dignaretur adesse. Facto autem uoto quodam ad eum continuo, antequam predicatio finiretur, soluto lingue uinculo, a beato Dominico recepit liberaliter quod fideliter postulauit. Primum autem uerbum quod protulit tale fuit : Benedictus deus et beatus Dominicus seruus eius, cuius meritis michi est restituta loquela.

8. *De puero quodam meritis beati Dominici a mortis periculo conseruato.*

Nobilis quidam miles de Apulia ob reuerentiam quam habebat ad beatum Dominicum omnes fratres predicatores per castrum suum iter facientes suscipiebat hospitio pro eo quod fratres non habebant domum in ipso loco. Habebat autem in sua camera ymaginem beati Dominici pictam in lignea tabula, quam parieti camere contra lectum appensam tenebat. Cum igitur quodam mane cum uxore et tota familia in ecclesia missam audiret et filius suus puer paruulus quem habebat unicum remansisset in lecto, palatium eius subito corruit et dissipatum fuit. Currunt omnes ad triste spectaculum, repertumque est omnes de familia sua euasisse periculum quia foris erant excepto puero filio unico, quem omnes uelut mortuum flere ceperunt, quem putabant sub ruina perisse. Ut autem corpus eius tradere possent sepulture positi sunt operarii multi ad remouendum lapides de aceruo magno ut tandem mortuum reperirent. Cumque

pre multitudine lapidum diutissime laborassent, tandem inclinata iam die inuenerunt tabulam ubi erat ymago predicta beati Dominici, que recta stans apodiata ad pedem parietis in fundamento domus sub se habebat puerum nudum iocundum et letum, qui nullum detrimentum habuerat uel timorem, cum tamen de solario eminenti cum toto palatio usque ad fundamenta domus cum ipsa tabula cecidisset. Dicebatque se nichil habuisse terroris, quia per beatum Dominicum fuerat confortatus.

9. *De puero suscitato apud Esculum ad tactum dentis beati Dominici.*

Quando corpus beati Dominici translatum fuit translatione secunda, que fuit anno domini m°cc°lx°iiii° tempore uenerabilis patris fratris Iohannis Vercellensis magistri ordinis fratrum predicatorum, frater Franciscus Esculanus socius predicti magistri dentem unum beati Dominici clam accepit nemine aduertente, quem postea de ipsius magistri licentia dedit conuentui Esculano, ubi multa miracula facta sunt ad ipsius dentis contactum, de quibus duo hic posita sunt.

Mulier quedam de Esculo in canali molendini iuxta ecclesiam beati Dominici cum mulieribus pluribus pannos lauabat, filium autem suum paruulum <Franciscum nomine> secum adduxerat, quem solum domi relinquere dubitauit. Cumque suo intenta esset operi, puerulus super canale ludens in aquam cecidit et suffocatus est, fuitque sub aque cursu usque ad molendini rotas deductus et fortiter sub aqua pressus a rotis. Audiens mater periculum filii cum mulieribus ceteris cucurrit ad rotas et uiolenter de sub rotis filium eleuauit. Videnque eum motu sensuque carentem, ipsum per pedes diu tenuit eleuatum capite pendente deorsum, ut sic aqua qua plenus erat euomita mortis periculum euadere posset. Cumque eiecta omnis aqua fuisset e corpore, puer ueraciter apparuit mortuus, nullum penitus uestigium uite habens. Matre uero ubertim flente uoluerunt que astabant et conuenerant matrone ut mortuum puerum faceret sepeliri. Illa autem fideli mente recogitans quod in propinquo erat ecclesia fratrum predicatorum, ubi esse audierat dentem beati Dominici, ad quem facta erant multa miracula, ait, Non sepelietur filius meus, immo ipsum uolo ad beati Dominici deferre reliquias, quia spero quod ipsum uiuum et incolumem michi reddet. Eleuans autem in ulnis mortuum magnis uocibus ad ecclesiam beati Dominici properans clamabat, Beate Dominice redde michi filium meum. Quid plura ? Corpusculum mortuum super altare beati Dominici posuit rogauitque fratres ut dentem beati Dominici ponerent super eum. Moti fratres ad deuotionem eius dentem cum multa reuerentia super pueri corpusculum posuerunt. Omnibus autem ibi existentibus orantibus puer qui mortuus fuerat subito reuixit. Sicque mater quem attulerat mortuum beati Dominici meritis reportauit uiuum.

10. *De manu cuiusdam fratris sanata.*

Prior quidam Esculani conuentus frater Bonannus nomine, uir honorabilis et sollempnis, lapidem pro altari beati Dominici preparari faciebat. Cumque iam eleuari deberet et super altare poni, ipse prior manus cum ceteris ad eleuandum lapidem posuit. Sed uno ex magistris incaute agente mensa altaris de rotulis in terram cecidit, omnibusque subito summouentibus manus, solus prior manum unam remouere non potuit, que a lapide dure oppressa fuit et quatuor digiti manus ipsius sic fuerunt a lapide confracti et lacerati quasi ferreo fuste cesi fuissent. Eleuato mox lapide uisoque manus periculo mandauit prior statim dentem beati Dominici super digitos lesos apponi. Quo facto sic fuit statim perfecte curatus quod nullum in digitis remansit uestigium lesionis.

Post hec pluribus annis elapsis, dum prefatus magister Iohannes Vercellensis esset Parisius et ab illustri rege Francie domino Philippo filio sancti Lodouici regis rogaretur instanter ut ei daret de ossibus beati Dominici, ad quem magnam deuotionem habebat, idem magister, cum

aliunde habere non posset, fecit ei dentem predictum deferri Parisius, quem rex in suarum reliquiarum thesauro reposuit reuerenter. Et ne conuentus Esculanus ex hoc detrimentum pateretur, dedit ei pro commutatione unam spinam de pretiosa Christi corona quam habebat et habet domus Francie.

11. *De puella que beati Dominici meritis in uirum mutata est.*

Narrauit uenerabilis pater frater Munio Yspanus magister ordinis fratrum predicatorum quod in Yspania fuit quedam nobilis et honesta domina deum timens et beatum Dominicum et ordinem suum in speciali reuerentia habens. Que cum uirum haberet et sterilis esset, affectabat quamplurimum habere filium in predicatorum ordine diuinis obsequiis mancipandum, propter quod beatum Dominicum deuotis interpellabat precibus filium petens et uoto promittens quod ipsum in ordine poneret quamcito ad debitam peruenisset etatem. Concepit ergo et peperit indubitanter tenens quod filium peperisset. Cumque de hoc in immensum gauderet, tandem ab obstetricibus didicit quod filiam peperisset. Quo pro certo comperto uehementissime doluit et assumpta fiducia ad deprecandum iterum patronum suum beatum Dominicum querelosis uocibus se conuertit dicens, O beate Dominice, pro tali te rogaueram prole que apta esset et posset deo in ordine tuo seruire. Sed heu dedisti michi pro masculo feminam et sic a spe mea frustrata permaneo et uotum emissum nequeo adimplere. Rogo te igitur ut clementer me audias et partum, quem te impetrante infecunda concepi, ad meum complendum desiderium ydoneum facias. Credo enim quod tanti sis meriti apud deum quod quicquid ab ipso petieris obtinebis. Quo dicto uocat ad se obstetrices et famulas et quasi de sua exauditione certior reddita, Portate huc inquit infantulum ut quod prius affirmabam de illo ita nunc esse in oculis uestris manifestius comprobetur. Qui coram matre portatus stupentibus omnibus masculus est inuentus. Tunc ait illa, Ecce uerum est, quod dicebam aspicitis. Ecce nouo et inaudito miraculo magnificauit dominus beatum Dominicum sanctum suum, feminam mutando in uirum ipsius precibus et meritis gloriosis. Prudens igitur domina pro tam excellenti dono gratias agens deo et beato Dominico infantulum proprio lacte nutriuit et toto tempore quo fuit in domo paterna moribus bonis imbuit, deum timere docuit, litteris erudiri fecit et ab omni uia mala ipsum sollicite custodiuit. Circa uero duodecimum annum bene instructum in ordinem fratrum predicatorum posuit, in quo usque ad uicesimum quintum sue etatis annum in sancta religione uixit, apud deum et homines gratiosus. In qua etate deuote in ordine moriens migrauit ad Christum.

12. *Qualiter nouitius quidam per Christi gratiam et merita beati Dominici fuit in ordine confirmatus.*

Retulit uenerabilis pater frater Bernardus magister ordinis fratrum predicatorum quod fuit quidam nouitius in Wasconia in eodem ordine, qui in seculo multum fuerat delicatus, ad beatum autem Dominicum specialem habens deuotionem singulis diebus ac noctibus altare ipsius cum multa reuerentia uisitabat. Cumque per plures menses uitam ordinis fuisset expertus et ei, quia delicatus erat iuuenis, nimis difficilis et aspera uideretur, deliberauit ignorantibus fratribus redire ad seculum. Nocte uero quadam post matutinas, cum nullum fratrem in ecclesia conspexisset, accepit claues ecclesie ut quod deliberauerat adimpleret. Sed antequam ad aperiendum portam accederet, ante crucifixum qui in medio ecclesie erat et ante altare beati Dominici cum quadam reuerentia genu flexit, quasi ab eis licentiam accepturus. Deinde, cum peruenisset ad portam ecclesie ut aperiret illam, uidit ante se iuxta portam crucem quam tunc adorauerat cum ymagine crucifixi et post se fratrem unum qui a tergo sequebatur eum. Quo uiso territus retro cessit. Et cum crucifixum in loco suo conspiceret et fratrem nullum uideret in ecclesia, ait intra se, Ista quedam uisio ymaginaria fuit, non debui propter huiusmodi uisionem dimittere quin abirem. Et

rursum ad portam rediens crucifixum ante portam stare uidit ut prius et fratrem a tergo sequentem. Cumque tante temeritatis et obstinationis fuisset ut sub brachio crucis se inclinaret ut inde transiret et contra tam miram Christi gratiam conaretur, subito manus crucifixi a cruce remota fortissimam ei alapam dedit. Et continuo disparuit uisio. Vexatione igitur et dolore dante auditui intellectum iuuenis ille rediens ad cor suum cognouit suum propositum malum Christo et beato Dominico displicere didicitque illum fuisse beatum Dominicum qui a tergo sequebatur eum. Dei enim gratia confortatus professionem in ordine fecit, in quo de cetero consolatus uitam ipsius ordinis dulciter sustinuit et in seruitio Christi usque in finem uite deuotus perseuerauit.

13. *De quodam preposito Ungaro per beati Dominici merita suscitato.*

Narrauit frater Nicolaus de Castro Ferreo de prouincia Ungarie, diffinitor capituli generalis apud Bononiam celebrati anno domini m°ccc°xv° tempore Berengarii magistri ordinis, quod dum ipse frater Nicolaus esset prior in Sumlu, in loco ubi est digitus beati Dominici, quidam prepositus de Alba Regali Stephanus nomine die quadam uespertina hora uehementi dolore uexatus tandem in doloribus expirauit. Dum autem funeralia pararentur et sequenti die esset sepulture tradendus, quidam de astantibus dixit, Si portaretur huc digitus beati Dominici, spero quod per ipsius merita dominus ei uitam donaret. Tunc miserunt ad priorem prefatum predictam gratiam instantibus precibus postulantes. Fratres autem iam intrauerant ad quietem. Prior igitur compassione motus, nam ille defunctus specialis ordinis amator fuerat, et de beati Dominici pietate confisus, conuocato conuentu fratrum cum processione sollempni et luminaribus magnis in calice digitum beati patris Dominici illuc detulit, ubi iacebat defunctus. Facta autem per omnes oratione ad beatum Dominicum lauit prior digitum in aqua que in calice posita fuit et aperto ore defuncti aquam lotionis illius in os eius infudit in nomine Christi et beati Dominici. Cum uero aqua descendit ad guttur continuo qui mortuus fuerat resurrexit et euomuit durissimum lapidem per os magnitudinis amplioris quam sit ouum galline, qui quidem lapis fuerat in ipsius renibus generatus, ex quo causati dolores extiterunt, propter quod mors fuerat subsecuta. Fuit igitur in eodem uiro eadem hora duplex miraculum, unum quia fuit de morte reuocatus ad uitam, aliud quod lapis tante magnitudinis per os potuit faciliter eici absque oris aut gutturis lesione.

14. *De puella suscitata in eisdem partibus cum aqua lotionis digiti beati Dominici.*

Idem frater Nicolaus prefato patri magistro scilicet Berengario, retulit in eodem capitulo generali quod, cum prior esset in predicto conuentu, cuiusdam uiri deuoti filia annorum circiter xii mortua est in loco qui a conuentu illo de Sumlu fere per dietam unam distabat. Cum autem mane sepeliri deberet prout disposuerant consanguinei et amici, pater puelle de beato Dominico spe concepta dixit se prius uelle personaliter ire in Sumlu ad digitum beati Dominici et aquam lotionis eius deferre, sperans quod beatus Dominicus eius filiam suscitaret. Mandauitque suis ut usque ad ipsius reditum corpus filie sue sepulture non traderent. Iuit igitur cum magna fiducia et aquam lotionis digiti secum in uasculo reportauit. Sed dum moram propter loci distantiam faceret, consanguinei ceteri nolentes amplius expectare corpus puelle ad ecclesiam deportabant. Quibus in uia obuiauit pater defuncte clamans et arguens illos, quia ipsius reditum expectare noluerant. Fecitque in uia deponi feretrum et discooperta puelle facie apertoque ore ipsius cum uiolentia magna aquam quam attulerat in os eius infudit. Quo facto defuncta illa fuit uite et sanitati protinus restituta.

15. *De puero trucidato qui fuit per beatos Dominicum et Petrum martirem suscitatus.*

Nobilis quidam in prouincia Prouincie ad beatos Dominicum et Petrum martirem maximam habens deuotionem, cum per annos plurimos filium habere non posset, ipsos pro hac re deuote inuocans eorum meritis filium impetrauit, ob quam causam deuotionem quam ad ipsos ante habuerat ampliauit. Quodam autem sero inimicus humani generis, qui eius piis actibus inuidebat, in forma peregrini ei affuit et humili uoce hospitio recipi pro amore beatorum Dominici et Petri martiris postulauit. Qui statim caritatiue susceptus est. Mane autem, dum mater pueri iuisset ad ecclesiam, dyabolus puerum in lectulo suffocauit et in frusta concidens membra eius in olla posuit, que ad ignem posita fuerat, et abscessit. Que cum fuissent ab ancilla reperta et in alio uase posita et ostensa matri, noluit mater ut sepelirentur membra, sed mandauit ancille ut secretum nemini panderet et in loco secreto ea posuit et beatorum Dominici et Petri martiris auxilium lacrimosis precibus inuocabat. Die uero sequenti patre pueri ignorante casum, dum hora prandii affuisset et nobilis ille ad prandium suum forenses socios non haberet, respiciens per fenestram uidit duos fratres ordinis predicatorum uenientes ad castrum mittensque uelociter puerum fecit eos ad prandium uocari. Erant autem duo fratres in deuoto admodum et reuerendo aspectu. Cumque mandaret uir ille aquam ad manus dari, quia hora erat prandii, dixerunt fratres nullatenus se commesturos nisi eis primo pulchriora iocalia que habebat ostenderet. Tunc uir ille uxorem suam aduocans dixit ei, Vade et adduc filium nostrum paruulum, quoniam non habemus iocale pulchrius illo. Que timore et dolore perterrita quid ageret pre tristitia nesciebat. Tunc senior ex fratribus ait ei, Vade secura nichil curans, quia dominus te consolabitur cito. Illa uero concepta de deo fiducia membra pueri in uasculo detulit. Cumque pater stuperet pariter et horreret, fratres prefati componentes suo ordine membra defuncti, consignantes ipsum, statim uite et sanitati eum restituerunt, nullum habentem uestigium lesionis. Narrantes autem breuiter quod peregrinus ille diabolus fuerat, qui sic frustatim conciderat filium, ipsorum amborum meritis a domino impetratum, ut ipsum et uxorem ab eorum deuotione reuocaret, continuo disparuerunt dicentes quod antiquior ex ipsis erat beatus Dominicus, alter uero erat beatus Petrus martir de ordine eius. Sicque factum est dei uirtute ut beatorum Dominici et Petri martiris honor cresceret, quem malignus spiritus sua caliditate procurauerat impediri.

16. *Qualiter puella quedam de Dacia per beati Dominici merita a nacta curata est.*

Vidua quedam nobilis de regno Dacie dyocesis Wibergensis, Cecilia nomine, filiam habebat unicam. Que cum ad etatem nubilem peruenisset, tradi uiro non poterat qui sue nobilitati congrueret, eo quod glandula una, que alio nomine nacta dicitur, quam ab infantia in maxilla habuerat et ad magnitudinem fere oui galline excreuerat, eius faciem multipliciter deformabat. Et cum multa attemptata fuissent remedia, nullatenus poterat liberari. Mater igitur de puelle nuptiis et liberatione desperans quid ageret ignorabat. Cum igitur deuote quedam persone matri persuasissent et filie ut ad beatum Dominicum recursum habentes in proximo ipsius festo ecclesiam eius de Wibergis deuote uisitarent eius implorature super huiuscemodi tribulatione remedium, ad prefatum locum in dicti festi uigilia cum multa fiducia peruenerunt. Accedentes autem ad altare eius et se ei humiliter commendantes emiserunt uotum quod uigiliam ipsius in pane et aqua perpetuo ieiunarent, si eis quam postulabant gratiam impetraret. Et dum mane facto, die scilicet festi eius, missam de ipso simul ambe cum multa deuotione audirent, subito ante misse terminationem nacta illa de puelle facie sic ex toto euanuit quod neque cicatrix neque indecentie cuiusquam uestigium in facie puelle remansit. Deo autem et beato Dominico gratias exhibentes obtulerunt dicto conuentui pro sacerdote, dyacono et subdyacono, paramentum sollempne, ne miraculum elaberetur de memoria posterorum.

17. *De puero suscitato per merita beati Dominici apud Ganzanicum.*

Puer quidam paruulus apud Ganzanicum Bononiensis dyocesis dum super ripam fouee ludens deambularet incautus in aquam fouee illius cecidit et suffocatus est. Cumque requireretur a matre et inueniri non posset, nuntiatum illi a quodam fuit quod ipsa die uisus fuerat iuxta foueam ambulare. Descendens autem uir unus in foueam corpusculum sub aqua repperit et mortuum eleuauit. Flens igitur mater irremediabiliter pro morte filii, corpus eius ad domum propriam detulit et post multas lacrimas de beati Dominici uirtutibus memor effecta, de quo multa et magna audierat narrari miracula, ipsum beatum patrem fideliter inuocauit. Emisso autem uoto exaudita est oratio eius. Statimque filium quem mortuum fleuerat beati Dominici meritis recepit rediuiuum.

18. *De aqua putei turbida que ad benedictionem beati Dominici clara effecta est.*

Contigit quodam tempore beatos patres Dominicum et Franciscum pro suorum institutione et augmento ordinum per Lombardiam euntes simul esse Cremone. Et cum beatus Dominicus beatum Franciscum in suo uisitasset loco simulque ambo ut eorum moris erat de spiritualibus loquerentur, fratres quidam de ordine beati Francisci accedentes ad ipsos dixerunt, Cum in loco isto aquam claram non possimus habere, rogamus uos patres nostros seruos dei altissimi ut oretis dominum quatenus putei nostri aquam sanare dignetur, que turbida est et corrupta. Cumque patres sanctissimi se inuicem aspicerent et pro responsione facienda unus alterum inuitaret, beatus Dominicus dixit fratribus, Haurite de aqua ipsa et afferte nobis. Cum autem eis attulissent in uasculo et, ut ipsi dixerant, corrupta uideretur et turbida, beatus Dominicus dixit beato Francisco, Benedic pater aquam istam in nomine domini. Beatus autem Franciscus respondit, Benedic eam tu pater, quoniam maior es. Et cum diu pia reluctatione honore se inuicem preuenissent, beatus Dominicus coactus a beato Francisco signum crucis super uasculum aque dedit et iussit ut aqua illa benedicta statim funderetur in puteum. Quo facto iussit hauriri. Que confestim ab omni turbulentia purgata clarissima effecta est ipsamque sinceritatem usque in hodiernum diem operante domino conseruauit.

19. *De pena et curatione illius qui beati Dominici festum celebrare noluit.*

Dum beati Dominici festum deuote celebraretur a populo in regno Dacie per totam dyocesim Ottoniensem essetque a dyocesano mandatum ut nullus in ipso festo operari presumeret, sed omnes sollempnitati tanti patris intenderent, contigit multos in dyocesi Ottoniam uenientes ad festum transitum facere per locum qui dicitur Uluerslef in uigilia dicti festi. Unus autem de incolis loci, qui in agro cum familia et messoribus erat, uidens populum inde confluere cateruatim et audiens quod ad beati Dominici festum ibant, non solum ipse ire ad festum noluit, sed festum et euntes ad ipsum subsannare cepit et mandauit familiaribus suis ut nullus ob hanc causam cessaret ab opere. Post moram modicam ipsa die tantus eum languor arripuit quod uiribus totius corporis perditis oportuit ut per aliorum ministerium poneretur in lecto. Et cum multa quesisset remedia nullis omnino iuuari potuit, sed penitus impotens toto anno in lecto decubuit, a quo nullatenus surgere potuit, nisi ab aliis iuuaretur. Reuoluto anno, dum in uigilia beati Dominici audiret multos inde transitum facere qui ad festum ibant, recordatus est quoniam precedenti anno in uigilia prefati festi fuerat infirmatus pro eo quod et festum et euntes ad illud presumpserat irridere, et culpam suam humiliter recognoscens, nam uexatio auditui intellectum dederat, beatum Dominicum cepit deuote et humiliter inuocare, uouens quod, si <ei> restitueret sanitatem, festum ipsius quamdiu uiueret celebriter custodiret nec in domo sua uel agris

quemquam operari permitteret illa die, et annuatim ecclesiam fratrum eius de Ottonia honorabiliter uisitaret. Voto emisso statim beati Dominici meritis liberatus fuit et stupentibus omnibus, qui eius infirmitatem sciuerant, iuit ad festum gratias agens deo et beato Dominico qui ei plenam restituerat sanitatem.

CATHERINE DE SIENNE
LE LIVRE DE L'ENSEIGNEMENT DIVIN
(extrait)
(p. 1602-1606)

S. CATERINA DA SIENA, *Il dialogo della divina provvidenza ovvero libro della divina dottrina*, a cura di Giuliana Cavallini, Sienna : Edizioni Cantagalli, 1995 (première édition : Roma : Edizioni Cateriniane, 1968), p. 456-462.

L'anima che con amore à preso il giogo dell'obedienzia de' comandamenti, seguitando la dottrina de la mia Verità per la modo che detto t'ò, con l'esercizio esercitandosi in virtú, di questa generale obedienzia verrà alla seconda con quello lume medesimo che venne alla prima. Perchè col lume della santissima fede arà cognosciuto nel sangue de l'umile Agnello la mia verità : l'amore ineffabile che Io gli ò, e la fragilità sua che non risponde a me con quella perfezione che debbe, va cercando con questo lume in che modo e in che luogo meglio passa rendermi il debito, e conculcare la propria fragilità e uccidere la volantà sua. Raguardando à trovato il luogo col lume della fede, cioè la santa religione. La quale è fatta dallo Spirito santo, posta come navicella per ricevere l'anime che vogliono corrire a questa [176 a] perfezione e conducerle a porto di salute. (...)

Raguarda Benedetto con quanto ordine ordinò la navicella sua.

Raguarda Francesco con quanta perfezione e odore di povertà, con le margarite delle virtú, egli ordino la navicella dell'ordine suo, drizzandogli nella via dell'alta perfezione - ed egli fu il primo che la fece – dando lo' per sposa la vera e santa povertà, la quale, aveva presa per sé medesimo, abbracciando le viltà. Spiacendo a sè medesimo, non desiderava di piacere a veruna creatura fuore della volontà mia ; anco desiderava d'essere avilito nel mondo, macerando il corpo suo e uccidendo la volontà, vestitosi degli obrobri pene e vitoperi per amore de l'umile Agnello, col quale egli s'era confitto e chiavellato per affetto d'amore in su la croce ; in tanto che, per singulare grazia, nel corpo suo apparvono le piaghe della mia Verità, mostrando nel vasello del corpo quello che era ne l'affetto de l'anima sua. Si che egli lo' fece la via. (...)

E se tu raguardi la navicella del padre tuo Domenico, diletto mio figliuolo, egli l'ordinò con ordine perfetto, chè volle che attendissino solo a l'onore di me e salute dell'anime col lume della scienzia. Sopra questo lume volse fare il principio suo, non essendo pero privato della povertà vera e voluntaria. Anco l'ebbe, e in segno che egli l'aveva e dispiacevagli il contrario, lassa per testamento a' figliuoli suoi per eredità la maladizione sua, se essi posseggono o tengono possessione verona, in particulare o in generale, in segno che egli aveva eletta per sua sposa la reina della povertà.

Ma per piú proprio suo obietto prese il lume della scienzia, per stirpare gli errori che a quello tempo erano levati. Egli prese l'officio del Verbo unigenito mio Figliuolo. Drittamente nel mondo pareva uno apostolo, con tanta verità e lume seminava la parola mia, levando la tenebre e donando la luce. Egli fu uno lume che Io porsi al mondo col mezzo di Maria, messo nel corpo mistico della santa Chiesa come stirpatore delle eresie. Perchè dissi « col mezzo di Maria » ? Perchè Maria gli die' l'abito, commesso l'officio a Lei dalla mia bontà.

In su che mensa fa mangiare i figliuoli suoi col lume della scienzia ? Alla mensa della croce ; in su la quale croce è posta la mensa del santo desiderio, dove si mangia anime per onore di me. Egli non vuole che i figliuoli suoi attendino ad altro se non a stare in su questa mensa col lume

della scienzia, a cercare solo la gloria e loda del nome mio ela salute dell'anime. Ed acciò che non attendino ad altro, lo' tolle la cura delle cose temporali, e vuole che sieno povari. Vero che egli mancava in fede, temendo che non fossino proveduti ? Non mancava, chè egli se n'era vestito della fede, ma con ferma speranza sperava nella providenzia mia.

Vuole che osservino l'obedienzia, e sieno obedienti a fare quello per che sono posti.

E perchè il vivere immondamente offusca I'occhio de l'intelletto - e non tanto de l'intelletto, ma di questo miserabile vizio ne manca il vedere corporale - unde egli non vuole che per questo lo' sia impedito il lume, col quale lume meglio e più perfettamente acquistano il lume della scienzia e pero pone il terza voto della continenzia, e in tutto vuole che l'osservino con vera e perfetta obedienzia ; bene che al di d'oggi male s'osservi. Anco la luce della scienzia pervertono in tenebre con le tenebre della superbia : non che questa luce in sè riceva tenebre, ma dà tenebre all 'anime loro. Dove è superbia non puè es sere obedienzia ; e già ti dissi ch'è l'uomo tanto umile quanto obediente e tanto obediente quanto umile. E trapassando il vota de l'obedienzia, rare volte è che non trapassi quello della continenzia e vera povertà.

Si che egli à ordinata la navicella sua legata con questi tre funicelli: con obedienzia, continenzia e vera povertà. Egli la fece tutta reale, non stringendola a colpa di peccato mortale. Alluminato da me, vero lume, con providenzia provide : a quelli che fossino, meno perfetti ; chè, ben che tutti quelli che osservano l'ordine sieno perfetti, non di meno anco in vita è piú perfetto uno che un altro, e perfetti e non perfetti, tutti stanno bene in questa navicella. Egli s'accosto con la mia Verità, mostrando di non volere la morte del peccatore, ma che si convertisse e vivesse. Tutta la fece larga, tutta gioconda e tutta odorifera : uno giardino dilettissimo in sè.

TABLE DES MATIÈRES

Avertissement : ..... p. 3

I. ÉCRITS DE DOMINIQUE

Lettre de réconciliation de Pons Roger ..... p. 5
Sûreté provisoire garantie à Raymond Guilhermy d'Auterive ..... p. 7
Lettre aux moniales de Madrid ..... p. 9

II. MATURATION, NAISSANCE ET DÉPLOIEMENT D'UN ORDRE DE PRÊCHEURS

DOMINIQUE EN ALBIGEOIS

PIERRE DES VAUX-DE-CERNAY, *Histoire albigeoise* (extraits) ..... p. 11
GUILLAUME DE PUYLAURENS, *Chronique* (extraits) ..... p. 13
Témoignages sur des réconciliations d'hérétiques par Dominique ..... p. 17
BERNARD GUI, *Fleurs des chroniques* (extraits) ..... p. 21

UN ORDRE DE PRÊCHEURS

NORMES JURIDIQUES

Du diocèse de Toulouse à l'Église universelle :
ordre de la prédication, ordre des Prêcheurs ..... p. 23
Constitutions anciennes de l'ordre des frères Prêcheurs ..... p. 31

RÉVÉLATIONS

RICHARD DE SAINT-VICTOR, *Commentaire de l'Apocalypse* (extraits) ..... p. 53
JOACHIM DE FLORE, *Commentaires de l'Ecriture* (extraits) ..... p. 55
GÉRAUD DE FRACHET : *Vies des frères, livre I* (extraits) ..... p. 59

LA DISPERSION DES FRÈRES

JACQUES DE VITRY : *Histoire occidentale* (extrait) ..... p. 63
Chronique de Lauterberg (extrait) ..... p. 65
BURCHARD D'URSPERG : *Chronique* (extrait) ..... p. 67
MATTHIEU PARIS : *Grandes chroniques* (extraits) ..... p. 69
RICHER DE SÉNONES : *Chronique* (extrait) ..... p. 71
SALIMBENE DE ADAM : *Chronique* (extraits) ..... p. 73
WALTER DE GISBOROUGH : *Chronique des rois d'Angleterre* (extrait) ..... p. 79
Notes sur l'établissement des frères Prêcheurs dans les pays du nord de l'Europe ..... p. 81

Chroniques de l'ordre
Chronique de Géraud de Frachet ..... p. 83
Chronique d'Humbert de Romans ..... p. 87
GUILLAUME PELHISSON :
Opuscule sur ce que Dieu à accompli à Toulouse et dans sa région ..... p. 93

DOMINIQUE ET LES MONIALES :

Chartes et bulle en faveur de Prouilhe ..... p. 105
Miracles de saint Dominique racontés par sœur Cécile et mis par écrit par sœur Angélique p. 109
BENEDETTO DE MONTEFIASCONE : *La fondation de Saint-Sixte de Rome. Notice historique servant d'introduction au registre des chartes du monastère* ..... p. 121
« Chronique » de Sainte-Agnès de Bologne ..... p. 125
Institutions de Saint-Sixte de Rome ..... p. 131

III. MÉMOIRE DE SAINT DOMINIQUE

CANONISATION DE DOMINIQUE

JOURDAIN DE SAXE : *Petit livre sur le commencement de l'ordre* ..... p. 137
JOURDAIN DE SAXE : *Lettre encyclique* ..... p. 159
Mandat de Grégoire IX pour l'ouverture du procès de canonisation ..... p. 161
Procès de canonisation
Dépositions recueillies à Bologne ..... p. 163
Mandat des juges délégués de Bologne aux enquêteurs de Toulouse en vue de recueillir d'autres témoignages ..... p. 181
Dépositions recueillies en Languedoc et adressées aux juges délégués de Bologne ... p. 183
Bulle de canonisation ..... p. 189
JOURDAIN DE SAXE : *Lettre à Diane d'Andalo* ..... p. 191

HAGIOGRAPHIE DE SAINT DOMINIQUE

VIES DE SAINT DOMINIQUE, DE PIERRE FERRAND À THIERRY D'APOLDA

PIERRE FERRAND : *Légende de saint Dominique* ..... p. 193
CONSTANTIN D'ORVIETO : *Légende de saint Dominique* ..... p. 213
HUMBERT DE ROMANS, *Légende majeure* (extraits) ..... p. 243
THIERRY D'APOLDA, *Vie, mort et miracles de saint Dominique* (extraits) ..... p. 245

SAINT DOMINIQUE DANS LES LÉGENDIERS

JEAN DE MAILLY : *Abrégé des actions et miracles des saints* ..... p. 251
BARTHÉLEMY DE TRENTE : *Livre de résumés sur la vie des saints* ..... p. 255
JACQUES DE VORAGINE : *Légende dorée* (extrait) ..... p. 261

RODRIGUE DE CERRATO : *Vies des saints* (extraits) ..... p. 263
BERNARD GUI : *Miroir des saints* (extraits) ..... p. 265
PIERRE CALO : *Légendier* (extraits) ..... p. 267

ENRICHISSEMENT DE LA MÉMOIRE VIVE

RÉCITS BREFS SUR SAINT DOMINIQUE

Vies des frères. Livre I, II et IV (extraits) ..... p. 269
ÉTIENNE DE BOURBON :*Traité sur les matières prêchables* (extraits) ..... p. 283
THOMAS DE CANTIMPRÉ, *Le bien universel tiré des abeilles* (extraits) ..... p. 289

SAINT DOMINIQUE DANS L'HISTOIRE DE L'ORDRE

BERNARD GUI : *Préambule au dossier sur l'histoire de l'ordre des Prêcheurs* ..... p. 291
ÉTIENNE DE SALAGNAC - BERNARD GUI :
Les quatre faits par lesquels Dieu a distingué l'ordre des Prêcheurs (extraits) ..... p. 293
BERNARD GUI : *Traité sur les trois degrés de prélats dans l'ordre des Prêcheurs* (extraits) p. 399
GALVANO FIAMMA : *« Petite chronique de l'ordre »* (extraits) ..... p. 307

LA PRIÈRE DE SAINT DOMINIQUE

La manière de prier, en son corps, de saint Dominique ..... p. 311
BARTHÉLEMY DE MODENE, *L'efficacité et la manière de prier de saint Dominique* p. 317

PRATIQUES DE LA COMMUNICATION

LA PRÉDICATION SUR SAINT DOMINIQUE

PAIO : *Sermons 1& 10 pour la fête de saint Dominique* ..... p. 321
GUILLAUME PEYRAUT : *Sermon pour la translation de saint Dominique* ..... p. 325
EUDES DE CHÂTEAUROUX :
Sermons 1 & 3 pour la fête du bienheureux Dominique ..... p. 331
FEDERICO VISCONTI : *Sermons sur saint Dominique* ..... p. 339
JACQUES DE VORAGINE : *Sermons pour la fête de saint Dominique*
2 (version courte et version longue), 4, 6
et sermon 2 pour la translation ..... p. 349
JOURDAIN DE PISE : *Sermon pour le jour de saint Dominique* ..... p. 361

LE CULTE DE SAINT DOMINIQUE

JOURDAIN DE SAXE : *Prière au bienheureux Dominique* ..... p. 367
Actes des chapitres généraux (extraits) : appels à enrichir la mémoire de saint Dominique p. 371

Offices liturgiques pour les fêtes de saint Dominique
pour la fête du bienheureux Dominique (5 août) ..... p. 379
pour la translation du bienheureux Dominique (24 mai) ..... p. 391
La révélation divine de la sainteté de Dominique ..... p. 397
JEAN DE LA ROCHELLE : *Sermon sur les saints François et Dominique* ..... p. 401
Miracles de saint Dominique à Rouen ..... p. 405
Miracles de saint Dominique recueillis à la demande de maître Bérenger ..... p. 417

ÉPILOGUE

CATHERINE DE SIENNE: *Le livre de l'enseignement divin* (extrait) ..... p. 427

Table des matières ..... p. 429